Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epitomemoraleasc0000unse

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

# EPITOME MORALE-ASCETICUM

DE

# SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTERIO

*Printed in Italy.*

Sac. SEBASTIANUS UCCELLO

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

# EPITOME MORALE-ASCETICUM

DE

# SACRAMENTI POENITENTIAE

# MINISTERIO

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TAURINI - ROMAE
**Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita**
nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae
et S. RR. Congr. necnon Archiep. Taurinensis Typographi

MCMXXX

V. Nihil obstat quominus imprimatur.

Syracusis, die 21 Februarii 1930.

Parochus S. Cilia, *Censor deputatus.*

**Imprimatur.**

Syracusis, 24 Februarii 1930.

† JACOBUS, *Archiep.*

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (20-VI-30)

# PRAELOQUIUM

*Rogati a quodam librorum editore, Manuale quoddam pro Confessariis, italica lingua conscriptum, typis edendum dedimus.*

*Nuper autem perillustri editori Taurinensi bonum ac utile visum est huius operis versionem latinam typis mandare ut etiam extra Italiam propagari posset.*

*Opportunitatem nacti, nova ac necessaria quaedam addenda, quasdam etiam emendationes inducendas esse rati sumus. Et ne temeritatis notam incurreremus, totum fere opus melius fundare voluimus super auctoritatem et verba eorum, qui ob sanctitatem vitae, doctrinae vigorem, et sacri ministerii experientiam, de hac theologia pastorali, elapsis saeculis vel hisce temporibus, optime meriti sunt, id unum reservantes nobis, nempe, studium coordinandi ad finem intentum quae illi docuerunt atque id novi adiicere quod Codex iuris canonici recentioresque auctores praebent.*

*Cum tractatio haec Theologiae Pastoralis pars*

3341

*quaedam sit, haud dubium quin valde utilis esse possit. De hac sacra disciplina Pius XI, feliciter regnans, in Epistola Apostolica Em.mo Card. Bisleti die* 1 *Augusti* 1922 *data, haec habet:* « *Tertio loco, quod ad clericorum studia pertinet, qui, pro conscientia officii, ea moderetur, non is profecto praescriptiones Iuris canonici negliget de Theologia* pastorali (1): *imo plurimum tribuet huic disciplinae, qua quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda. In quo ei erit temporum habenda ratio diligentissime. Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus:* quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, *ut nova novis remedia malis in Iesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis* ».

*Ut, igitur, meliorem editionem exhiberemus, curavimus, pro viribus, quaedam etiam addere, Codices Civiles respicientia, quibus Europae atque Americae latina gens utitur cum de* iustitia et iure *agitur; recentiorum Confessariorum, qui sanctitatem consecuti sunt, v. g. B. Cafasso, nuper altarium honore aucti, monita exponere; S. Francisci Salesii doctrinam passim et frequenter,*

(1) *Cod. I. Can.*, can. 1365, § 3.

*qua par est, sequi; recentiores sacrorum canonum quasdam interpretationes vel declarationes afferre, ne quid utile, quoad fieri posset, deesset.*

*Certe alia plura adiicienda et fortasse emendanda remanent.*

*Restat ut benevolum lectorem moneamus ne librum hunc ut tractatum completum, sive de theologia morali, sive de ascetica disciplina, tenere velit, cum idea directiva ea tantum de utraque disciplina excerpserit quae ad sacrum Poenitentiae sacramenti ministerium necessaria et utilia vel magis oblivioni obnoxia forent; id tantum consequi enixe studentes ut Confessarius quoad totam sui officii extensionem bene instructus evadat, praesuppositis debitis studiis theologicis.*

*Difficile sane opus, sed sanctitate, scientia, prudentia atque experientia magistrorum fultum atque, imperfecte quidem, sed peramanter et studiose ad gloriam Dei et animarum salutem conscriptum.*

*Syracusis*, 20 *Iunii* 1930.

AUCTOR.

CAPUT PRIMUM

## DE CONFESSARII OFFICIO IN GENERE

—

### Articulus I.

### Confessarii officii natura et extensio.

**1.** — 1. **Dei gratia et amicitia.**

Confessarii muneris amplitudo et momentum satis superque eruitur ex his quae Catech. Conc. Trid. de Sacramenti Poenitentiae effectibus habet: «Sed nihil profecto, ait, tam proderit fidelibus, nihilque maiorem illis alacritatem Poenitentiae suscipiendae afferet, quam si a Parochis saepe explicatum fuerit, quantum ex ea utilitatem capiamus; vere enim de Poenitentia illud dici posse intelligent, eius quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse.

«Poenitentiae itaque omnis in eo vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum Eoque summa amicitia coniungat. Hanc vero reconciliationem interdum in hominibus piis, qui hoc sacramentum sancte et religiose percipiunt, maxima conscientiae pax et tranquillitas cum summa spiritus iucunditate consequi solet; nullum est enim tam grave et nefarium scelus quod Poenitentiae sacramento non quidem semel, sed iterum et saepius non deleatur» (P. II, n. 246).

Infra autem sic Parochos adhortatur: «Quantum vero curae et diligentiae in ea explicanda ponere Pastores debeant, ex eo facile intelligent, quod omnibus fere piis persuasum est quidquid hoc tempore *sanctitatis, pietatis et religionis* in Ecclesia, summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, cum fidem Catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae, et satellites, hanc veluti Christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse» (n. 252).

Confessarii, igitur, munus est ut gratiae Dei poenitentes restituat atque ut in ea perseverent et proficiant curet: amicitia Dei et perseverantia per iugem in spirituali vita profectum. Pars haec altera spiritus moderatorem constituit ut complete et efficaciter confessarii, qua talis, munere fungatur (1). Studium hoc alteri succedit fere semper. «Secundum autem studium, ait D. Thomas, succedit ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat. Et hoc studium pertinet ad proficientes qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhaereat et eo fruatur; et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo» (II-II, q. XXIV, a. 9).

(1) *Il confessore*, dicere solebat B. Ioseph Cafasso, *siede nel tribunale di penitenza non solo per liberare gli uomini dal peccato, ma per incamminarli nello stesso tempo e guidarli all'esercizio e alla pratica della virtù. Ed a questo scopo è bene che, se non ne parlano, prenda egli stesso la parola per sapere come vivono nel corso della giornata e se pensano a Dio nei proprii lavori; insegnando loro il modo di farlo col suggerire gradatamente quelle pratiche, con cui si aumenta in fervore.* (*Vita*, scritta dall'Ab. Nicolis di Robilant, Torino, 1912, Vol. I, pag. 354).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



Confessarius poenitentem ad adipiscendum eum charitatis gradum quo Deus super omnia diligitur, dirigere debet. D. Thomas gradum hunc charitatis ultimo loco ponens perfectionem communem esse declarat: «Tertio modo ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinae dilectioni sit contrarium. Et haec perfectio est communis omnibus charitatem habentibus» (Ibid. a. 8).

**2.** — 2. **«Estote perfecti».**

Etsi autem observantia consiliorum illos qui regulari vita adstringuntur potius spectet, haud negari potest quemlibet nomine christiano insignitum, spiritu consiliorum Evangelii, quae votis religiosis observantur, imbui debere si spiritu Christi vivere velit. Enimvero ipsa perfectio charitatis est finis status religionis et cuiusque fidelis. Status religionis est quaedam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi; ad eam autem quidem alii pervenire nituntur exercitiis diversis, sicut etiam medicus ad sanandum uti potest diversis medicamentis.

Sola charitas constituit hominem perfectum; obedientiae autem, castitatis et paupertatis vota, media sunt valde efficacia ad eam adipiscendam. Ut simus perfecti, ait S. Franciscus Salesius, necesse non est ut a nobis voveantur haec consilia, sed necessarium est ut ea observemus, nam sola observantia constituit nos in realitate perfectionis (1).

Quamquam vero perfectio christiana tamquam bonum commune omnibus offertur, tamen non enervari debet per aliquid eius loco suffectum.

Omnibus itaque seipsum praebere debet confes-

(1) Cfr. *Introd. à la vie dévote*, p. III, c. XI.

sarius ut moderatorem spiritus et non tantum religiosis viris. Errat enim qui tam absolute et perfunctorie docet pietatem virtutemque colendam esse tantummodo in animabus quae signa specialia praedilectionis divinae praeseferant. Unde vero haec doctrina? Nonne voluntas Dei haec est, scilicet sanctificatio nostra? Nonne pro omnibus Christus mortuus est? Num pro quibusdam tantum haec prolata sunt a Verbo Incarnato: «*Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant*»? (Io. x, 10).

Valde noxia doctrina illa est et medium nimis efficax diabolicae versutiae, ad perdendas animas callide inventum. Etenim si a perfectione christiana me retrahas tamquam a pane dentibus meis infenso, procul dubio in illum spiritus habitum me proiicies de quo dictum est: *Utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam evomere te ex ore meo* (Apoc. III, 15).

**3.** — 3. **Quid Scriptura.**

Evangelium, Epistolae apostolicae, praesertim Epistolae Paulinae, assidue nos admonent vitam christianam, per seipsam, perfectionem complecti. Si filii Dei sumus, conformes fiamus Patri nostro; si omnes membra sumus unius corporis quod est Ecclesia, cuius vita, spiritus et caput Christus; si omnes eadem sacramenta suscipienda, idem praemium aeternum sperandum habemus, cur istis vel illis gloriam et laborem nominis et perfectionis christianae reservandum? Idcirco Iesus Christus dicebat ad omnes: *Perfecti estote, sicut perfectus est Pater vester coelestis* (Matth. v, 48); ideo perfectionem nobis proponit multoties. Certum est, ut admonet D. Augustinus, quod sermo dominicus de beatitudinibus, perfectionem omnibus commendat

simul exhibens praecepta et scientiam circa ea quae agenda fugiendaque sint ad hunc finem; ideo enim in monte stans ea Dominus loquitur quia pro omnibus praecepta maioris perfectionis declarat: «Si quaeritur, ait ipse S. Doctor, quid significet mons, bene intelligitur significare maiora praecepta iustitiae, quia minora erant, quae Iudaeis data sunt» (in Matth. v, 6).

Quod autem Salvator vere ab omnibus, pro cuiusque gratiae et doni mensura, perfectionem requirat, clare ex variis locis constat. Etenim non tantum vult hominem non periurare, neque sine necessitate iurare, sed monet ut conversatio sit simplex, recta et a quolibet mendacio prorsus aliena: *sit autem sermo noster: Est, est; Non, non.* Satis declarat in suo iudicio rationem nos reddituros de verbo otioso; suadet, imo imperat, quod heroicitati convenit, nempe inimicorum dilectionem benefactis et orationibus pro ipsis significandam; omnibus, denique, nuntiat abnegationis suipsius necessitatem: *Dicebat autem ad omnes: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (Luc. IX, 23); omnibus imponit spiritus libertatem a creatis rebus: *si quis non odit animam suam, et qui non renuntiat omnibus, non potest meus esse discipulus* (Luc. XIV, 26).

Quisquis christiano nomine et professione censetur, possidere tamquam si nihil haberet, concupiscentiis obsistere et imperare debet, legi Dei et superioribus qui Dei nomine gubernant propriam voluntatem submittere: *Et qui emunt tamquam non possidentes, et qui habent uxores, tamquam non habentes sint* (I Cor. VII, 30). *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal. v, 23). *Omnis anima pote-*

*statibus sublimioribus subdita sit... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (Rom. XIII, 5).

Quoniam autem non desunt hodiedum qui moderatoris spiritus necessitatem negent (1), et mens nedum fidelium verum etiam quorumdam Dei ministrorum hanc veritatem clare non videt, haud abs re ducimus aliud huc referre ex Patribus, aliud ex auctoribus excerptum, qui de vita et perfectione christiana egregie scripserunt.

**4. — 4. Quid SS. Patres et Doctores.**

1) Directore seu spiritus moderatore omnibus opus esse et illi in omnibus obediendum SS. Patres una voce quam saepissime monent. En pauca:

Quis umquam sine viae duce perito magnas itinerum difficultates ingredi tentavit, sicut nos sine spirituali duce facere volumus? (S. Ephraem, *serm. de vita relig.*). Qui se sibi magistrum constituit,

(1) *Parlant précisément des conseils que donne saint François de Sales sur le discernement des esprits, l'archevêque de Cambrai* Mons. Chollet *écrivait naguère dans son livre:* L'ascétique moderniste (Paris, Lethielleux, p. 144-147): *Les modernistes renversent tous ces conseils. Au lieu de faire contrôler le maître intérieur par le maître extérieur, ils suppriment ou à peu près celui-ci pour se livrer entièrement, sans réserve, à celui-là. Ils établissent ainsi une espèce de christianisme intérieur qui est comme l'âme de leur système et qui en constitue le principal danger... Léon XIII s'est élevé contre ces théories dangereuses: On rejette toute direction extérieure comme superflue et même comme moins utile pour ceux qui s'appliquent à tendre à la perfection chrétienne; l'Esprit Saint, dit-on, répand aujourd'hui dans les âmes fidèles des dons plus étendus et plus abondants que dans les temps passés et il les meut et les éclaire sans intermédiaire par une sorte de secret instinct..... Cet avertissement aux américanistes ne fut pas entendu et les modernistes reprirent et aggravèrent la thèse, produit direct de l'héresie luthérienne. Dans* Il Santo *de* Fogazzaro, *tout l'entretien de Benedetto avec le Pape est emaillé de traits inspirés par cette doctrine de la communion immédiate avec le Saint Esprit* (Francis Vincent, *S. François de Sales directeur d'âmes*, pag. 400).

stulto se discipulum subdit. Et quidem, quod alii de se sentiant ignoro: ego de me expertus sum, quod dico; et facilius imperare et securius possum praeesse aliis multis, quam soli mihi (S. Bern., *epist.* 87a). Cum iustitiam iustitiae nostrae admiscet daemon tunc fortior est, tunc magis nocet, tunc amplius operatur; cum enim perstamus in voluntate nostra et nosmetipsos iustitiis nostris instituimus, tunc sub hoc praetextu boni, maxime nobis insidiamur, nec novimus quo pacto ipsi pereamus (S. Doroth., *Doctr.* 5).

2) Ipsissimus interitus ac mors est iustitia voluntate propria commixta, ingens periculum, summusque timor est. Si iustitia voluntati cooperetur, non bene convertitur homo tunc; maxime periclitatur, imo perit, infelix. Nisi enim homo sua omnia cuipiam viro probo exponat, ac veluti onus quoddam in sinum amici reponat, si fuerit praesertim is, qui ex mala consuetudine et prava conversatione ad bonorum consortium venit, in hoc statim diabolus propriam invenit voluntatem, propriamque iustitiam, per quas illum deiiciat, demoliatur ac decipiat. Cum propriam amplexamur atque adeo fovemus voluntatem, propriisque nos ipsos instituimus et informamus iustificationibus, tunc nobis ipsis insidias tendimus, nec nostram animadvertimus perniciem et interitum: nam quo pacto Dei voluntatem agnoscere valebimus, si nobis ipsis crediderimus? Numquam permisi, numquam passus sum ut cogitationibus meis crederem, nisi prius interrogarem ac consulerem seniorem. Proinde credite mihi, fratres, tanta quiete et animi tranquillitate fruebar, ut plerumque indignarer, nec libenter id ferrem. Discite vos ipsos non instituere, non vobis credere, non vestris viribus aut prudentiae fidere... humilitas haec est quies, tran-

quillitas, gaudium est... non licet profecto, nec omnino fieri potest ut salutem quis alio modo consequatur.

3) Nihil est miserabilius, nihil quod citius expugnari queat his qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei... ait enim Scriptura: Ii quibus non est gubernatio, decidunt ut folia; folium quidem in principio semper est viride, semper floridum, iucundum et delectabile, postmodum vero paulatim languet et arescit ac mox decidit, inde contemnitur ac conculcatur; pari modo se habet homo qui a nemine gubernatur, aut regitur; principio quidem fervorem habet quemdam ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem et silentium, ad obedientiam et cetera eiusmodi bona; deinde vero fervore illo sensim extincto, si nullum habuerit qui et moderetur eum et fervorem illum iam extinctum excitet, accendat atque foveat et nutriat, is procul dubio arefactus et desiccatus cadit (S. Doroth., *Doctrin.* 5).

4) Exemplo Pauli manifestissime comprobatur a Domino viam perfectionis ostendi, qui habens unde valeat erudiri, doctrinam seniorum vel instituta contempserit, parvi pendens illud eloquium: *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi...* Mittit Christus Paulum ad seniorem, Ananiam, eumque illius potius doctrina quam sua censet institui, ne scilicet, quod recte gestum fuisset in Paulo, posteris malum praesumptionis praeberet exemplum, dum unusquisque sibimet persuaderet simili modo se quoque debere Dei solius magisterio atque doctrina potius quam seniorum institutione formari (Cassian., *coll.* 2, c. xv).

5) Quemadmodum in itinere quis pergens ignoto, ne erret a recto calle eget ductore; aegroto, ne diuturno languore fatigatus a vita deficiat, opus

est medico; adolescenti idiotae, ne in sua perseveret ignorantia, accomodandus est paedagogus: ita et in via Dei noviter imbuendo, ne fallaciis satanae seducatur et pereat, spiritualis ei adhibendus Pater (S. Laur. Iustin., *De obed.*, c. xx). Quis, oro, absque directore viarum discrimina inexpertus valet peragere securus? Quis, inquam, sine praeceptore disciplinam spiritualis militiae addiscere potest?... Si directore indigent qui de se ipsis tantummodo solliciti sunt, quanto magis qui ad animarum praelati sunt regimen? Istos profecto oportet habere directorem non viarum sed morum, non corporum sed animarum... Quamdiu mortali hoc peregrinamur in corpore, habemus opus Ductore pervigili, cuius sano consilio, cuiusve circumspecta prudentia adversariorum spiritualium agnoscamus insidias, emergentia evadamus pericula, casus vitemus noxios, carnis fugiamus vitia, adhortemurque quotidie ad studia actusque virtutum (Id., *De reg. prael.*, c. III-XV). Miles omnis Christi sibi dissuescat credere propriumque iudicium dubie tenens iudicio se totaliter committat alieno (Id., *De casto conn.*, c. I).

6) Licet mirum in modum sapiens sis et perspicias ea quae oportet, attamen homo es et consiliario tibi opus est; solius enim Dei est nullius indigere et nullo opus habere consiliario... Consiliariis omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint (S. Ioan. Chrysost., *Hom. de conv. Pauli*). Nonne cum Deo Moyses loquebatur et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi a socero suo, alienigena scilicet homine, et maxime providus et minime superbus accepit? Caveamus tales tentationes superbissimas et periculosissimas, magisque cogitemus et ipsum apostolum Paulum, licet divina et coelesti voce pro-

stratum et instructum, ad hominem tamen missum esse... Cogitemus Centurionem Cornelium, quamquam exauditas rationes eius, eleemosynasque, respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum (S. Aug., *De doctr. christ., prol.*).

7) Quoniam omnes infirmi sunt, et passionibus pleni, quod per se nequeunt, expedit ut sub alieno dirigantur ducatu; nam sicut aegrotus corpore, si proprio relinquatur arbitrio, semper saluti contraria appetit, et ipse suae mortis est causa; aeque de spirituali censendum est languido (S. Laur. Iustin., *l. c.*, c. III).

8) Sicut qui ductore caret, etiamsi sapiens sit, saepe tamen errat in via; sic qui suam voluntatem ac iudicium in hac vita spirituali sequi decernit, licet omnem omnium sapientiam solus obtineret, facile tamen in animae exitum ruet (S. Ioan. Climacus, *gradu* 25).

Ideo et qui aliis praesunt, ut melius et cautius agant, necesse habent aliis subesse, a quibus regantur usque ad summum omnium Pontificem, qui vice Christi caput est totius Ecclesiae militantis (S. Bonav., *De sex alis*).

9) Ad communem legem id pertinet qua Deus providentissimus uti homines plerumque fere, per homines salvandos decrevit, ita illos quos ad praestantiorem sanctimoniae gradum advocat per homines perducendos constituit... Accedit, praeterea, quod qui perfectiora sectantur, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam caeteri doctore ac duce indigent (Leo XIII, litt. apost. 22 Ian. 1899).

**5.** — 5. **Ratio theologica.**

I. Tenemur omnes Deum diligere *ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine*. His verbis ab

ipso Domino prolatis, iubemur ut eum, quantum nobis possibile est, diligamus; est enim infinite dignus amore super omnia. Propterea dicitur: *ex toto*. Verum, diligere quantum possibile est nobis nihil aliud est quam perfecte eum diligere, ideoque omnes iubemur, quia possumus, sanctos et perfectos fieri. Attamen charitatem hanc non illico et statim perfectam habere tenemur sed illam attingere conari quisque gratia Dei adiutus, debet, quin possit dicere unquam: sufficit. «In dilectione proximi, ait S. Gregorius P., mensura ponitur cum dicitur: *Diliges proximum sicut te ipsum*. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto etc.*» (Homil. 38). Ideoque D. Thomas non dubitat dicere: «Nemo fidelium etsi multum profecerit, dicat: sufficit mihi. Qui enim hoc dicit, de via exit ante finem» (II-II, q. XXXII). Voluntas enim non proficiendi in via virtutis est implicite quidam contemptus praecepti de Deo diligendo perfecte, et grave discrimen prolabendi in peccata graviora iuxta illud: *Qui spernit modica paulatim decidet* (Eccli. XIX, 1). Propterea Caietanus verba D. Thomae commentans scribit: «Omnes tam religiosi quam saeculares tenentur aliqualiter facere quidquid boni possunt... est tamen aliquis modus hoc praeceptum implendi, quo peccatum vitetur, scilicet si homo faciat quod potest, secundum quod requirat conditio sui status; dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra spiritualem profectum» (in II-II, q. VIII, a. 2).

II. Haud dubitari potest sacrum ministerium purificationem animarum earumque sanctificationem atque perfectionem respicere ut aedificetur corpus Christi mysticum quod est Ecclesia. Ve-

ritas haec ab Apostolo breviter exponitur: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem profetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in aedificationem corporis Christi* (Eph. IV, 12). Consummatio haec, interpretatur Martini, nihil aliud est quam perfectio sanctorum idest fidelium.

Sed ad Confessarium pertinent illi actus quos hierarchicos appellant, nempe ad aedificationem Ecclesiae directos, qui sunt generatim tres: purgare, illuminare, perficere. Verum quidem est ad Episcopos praesertim et ex proprio munere tres actus illos pertinere; attamen cum non possint ipsi regulariter et assidue a confessionibus fidelium esse, parochis et confessariis officium committunt, tamquam vices gerentibus doctoris, medici, iudicis et patris quippe quod locus ad confessiones audiendas destinatus in praxi melior efficaciorque cathedra evadit in quantum uni tantum applicatur verbum Dei expresse illi aptatum.

**6. — 6. Historia.**

In libris qui *poenitentiales* vocabantur, invenimus ab Ecclesia antiquitus confessariis commendata omnia quae servire possent ad poenitentes in virtute roborandos atque in Dei amicitia confirmandos. Deinde, saeculis supervenientibus, officium illud confessariorum saepe memoriae revocatur eo quod, ut aiebat S. Vincentius Ferrerius, *Christus sine quo nihil possumus, numquam suam gratiam ministrabit illi, qui cum habeat qui eum ducat in via perfectionis, negligit ductum eius* (*Tract. de vita spir.*). Haud sine causa Concilium Later. IV unumquemque fidelium monet ut «sacerdoti suo» se sistat cum ad sacramentum Poenitentiae accedere velit.

Equidem in Ecclesia semper, magis minusve secundum temporum faciem, viguit sollicita cura in via Domini animas dirigendi, diversis modis et mediis. Sufficiat meminisse epistolas S. Hieronymi ad S. Paulam, S. Augustini ad pias foeminas, viduas et virgines, S. Bernardi et S. Antonini. Saec. XVII Roma invocare potuit hanc traditionem, haud interruptam, contra Molinistas qui directionis spiritualis, quam vocamus, necessitatem, utilitatem imo et existentiam negabant. Verumtamen non defuit schola quaedam cui in ascesi bonam videbatur methodum quandam exaggeratae prudentiae adhibere erga eos qui extra claustra viverent, ne eos nimis ligarent, ut aiebant. Status corruptionis, saec. decimo quinto decurrente, qui saeculum inficiebat, satis methodum excusabat. Saec. XVI moderatores spiritus extabant quidem sed *rari nantes in gurgite vasto* (1). Gersonio videbatur tunc moderatore spiritus tantummodo iis qui mysticae contemplationi incumberent opus esse (2). Admitti potest cum Bohemer, Patres Societatis Iesu spiritus moderationem valde promovisse, vel etiam ipsos auctores huius praxis in statu quo hodie viget, fuisse. Attamen nimis meritus est de hac salutari praxi S. Franciscus Salesius qui extra monasteriorum septa eam diffudit, praecipue per aureum librum cui titulus: *Introduction à la vie dévote*, quem centena millia fidelium legerunt, et legunt. Post Societatis Iesu institutionem, qua demonstrabatur vitam religiosam per novam viam incedere posse aequali vel

(1) *Autant qu'il est possible d'en juger par la littérature du temps, a-t-on pu dire, ces causeries intimes, assez fréquentes aujourd'hui entre prêtres et fidèles, sont rares* (Abbé D'Agnel et Dr. D. Espinay, *Direction de conscience*, p. 21).

(2) P. Pourrat, *La spiritualité chrétienne*, t. II, p. 409.

meliori efficacia, perfectionem laicis viris assidue praebere coeptum est, tamquam quid commune et uniuscuiusque statui accomodatum. In hunc laborem Salesius quam maxime ingressus est, praesertim quia tunc temporis acerrime Reformationis sectatores actionem externam et alienam in vita nostra spirituali ut quid actioni divinae oppositum repellebant (1). Saepe in litteris et sermonibus suis moderatoris spiritus necessitatem demonstrat et docet et commendat. Credere oportet, aiebat, *directoribus* et medicis spiritualibus ut bonum spirituale obtineamus per ea media quae apta iis videantur. Nam, quo pacto, si ab aliis instrui nos sinimus v. g. in litteris humanis, ab aliis advocatis causas nostras in foro defendi volumus, a medicis infirmitates corporis curari, spirituales autem infirmitates a nobismetipsis moderari et sanari contendimus? Nonne difficilius in spiritualibus agitur quam in corporalibus plagis? (2).

(1) *L'un des chapitres les plus importants de l'*Introduction, *est celui qui traite de la necessité d'un directeur pour entrer et faire progrès dans la dévotion. Saint François de Sales semble vouloir le faire comprendre dès le début en disant qu'il s'agit là de l'« avertissement des avertissements dans la vie spirituelle ». Aussi a-t-on souvent regretté qu'il ait résumé en un si petit nombre de pages tout un traité sur cette matière* (Abbé Chaumont, *Notes explicatives sur l'Introduction à la vie dévote*, t. I, pp. 48-49).

(2) *Contre cette thèse de saint François de Sales on élève parfois une étrange objection. On suppose, avec une sorte d'ingénuité mystique, qu'il y a pour l'humanité, dans l'ordre morale, des révolutions radicales comme nous en voyons dans l'ordre matériel. Il y aurait pour l'homme en marche vers le bien des époques et des âges, comme il y eût, dans un autre domaine, l'âge de la pierre et l'âge du bronse.*

*A partir d'une certaine date, l'homme aurait définitivement conquis la maîtrise de lui-même; il cesserait d'être victime de l'ambition, de la luxure; ou bien, devenu majeur, il n'aurrait plus de difficulté à se connaître, à se conduire, à se vaincre; il pourrait se passer de guide et de médecin. N'est-ce pas méconnaître ce qu'il y a d'éternel dans l'humaine nature, que de dire, par exemple, avec un jeune écrivain*

**7. — 7. Conclusio.**

Ex dictis sequitur confessarium simul spiritus moderatorem seu in virtute et perfectione christiana animarum cuiuslibet conditionis ducem, natura sua et necessario esse, adeo ut quisquis Dei voluntatem, extra quam nulla est perfecta vita, perfecte exsequi studeat « sacerdoti suo », ut ait Tridentinum Concilium, recurrere debeat quatenus non possit, absque magno animae et salutis discrimine, vel saltem absque nimia progrediendi difficultate in via Domini procedere, sive proficiens sit sive incipiens tantum. Servare iustum in statu iustitiae et ad perfectionem provehere confessarii officium est aeque ac peccatorem a peccati statu liberare et in gratia Dei firmare.

Quot animae defectu zeli ex parte confessariorum pereunt nedum proficiant in virtute! Quot remanent in atriis perfectionis quin ultra prose-

*catholique, d'ailleurs plein de talent: La tâche de la médecine serait moins malaisée et son intervention moins fréquente si chacun par une connaissance plus exacte de son organisme suivait l'hygiène qui lui convient. On a encore besoin du médecin aujourd'hui comme on avait besoin du directeur de conscience « autre fois »; l'âme, naturellement s'est emancipée la première d'une direction qui ne peut jamais être aussi clairvoyante que la direction autonome* (Cfr. Maurice Legendre, *Le problème de l'éducation*, Paris, Bloud, pag. 173). *Saint François de Sales n'a point cru à ces émancipations soudaines de la conscience. Depuis* 7.000 *ans qu'il y a des hommes et qu'ils pensent, ils ne lui semblent point substantiellement différents aux diverses époques. Il penserait aujourd'hui comme hier que nous avons besoin du technicien moral, comme en avait besoin jadis un Pascal lui-même. La comparaison que le saint établit entre le directeur et le médecin vaut pour tous les temps, car l'utilité de l'un et de l'autre n'est pas seulement question de science, mais d'indépendence et de lucidité dans le jugement. Si le médecin même illustre, même pour une maladie de sa specialité, fait appel à un autre médecin, il est bon au savant et au psychologue de recourir au praticien spirituel qui observe froidement les choses, les voyant du dehors* (Francis Vincent, *S. François de Sales directeur d'âmes*, pag. 401).

quantur, quia nemo est qui eas manu ducat, reficiat et illuminet!

Meminerit bene confessarius Deum plus honorari ab una tantum anima perfecta quam a millibus quae virtutem sollicita mente et puro corde non colunt. Incredibile est quot bona enascuntur in familiis in quibus est qui virtutem serio sectans, patris spiritualis ope adiutus, apostolum sese facit etiamsi solo exemplo! Cognoscat, ergo, bene et optime, confessarius, fines et amplitudinem et momentum et necessitatem officii sui ut eo bene fungatur ad gloriam maiorem Dei, animarum salutem et ad sui ipsius sanctitatem et perfectionem adipiscendam.

## Articulus II.

## De Confessarii officii difficultate.

**8. — 1. Ministerii huius sublimitas.**

Ministerium cui sacerdos vi ordinationis et iurisdictionis in sacramenti Poenitentiae tribunali vacat, per se ipsum nimiam difficultatem parit ob suam excelsitudinem. Potestas enim remittendi vel retinendi peccata intime et in radice cum potestate Eucharistiam efficiendi et Sacrificium offerendi connectitur. Hanc dependentiam memorat Cat. Romanus ubi de Confessionis ministro agit: «Eum autem, ait, Sacerdotem esse, qui ordinariam aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex ecclesiasticis sanctionibus satis apparet; habeat enim oportet non solum ordinis, verum etiam iurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet. Illustre vero huius ministerii testimonium praebent

illa Domini verba apud sanctum Ioannem: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (Ioan. xx, 23): neque enim omnibus, sed Apostolis tantum haec dicta fuisse constat, quibus in hac functione sacerdotes succedunt: idque etiam maxime consentaneum est: nam cum omne gratiae genus, quae hoc sacramento tribuitur, a Christi capite ad membra derivetur; merito debent corpori Christi mystico, id est fidelibus illud administrare, qui soli verum eiusdem corpus conficiendi potestatem habent; cum praesertim fideles hoc ipso Poenitentiae sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti, idoneique reddantur» (P. II, n. 256).

**9.** — 2. **Multiplex officium.**

Cum hoc ministerium sit tam sublime et magni momenti, procul dubio magnam exquirit fidelitatem, quae virtus principalis est ab Apostolo expresse nominata pro iis qui dispensatores gratiae Dei facti sunt (Hebr. ii, 17). Etenim non sicut nobis placet, sed secundum Dei mandatum et voluntatem exercendum est; nam cum prudentia simul et scientia et charitate aliisque virtutibus adhibenda est clavis claudendi et aperiendi regnum coelorum. Qualitates, enim, quibus ornati esse debent qui sacro huic ministerio incumbunt satis indicant quanta sollertia et virtute pollere debeat sacer minister si munere hoc suo bene fungi velit. Ut iudex cognoscenda illi est animarum dispositio et Dei operatio in cordibus eorum. Tenetur, propterea, rationes ponderare in sententia emittenda, leges bene cognoscere, iudicium practicum efformare, principia generalia ad casum particulare applicare, adiuncta bene perpendere, Spiritum Dei in se habere ut eo dirigatur ne iudicio tantum

proprio. vel peius passione quadam, mentis coeco oculo decernat. Tamquam medicus investigandi munus habet plagas cordis et animi, nimis impervias examini: quo enim nobilius obiectum eo difficilior medicalis cura. Animae morbos et remedia illis aptiora bene cognoscere illi necesse est, ne ut malus medicus, ait S. Gregorius, novacula acuta plagam pessumdet et insanabilem efficiat (*Past.*, P. II, c. x).

Ut mediator Dei et hominum, utriusque partis bonum procurare iuraque divina tueri adeo debet ut simul animarum pater dici et esse non desinat. Saepe circa multa animas instruere, ab insidiis diaboli quam maxime astutia scatentibus liberare, vias Domini clare demonstrare, cuiusvis officia propria sui status cognoscere et tueri tenetur: partem haud parvi momenti sui muneris hoc constituit.

Videat quisque utrum multum indigeamus luce, consilio, prudentia in veritate detegenda an non, cum de iudiciis huius mundi agitur; si nimio studio, experimento et sapientia opus est ad morbos corporis medendos, cum vero de animabus agendum sit, an negotium valde facile esse potest cum Dei Spiritus cor hominis inscrutabile et mundum totum in maligno positum et omnem hominem mendacem declaret?

**10. — 3. Ars artium.**

Propterea S. Gregorius Papa artem animas gubernandi vel regendi difficilem, imo *artem artium regimen animarum* nuncupandum esse affirmat (*l. c.*, P. I, c. 1), quia peritus nimis sit oportet confessarius et sufficienter a Deo supernaturaliter instructus ac motus si navim aliorum simul cum sua ad portum deducere efficaciter velit. Qua de re illi opus

est divino quodam instinctu iuxta D. Thomam: «Sacerdos, ait, operatur in usu clavium, sicut instrumentum et minister Dei... Unde si quis, praeter motum illum divinum uti sua potestate praesumeret, non consequeretur effectum et in culpam incurreret» (P. III, q. LXIV, a. 8).

In praxi, scientia moralis, etiam casuistica, non sufficit, quantumcumque eminens sit, nisi scientiae teorico-practicae et experimentali quae ex ascesi hauritur intime societur. Fateor, ait quidam auctor, quod videns plerosque sacerdotes in scientiae moralis studio ferventes et de ascesi nihil curantes, de inani eorum labore saepe mecum ipso doleo. Etenim mente bene illuminati, sed corde frigescentes, laborem, qui patientiam, charitatem, aliasque haud paucas virtutes exquirit, sustinere non valebunt.

**11.** — 4. **Quid SS. Patres.**

Vae ministris infidelibus, ait S. Bernardus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienae negotia, quasi homines qui iustitiam fecerint, apprehendunt (*Tract. de Com. ad Eber.*, c. XIX). Si adhuc in eius corpore, observat S. Gregorius Papa, passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui vulnus in fronte portat? (*l. c.*, P. I, c. IX). Et auctor «*Eccles. Hierarchiae*» non dubitat asserere quod «in divino omni non est audendum aliis fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit Deo simillimus» (cap. V).

Concilium Trid. animarum curam arduum opus, onus angelicis humeris formidandum esse docet (Sess. VI, c. I). Cura animarum scientia scientiarum merito appellanda est, ait Conc. Colon. (a. 1536, p. I, c. 2); ars artium et scientia scientiarum mihi esse videtur hominem regere, ait

S. Gregorius Nazianzenus (Or. I, n. 31). Qui enim aliorum actiones puras est effecturus, is quin aliquam ipse sordem contrahat vix fieri potest, affirmat S. Nilus Abbas (*Lib. asc.*); unde verum est quod ratus est S. Gregorius (*l. c.*), nempe nullibi operosius laborari, nullibi periculosius errari.

Audiamus pauca quaedam Crysostomi: Quaecumque proximus propter curationem tuam imprudentem, peccata commiserit, futurum est ut horum singulorum poena cum illo medico communis sit qui vulnus probe non incidit... Si horremus dum nobis id iudicium subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus, quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit ipse dicturus? (*De Sacerd.*, lib. III). Vigilantem igitur necesse est esse illum qui non tantum sui curam habet, verum etiam reliquorum: decet esse pervigilem eum qui eiusmodi est ac spiritu vivere et affectus sui flammam operibus ipsis ostendere ducesque omnes sollicitudine atque industria superare ut diu noctuque exercitum et castra perlustret, laboret et sui officii munus diligentissime impleat atque omnium curam et sollicitudinem gerat (Id., hom. 10 in I Tit.).

Pensate ergo, nos admonet S. Greg. Papa (hom. 11 in Ezech.), fratres charissimi, quantus speculatori labor sit, et ad sublimia cor tendere et hoc repente ad ima revocare et in sublimitate cognitionis intimae extenuare animum et propter exteriores causas proximorum, ut ita dicam, subito in cogitatione crassescere. Hoc tempore, ait ipse, talis debet constitui qui non solum de salute animarum, sed etiam de extrinseca subiectorum utilitate et cautela sciat esse sollicitus (lib. VIII, ep. 40, d. 39).

Denique haec audiamus experti nimis: Grande onus, negotium multarum vigiliarum, pavendumque ministerium est regimen animarum, ait S. Laur. Iustin. (*De Regim. prael.*, c. XVI, n. 6). Vere in omnibus veluti martyres... Gratia indiget plurima, charitate fervida et sapientia non modica, qui proximorum animas per spiritualem profectum ad vitam resuscitare conatur (Id., *De Compunct.*, n. 5-7).

**12.** — 5. **Quid experientia.**

*a*) Quam facile peccata celantur in confessione, quam difficile saepe inter conscientiae tenebras penetrari potest, quod arduum opus in casibus particularibus faciendum occurrit cum magno animi angore! Quot horrenda peccata mentem et cor Confessarii sensim sine sensu depravare possunt solo auditu! Operae pretium est declarare quam frequens sit nostra hac aetate horrendum peccatum onanismi et sodomiae, inter iuvenes praesertim, sive agatur de actibus sodomiticis per tactus impudicos ad invicem, sive de coitu in diversis corporis partibus. Centies et centies, ait Timon-David in Gallia, audivi in confessione alumnos publicarum scholarum fatentes maximam longe partem suorum condiscipulorum hisce nefandis sceleribus addictos... Dictu horribilius: sunt domus publicae ad sodomiam destinatae in quadam natione.

Sacerdos Christi debet de his nequitiis tam execrandis notitiam habere ut medelam praebeat animabus. Quomodo medicinam ministrabit, si nesciat et ipsum morbum? Quomodo et hoc crimen deteget, quod saepius alto sub silentio servant poenitentes, si nullam habeat huiusmodi suspicationem? Quam vero caute et difficile haec peccata expiscanda sint nemo non videt. Felix qui potuerit Confessarius istas aperire plagas et gratia Dei curare.

*b*) Generatim loquendo quo magis Confessarius pollet scientia et experientia, eo minus indiget explicationibus in confessione. Nemo tam exponit discrimini sacramentum et poenitentes quam illi confessarii nimis ingenui et valde simplices qui propterea in seipsis multum confidunt. Theoria optimista, quam dicunt, aliquot confessarios, alioquin pios et doctos, sed de malignitate praesertim foeminarum parum suspicantes, amare decepit. Alii vero scientiae moralis theoriae confisi, in inextricabilem lapsi sunt confusionem et animarum magnum detrimentum. « Et S. Franciscus Salesius dicebat, ait S. Alph. Ligorius, officium audiendi confessiones esse omnium maximum et difficillimum... Quidam, qui eruditos et theologos magnae notae se iactant... dicunt sufficere ut confessiones rite excipere possint, principia generalia Moralis callere; illis enim posse resolvi (aiunt) omnes casus particulares. Quis negare potest omnes casus particulares esse his principiis resolvendos? Sed totum opus, totus labor est in adaptando ad casus particulares tantis diversis circumstantiis irretitos principia huiusmodi... Iusta ratione motus, auctor Instructionum pro novis confessariis affirmat multos theologos quanto profundiores in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus » (*Praxis Confess.*, n. 17).

*c*) Bene meminerint confessarii, praesertim iuniores, experientiam plurimorum docere quod poenitentes multi peccata sua reticent. P. Brydaine, qui per totam fere suam longam vitam innumeras *missiones*, quas vocant, seu spiritualia exercitia ad populum dedit (circiter 256), de quo Massillon optima quaeque habet et quem episcopatus Galliae honore est prosequutus, cui etiam Benedictus XIV facultatem ubique praedicandi concessit; clare hic vir Dei expertus asserit experientiam se docuisse

plerosque christianos animam perdere ob confessiones ordinarias male factas (*Vita*, p. 133).

Item, P. Maximus de Bussy (1752-1852), cuius vita repleta est innumeris apostolatus operibus, saepe fassus est multos poenitentes in confessione peccata occultare. P. Monnin in vita S. I. B. Vianney scribit: « Ipse tamquam in libro aperto, in corde poenitentium legens, reconditas conscientiae plagas detegebat. Novimus absque ulla dubietate multis ipsum dixisse poenitentibus se ab eis decipi, et illis eorum peccata quae celabant manifestasse ». Hac de causa iam Sancta Theresia cuidam Missionario valde commendabat praedicationem de non occultandis in confessione peccatis. Legimus S. Iosephum B. Labre in visione vidisse quamplurimas animas in infernum descendere ob neglectam vel sacrilegam confessionem. Mementote, aiebat, animas illuc sicut nix hieme cadere.

Nec praetereundum silentio quod confessario necessaria est scientia practica de uniuscuiusque poenitentis officiis secundum eius vitae statum. Quapropter S. Ioannes Chrysostomus sacerdotem hortatur ut scientiam magnam magnae experientiae uniat; ut cognoscat res et negotia mundana tamquam si de iis qui secundum mundum vivunt esset, et simul plusquam claustralis religiosus mundum fugere studeat. Etenim cum communicare debeat cum uxoratis et viris qui negotiis explendis incumbunt, vel rem publicam regunt, diversimode cum diversis agere debet. Hoc autem eum simulatorem vel mendacem nullo modo efficiat quin imo libertate et simplicitate evangelica simul cum benignitate praeditus esse oportet (*Opere*, t. I, p. 425).

Opus est confessario populum intime cognoscere, omnia quae illum spectant non ignorare, plagas spirituales et curas huius temporis perspectas ha-

bere, bonum et malum quod viget hodie in saeculo hoc, non in saeculo praeterito, perpendere et coram mente et corde suo perpetuo sistere. Dicat quispiam: munere meo fungar, satis mihi est absolvere vel retinere peccata quae audio. Equidem, cur discipulus illius qui est Charitas effectus es?

## Articulus III.

## De utilitate sacri huius ministerii pro Confessario.

**13.** — 1. «**Merces magna nimis**».

Quae modo dicta sunt animum Confessarii despondere non possunt, si vim divini auxilii, per gratiam officii et status propriam, semper oblatam, bene corde revolverit. Spe erigamur magnae illius mercedis tam solemniter a Domino vineae promissae, memores quod «ad magna praemia, ait S. Greg. P., perveniri non potest nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius praedicator dicit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Delectet ergo mentem magnitudo praemiorum, sed non deterreat certamen laborum» (*hom.* 37 in Evang.). Ipse S. Doctor ait: Magna sacerdotis gloria est rectitudo subditorum: unde bene egregius praedicator (S. Paulus) discipulis dicit: *Quae enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum?* Sed cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt et nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quam inglorii dicuntur? Quia ante districtum iudicem nimirum gloriam tunc non inveniunt quam modo in subditorum suorum moribus

non exquirunt (lib. II, c. IX). Tanto celerius quisque ab omnibus suis peccatis absolvitur quanto per eius vitam et linguam aliorum animae suorum peccatorum nexibus solvuntur (Id., *Past.*, c. VII).

Praestat hic alia quaedam ex Patribus audire. Neque id mihi persuasi, ait S. Chrysostomus, salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi salute nihil laboris impenderit, cum neque miserum illum quicquam iuverit talentum sibi traditum non imminuisse; imo hoc ille nomine periit, quod illud non auxisset duplicassetque (*De Sacerd.*, lib. VI, c. X). Si fueris frigidus et marcidus, monet D. Augustinus, ad te solum spectans... et dicens in corde tuo: Sufficit mihi anima mea. Eia non tibi venit in mentem servus ille qui abscondit talentum? Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis a Christo (In Io., t. X).

Animos attollamus haec D. Bernardi pensantes: Paulus loquitur: *Plus omnibus laboravi.* Non ait: Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissime vitans: alias noverat quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum, et ob hoc in laboribus potius quam in profectibus gloriandum putavit. Ita, quaeso, fac tu, quod tuum est; nam Deus, quod suum est, satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit... Planta, riga, fer curam, et tuas explevisti partes: dabit sane incrementum, ubi voluerit; dabit Deus, non tu, ubi forte noluerit; tibi deperit nihil dicente Scriptura: *Reddet Deus mercedem laborum...* Unum est, quod te absolvit, si egisti cum populo illo ut possis dicere: *Populo meus, quid tibi debui facere et non feci?* (*De Consid.*, l. IV, c. II).

Animare debet ad laboris tolerantiam, docet S. Bonaventura, quod non minus meretur (sacerdos)

in illis qui deficiunt vel modicum proficiunt quam in his qui maxime proficiunt: non enim dicit Apostolus: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum projectum*, sed *secundum suum laborem* (*De sex alis*, c. v).

Denique corde recogitet Confessarius quae Dominus promisit discipulis suis in Evangelio. Hinc D. Augustinus asserit quod episcopi aut presbyteri, aut diaconi officio... apud Deum nihil beatius, si eo modo militatur quo noster Imperator iubet (epist. 138); et S. Prosper fatetur: Hic omnium fidelium catholicorum honorantur (sacerdotes) ut capita... ibi Christi, qui est sacerdotum omnium Caput, clariora membra futura erunt (*De vita cont.*, c. XIII).

**14.** — 2. **« Omnium divinorum divinissimum ».** Nihil utilius agere potest sacerdos et sibi ipsi fructuosius providere quam ut prae caeteris zeli operibus, huic ministerio in Sacramento Poenitentiae incumbat. Etenim:

I. *Ratione habita ad Deum*, Confessarius concurrit operi quod est illi honorabilius et acceptius, nempe animarum saluti, modo magis immediato, proximo et directo quam sermonibus, aut actibus abnegationis et orationis (quamquam omnia haec praecedere debeant), quatenus, videlicet, ipse non solum disponit ad gratiae vitam, sed eam reapse bene dispositis confert. Ibi Redemptor fructum mortis suae specialem colligit, ibi daemones specialiter vincit et a cordibus poenitentium expellit, filiosque heredes coeli in sinum suum revertentes amplexatur. Porro, si Dominus tam magnifice se gesturum ob actus charitatis corpus respicientes promittit, quid ipse erga ministros salutis operaturus erit?

II. *Ratione habita ad proximum,* haud dubium quin zelus ac merita Confessarii augeantur dum ipse sacro ministerio animas iuvat ac sanctificat. Quis scire poterit quomodo natura et gratia simul poenitentium cor ad sensus grati animi erga patres spirituales moveant, praesertim cum a gravi peccatorum vel angorum pondere liberantur? Cum a periculo damnationis vel deceptionis eripiuntur, vel propositum in virtute et officiis excolendis efformant, vel spem semper proficiendi in bono et in via Domini concipiunt; tunc patrem spiritualem amore sancto et gratitudine prosequuntur non tantum verbis quantum operibus, nempe orationibus ad Deum pro eo enixe fusis et a Deo bene et illico acceptis quia ex corde grato et humili procedentibus. Saepe autem Confessarius, qui cum charitate sese gerit erga poenitentes eosque valde adiuvat, repentino sensu devotionis arripi se sentit, luce speciali infundi desuper cum aliunde nihil fecerit ad hoc espresse! Dominus noster, qui iam tam propensus est ad remunerandos servos suos fideles, occasionem arripit, ut ita dicam, in orationibus illis ut Cor suum effundat in ministrum suum, qui animas illi reconciliaverit vel intime in sacra penetralia conduxerit.

Quot preces, praeterea, fundunt boni et grati poenitentes pro Confessario in lecto decumbente, gravi vel levi morbo! Nec mors salutare hoc verae charitatis commercium interrumpit, nam poenitentes patrem suum spiritualem crebris suffragiis adiuvant, et si ipsum in Coelum praecedunt, quis dubitare potest ipsos Deum semper pro eo orare ut ad portum feliciter et gloriose pervenire possit?

III. Considerantes ipsum sacrum ministerium *in ordine ad sanctificationem ipsius Confessarii,* facile cognoscimus quod aliquid singulare et

speciale conferat. Etenim nimiam exquirit ab eo mortificationem vel abnegationem ut promptus et liber inveniatur ad hoc opus quod et corpus et spiritum lassat. Charitate et patientia opus est illi ut benigne excipiat, toleret, adiuvet tam varios frequentesque poenitentes. Confessario, qui supponitur aliunde bene dispositus, prosunt etiam ipsa monita quae ad poenitentes dirigit, reprehensionesque eum saltem indirecte monent ne de via recta simul cum caeteris hominibus, filiis Adae, declinet. Sacrum ergo Poenitentiae ministerium duo simul sanctificat: confessarium et poenitentem. Meritum autem et profectum spiritualem accipit non semel tantum in die sicut in Missae celebratione, non bis vel ter sicut in quotidiana praedicatione, sed toties quoties bene officio suo fungitur, etiamsi quadam vice in vanum ex parte poenitentis laboraverit. Adde quod hoc meritum securius in integritate sua ab insidiis vanae gloriae servatur cum sit labor secretus inter Deum, confessarium et poenitentes, praesertim si obiurgationibus, calumniis, dicteriis ex parte hominum remuneretur, quin liceat Confessario sese defendere ob inviolabile sacramentale sigillum.

**15. — 3. Respice finem.**

Recogita, ergo, corde et animo varia apostolatus opera si invenies quod tibi, homo Dei, cordi magis esse possit ad honorem Dei, ad bonum proximorum, ad provectum tuipsius in vita, in morte, in Purgatorio vel in Coelo. Corona gloriae tuae erunt praecipue animae a Deo salvatae per ministerium tuum, quod minus patet quam praedicatio, sed opus frequentius, durius, remotius est a vanitate. Audi verba experti Confessarii sic aientis: Omnis beatitudo qua fruentur in Coelo animae quas ad perfectionem

deduxerimus, omnia bona quae possidebunt, omnemque gloriam quam Deo reddent, aliquo modo super nos redundabit: quemadmodum sanctorum gloria, Deo oblata, ad Iesum Christum revertitur sicut in eorum beatitudinis causam, quatenus ipsos sanctificaverit, ipsis spiritum et gratiam suam dederit ut sit semper in eis principium omnis gloriae sicut omnis gratiae; ideoque est Iesus in omnibus illis ad laudandum et glorificandum Patrem, et extendenda officia suae pietatis in Eum secundum motus immensi sui amoris; ita, directores spiritus seu Confessarii, impensis curis et laboribus ad animas perficiendas, in communicatione gratiae et sanctitatis quam eis pro poenitentibus Deus dederat hoc ipso quod effecerunt ut eae capaces fierent Deum aeternaliter laudandi, reapse Deum et ipsi per eas et in eis laudant. Quis non vellet laudare et glorificare Deum in omnibus Sanctis? Quis non cuperet cor omnibus creaturis extensum ut in omnibus Deum amaret et glorificaret? Et si gratia haec singularis, rarum imo unicum privilegium Iesu Christi tantum sit, quia ipse est Patris universalis laus, quis nostrum non studeat in omnibus animabus sibi commissis Eum glorificare per earum sanctificationem in sacro ministerio? (Olier, *Esprit*, p. 207).

**16.** — 4. **Respice exemplar.**

Si quis, aiebat B. Ioseph Cafasso, Rector Collegii Ecclesiastici ad Confessariorum plenam institutionem fundati, si quis sacerdos sese in magnis, sublimibus, nobilibus et gloriosis operibus exercitare queat; si velit utilis proximo magis magisque fieri; si quam plurima merita adquirere studeat, sacro Poenitentiae ministerio det operam.

His monitis propriis fidelis ipse quam maxime

fuit, nam sacramenti Poenitentiae ministerium opus suum et cura praecipua fuit. Charitas, dicebat ipse, bonum sacerdotem promptum reddet ad audiendum quemcumque ipsi sua peccata confiteri cupientem. Servus semper ad nutum domini in expectatione est absque temporis vel loci exceptione. Et verba exemplo firmabat, nam summo mane post Missae celebrationem et peracta meditatione, horas haud paucas ad audiendos poenitentes insumebat. De S. Philippo Nerio legitur quod contempta omni suae valetudinis sollicitudine, semper promptum sese offerebat diu noctuque ad poenitentes audiendos. P. Pinamonti plerumque undecim horas quotidie et maximam anni partem in sacro Poenitentiae tribunali morabatur; item S. Ioannes B. Vianney. De S. Ioanne Franc. Regis legimus ipsum febri laborantem, ob quam mortuus est, innumeros villicos audire in confessione non recusasse. S. Franciscus Salesius promptum affabilemque sese exhibebat et omnia sacro huic ministerio postponere vel differre non dubitat. Ita Dominus hos servos suos illuminare de hoc apostolatus genere dignatus est ut ipsi alio meliori modo Illi amorem manifestare nescirent.

Laudari sane satis non potest sacerdotis propositum sibi ipsi et Deo vacandi: est enim primum officium sacerdotale sanctificatio propria. Sed hoc ipso capaces efficimur alios ad perfectionem adducendi quatenus maior gratia, melior eaque experimentalis scientia virtutis et vitii necnon passionum, erit nobis. Attendamus utique nobis iuxta Apostoli consilium sed aliorum sanctificationem ne obliviscamur, cum sit officium sacerdotale, propter quod et sacerdotes sumus: *pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum* (Hebr. v, 1). Discretio, quae est virtus magis necessaria et

praesupposita, docet, Deo afflante, quomodo nobis et proximo attendere debeamus quin neutri damnum obveniat. De plerisque sanctis viris legitur quod reservantes sibi horas nocturnas ad orandum, diem insumebant in bonum proximo promovendum. Sed licet non omnibus datum sit paucissimis horis somnum excutere, unusquisque tempus aliquod somno et negotiis explendis haud stricte necessariis subtrahendo, quomodo et sibi et aliis prosit certissime inveniet.

**17. — 5. Conclusio.**

Quantumlibet formidabile sit Sacerdotii onus et ardua eius munera et quantumlibet sis infirmus et debilis noli, fili, animo concidere. Dummodo cor tuum ad omnia paratum sit; dummodo labores sicut bonus miles Christi Iesu, fiducialiter age et ne timeas, sciens quod qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae, current et non laborabunt; ambulabunt et non deficient. Crede quia, etiamsi ars artium sit regimen animarum, tamen Sacerdoti bonae voluntatis, pietati et studio fideliter addicto, sufficit gratia mea, ut ministerium sacrum rite et adaequate impleat (Arvisenet, *Memoriale*, c. XLVI). Ne reponas in sudario talentum quod dedi tibi, sciens quia homo austerus sum ne ideo ministerium formidandum exercere omittas. Habens salvandi potestatem, iam non licet tibi a salvationis opere abstinere. Fac quod in te est: stude, ora, age, absolve, liga prout melius coram me iudicaveris; mihi deinde omnia committe. Ego scio quos elegerim; homines sunt, non angeli, quos sacerdotes constitui. Laboriosum quidem est ministerium hoc, fili: cave ne idcirco pigriteris et negligas. Ego in laboribus fui a iuventute mea: parum est igitur

si dies, menses et annos in opere salutis animarum consumas, cum ego sanguinem profudi, vitam dedi. Disciplina quidem haec non est primum gaudii, sed moeroris: at postea fructum pacatissimum afferet per eam exercitatis. Ibi utique labor est fructuosus; ibi oves inveniuntur et reducuntur, gaudente coelo, laetantibus angelis (Ib., c. LVIII).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

## CAPUT II.

## DE CONFESSARII DOTIBUS ET VIRTUTIBUS

—

### Articulus I.

### De dotibus et virtutibus in genere.

**18.** — 1. **Quid ab Ecclesia requiratur.**

Praeter duas potestates ordinis et iurisdictionis, requiruntur in Confessario multiplices qualitates et virtutes quae a Rituali Romano ad tres praecipuas reducuntur, nempe «*bonitas, scientia atque prudentia* cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio. *Quibus et aliis ad id opportunis*, ait, *ut optime sint instructi omni studio curare debent Confessarii*. In primis meminerit Confessarius, se *iudicis* pariter et *medici* personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut tamquam *arbiter* inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulat. Ut ergo recte iudicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tamquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare et apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum *assiduis ad Deum precibus*, tum ex probatis auctoribus, praesertim e Catechismo Ro-

mano, et prudenti consilio peritorum studeat sibi comparare. Sciat casus et censuras Sedi Apostolicae et Ordinario suo reservatas, et suae cuiusque ecclesiae constitutiones, easque diligenter observet. Denique huius Sacramenti doctrinam omnem recte nosse studebit et alia ad eius rectam administrationem necessaria» (Tit. III, c. 1).

Speciatim, itaque, qualitates seu dotes Confessarii: bonitas seu sanctitas, scientia atque prudentia, ita necessariae sunt ut sine ipsis officio suo recte fungi nequeat. Ritualis enim non dicit: conveniens est, aequum est, vel decet Confessarium esse sanctum, doctum et prudentem, sed clare dicit: *requiritur*, quod necessitatem importat; quinimo voce *etiam*, quae hanc partem priori unit in qua dictum est requiri potestatem ordinis et iurisdictionis, videtur dicere has potestates et illas dotes esse quasi aeque necessarias Confessario.

Sufficeret enim considerare sanctitatem et sublimitatem huius officii vere divini ac difficultatem ut recte et bene adimpleatur; perpendere quoque quae saepe Patres et Praelati Ecclesiae circa illud admonent, ut concludi possit Confessarium sanctum esse non minus quam doctum et prudentem oportere. Sese enim gerere debet ut iudicem, patrem, medicum, doctorem, nempe magistrum: officia quae vitam sanctam, scientiam, pietatem, charitatem, fortitudinem, iudicii maturitatem et rectitudinem important. Quapropter difficilius est quam ut credi possit Confessarium et animarum moderatorem qui omnibus dotibus calleat invenire. Ideoque magister spiritus ille P. Avila, monet Confessarium exquirendum unum inter mille. Hoc monitum autem haud exaggeratum S. Francisco Salesio visum est, imo in suo libro qui inscribitur *Filotea*, asserit: « Eligite unum inter mille, dicit

Avila; ego vero dico: inter decem millia, eo quod pauciores quam quod creditur sunt qui hoc officio capaces sint. Confessarius charitate, scientia et prudentia imbutus esse debet: si una ex iis deest, haud sine periculo est» (P. I, c. IV).

**19.** — 2. **Quid Catechismus Romanus.**

Qua de causa Catechismus Romanus omnes fideles hortatur ut in eligendo Confessario omne studium impendant: «Iam, praeter ordinis et iurisdictionis potestatem, quae *prorsus* necessaria sunt, in primis opus est, ut huius sacramenti Minister tum scientia et eruditione, tum prudentia praeditus sit; iudicis enim, et medici simul personam gerit. Ac quod ad primum attinet, satis constat, non vulgarem scientiam necessariam esse, qua et peccata investigare et ex variis peccatorum generibus, quae gravia, quae levia sint, pro cuiusque hominis ordine et genere iudicare possit; ut autem medicus est, summa quoque prudentia indiget; etenim diligenter providendum est, ut ea remedia aegroto adhibeantur, quae ad illius animam sanandam et in posterum contra morbi vim muniendam aptiora esse videantur. Ex quo poterunt fideles intelligere, cuivis maximo studio curandum esse, ut eum sibi sacerdotem deligat, quem vitae integritas, doctrina, prudens iudicium commendet; qui, et quantum in eo officio, cui praeest, ponderis ac momenti sit, et quae cuique sceleri poena conveniat et qui vel solvendi vel ligandi sint, optime noverit» (P. II, n. 256).

Et hoc studium deligendi Confessarium maius esse debet si etiam ut moderatorem, id est non quadam vice tantum, sed habitualiter eum adire quis vult.

**20. — 3. Quid SS. Patres.**

Summa vigilantia, ait S. Basilius, acerrimaque in omnes partes animi circumspectione operam dato ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectae tibi vitae studiis certissimum ducem sequere, eiusmodi qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare; qui ornatus virtutibus sit; cuius universae totius ipsius vitae actiones testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse; qui divinarum litterarum scientiam habeat; virum integrum nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, iniuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedant; quem gloria inanis non instet, superbia non extollat, adulatio non frangat; severum atque constantem; cui denique nihil sit praestantius honore Dei (*De abdic. saecul.*, t. II, p. 236). Talis debet esse, ait S. Ambrosius, qui consilium altero det, ut seipsum formam aliis praebeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora. Talis debet esse qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod mores eius et vitam refellat, nihil improbum ac malevolum, quod avertat consulentes (*De Offic.*, lib. II, c. XVII). Spiritalis Pater discretione sit providus, docet S. Laurent. Iustin., experientia probatus, ordinatus moribus, gravitate maturus, decoratus honestate, sanctarum Scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax et in omni, si possibile est, spiritali disciplina provectus (*De obed.*, c. XX, n. 2).

## Articulus II.

## De dotibus et virtutibus in specie.

### Sectio I. — Bonitas seu Sanctitas.

#### § 1. *De bonitate in genere.*

**21.** — 1. **Requiritur ab ipsa dignitate sacerdotali.**

Dignitas quam sacerdos consecutus est, vitam sanctam per se ipsam requirit. «Altissima est perfectio vestra, ait D. Bernardus, coelos transit, par angelis est, angelicae puritati similis. Non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem et omnis consummationis finem. Non est vestrum circa communia praecepta languere, neque, hoc solum attendere quae praecipiat Deus, sed quid velit, probantes quae sit voluntas Dei et bene placens et perfecta. Aliorum est enim Deo servire, vestrum adhaerere; aliorum est Deum credere, scire, amare, reveriri; vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui» (*De monte Dei*, II, 5). Si sanctitas magna sacerdotibus Veteris Testamenti necessaria erat, quamvis ipsorum esset, ut observat D. Augustinus, boves et oves sacrificare, qualem putas sanctitatem idoneam in sacerdotibus qui Agnum Dei offerunt et peccatores Deo in eius sanguine reconciliant? Non sufficit, igitur, dicemus cum S. Isidoro Pelusiota, nos velle esse iustos et quamdam sanctitatem consequi: oportet, nos sic esurire et sequi iustitiam ut inter laici et sacerdotis sanctitatem eadem distantia intersit quae inter coelum et terram (lib. II, *epist.* 205). Si

quisquis dicit se stare in Christo, ait S. Bernardus, sicut ille ambulare debet, a fortiori qui eius minister est et pro ipso legatione fungitur, inexcusabilis est si Eum non sequatur (*Decl.* c. XIV).

**22.** — 2. **Requiritur ab ipso Poenitentiae Sacramento.**

Sanctitas vitae Confessario necessaria est multiplici de causa. Enimvero nemo dat quod non habet: ipsius autem est animas a peccato liberare atque arcere et ad perfectionem evehere, sicut dictum est. Absque bono exemplo, quod nonnisi ex vita sancta procedere habitualiter potest, ipse, extra Sacramenti Poenitentiae tribunal, quod ibi aedificaret longo ac difficili labore, brevi destrueret. Propterea monet S. Hieronymus: «In te omnium oculi diriguntur; domus tua et conversatio tua, quasi in specula constituta magistra est publicae disciplinae. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas quod aut qui reprehendere volunt, digne lacessere videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere» (*Epist.* 3 *ad Heliod.*).

Mensura, vero, qua Confessarii vita sanctior esse debet laicorum vita, eadem mensura gratiae et dignitatis eius est, adeo ut, quemadmodum dicit D. Gregorius, «non solum sit sacerdotis operatio utilis, sed etiam singularis» (*Past.*, I, 3). In hoc autem Sancti Patres unanimes fere illud Apostoli variis verbis commendant: «*In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (*Tit.*, II, 7-8). *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (I *Tim.*, IV, 12).

Confessarius magis quam exorcistae (et magis quam simplex sacerdos) prae oculis verba quae istis dicuntur nomine Ecclesiae in eorum ordinatione, habere debet: «A mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam eiiciatis ne illis (daemonibus) succumbatis quos ab aliis vestro ministerio effugatis».

Bene meminerit Confessarius quod quemadmodum non sufficit ad munus suum adimplendum malum vitare, sic nec satis est bonum exemplum qualecumque dare: oportet ut ab ipso fideles exempla praeclara recipiant quia lucerna est super candelabrum. Quapropter, Concilium Tridentinum, veluti Patrum et Scripturae monita de hoc colligens, sic procedit: «Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saecularibus in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt ex iisque sumunt quod imitentur» (*De Reform.*, sess. XXII, cap. 1); cum iam superius dixisset: «in conversatione, sermone, scientia Dei populo praeeant memores eius quod scriptum est: *Sancti estote quia ego sanctus sum*» (Sess. XIV, c. 1).

**23.** — 3. **«Sic existimet nos homo».**

Sunt qui munere suo bene, imo optime se functos esse putent si poenitentibus consilia, hortationes, monita deesse non sinant, nihil de coetero advertentes si illis opera propria ad imitationem proponi possent. Gravis illusio quam memorat D. Augustinus; poenitentes enim facilius exemplum quam monitum sequuntur: «Sunt qui non valde curant, ait, quid de illis alter existimet, ignorantes quia cum homo viderit hominem bonae con-

scientiae negligentius viventem, passim se cuilibet et ubilibet coniungentem, conscientia illius cum sit infirma, aedificatur non ad ea quae perscrutatur, sed ad ea quae suspicatur, neque enim homo intrare potest in conscientiam tuam, quam novit Deus» (*Lib. De ovibus*, c. IX).

Quomodo animas fidelium ad aperiendas sibi plagas movebit Confessarius si de illorum numero est qui negligunt illud Apostoli: «*Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*»? (Rom. XII, 17). « Quis in coeno fontem requirat? ait S. Ambrosius; quis e turbida aqua potum petat? Itaque, ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluvionem? Quis utilem causae alienae iudicet, quem videt inutilem vitae suae?... Quomodo eum potes iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi, et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet, cuius animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilii locus, ubi nullus quieti?... Necesse est ut praestantior sit, a quo consilium petitur, quam ille est, qui petet (*De Offic.*, lib. II, c. XII).

En iterum qualem vult esse Confessarium S. Basilius: « Ornatus virtutibus sit, cuius universae totius ipsius vitae actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse... Virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, iniuriarum immemorem, natura

propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non instet, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui denique nihil sit praestantius honore Dei (*De abdic. saecul.*, B, C).

**24.** — 4. **Quid celebres confessarii.**

*a*) *S. Leonardus.* « Panis necessarius, praesertim Confessario, est bonitas seu sanctitas, ait S. Leonardus a Portu Mauritio. Etenim medium efficacius ad persuadendum est bonum exemplum, sicut monet S. Gregorius: « Illa namque vox magis cor penetrat quam dicentis vita commendat (*Past. cur.*, P. II, c. III). Et bonitas ista non importat statum gratiae tantum, sed virtutum exercitium. Cum mihi occurrit Confessarius qui habitualiter vivit in Dei gratia et igneo zelo ad animas salvandas sese impendet, invenisse me fateor thesaurum. Sed heu! lacrimas effundo super vitam multorum qui vita degeneri ministerium tam excelsum apud populum inhonorant, ne dicam quod ad confessiones audiendas saepe in statu peccati vel eiusdem dubio practico accedunt. Est sententia irrefragabilis Doctoris Angelici (P. III, q. LXIV, a. 8), Confessarium, qui in administrando hoc Sacramento, ut instrumentum animatum movet seipsum, causae principali, quae est Deus, cooperans, de solo statu gratiae contentum esse non posse, sed in omni virtute sese exercitandum esse. Nam si tepidus vel corde inquietus, absque orationis exercitio aut mortificationis habitu, misere hoc munere fungetur, verbis languidis corda mentesque non movebit, deficiet ei hortationum et consiliorum scientia, imo forte iudicium sacramentale transvertet absolvens indignos aut dissimulans peccata cum et ipse timet se esse reum » (*Ad Conf.*, 15).

*b*) *S. Alphonsus.* «Ingemiscit Mater Ecclesia, ait S. Alphonsus, tot filiorum suorum perditionem malorum confessariorum culpa; in eorum enim bona aut mala agendi ratione potissimum populorum salus aut pernicies sita sunt. *Dentur idonei confessarii* (aiebat S. Pius V), *ecce omnium christianorum plena reformatio.* Pro certo habendum est, quod si in omnibus confessariis ea scientia et ea morum integritas reperiretur, quam tantum ministerium exposcit, non esset tot peccatorum sordibus mundus ita contaminatus, nec infernus adeo in dies animabus repleretur. Pro bonitate autem non hic expostulatur illa habitualis tantum, qua simpliciter homo in statu gratiae constituitur, sed positiva, nempe quae per virtutum exercitium comparatur, sicut poenitentiae ministrum decet; qui duplici alimento opus habet: uno, ut vitam suam sustentet, altero, ut prolem nutriat.

«Etenim Confessarius aliorum conscientias dirigere debet, quin aut nimia indulgentia, aut immoderato rigore erret: tot vulnera sibi attrectanda sunt, quin se inquinet: cum mulieribus et adolescentulis versandum sibi erit, lapsus eorum in confessionibus maxime pudendos auscultando, quin nec minimum capiat sibi detrimenti: fortitudine cum hominibus praeclaris utendum erit, quin cuiusvis respectu moveatur. Denique, totus charitatem, mansuetudinem et prudentiam redolere debet. Itaque, ut has adimpleat partes, non vulgari opus est probitate, ad quam nemo attinget, si, quotidiana meditatione coadiuvante, in oratione versatus non sit: aliter carebit luce et gratiis huic muneri rite exercendo necessariis, quod (ut dici solet) humeris angelicis etiam formidandum esset» (*Homo Apostol., introductio*).

*c*) *S. Carolus.* Nec minus hortatur ad sancti-

tatem Confessarios S. Carolus Borromaeus. In *monitis* ad Confessarios, praeter alia, haec habet: Confessarius zelo refertus, desiderio motus iuvandi animas easque in virtutibus christianis dirigendi et peccatorem liberandi a vetere consuetudine eumque novo homine induendi, non satis sibi existimet absque gravi peccato hoc sacramentum administrare: sed memor quod ad praedicta bona obtinenda multum confert per se ipsum in primis exequi quod ab aliis expectat, quatenus exempla magis quam verba movent, neque potest doceri ceteris virtus quae non habetur, multum desiderare debet et virtutes colere per quas eam consequi possit.

Hoc omnino necessarium est ne de numero eorum simus de quibus D. Augustinus dicit quod dicta sapientiae studiosissime inquirunt, eamque in doctrina, non in vita volunt habere (*in Ps.* 118, *serm.* 29); vel de iis qui, ut ait S. Hieronymus, pleni vulneribus medicos se esse iactant (*In Is.*, cap. III).

Si vero in vita sacerdotis, qui ad sacrum Poenitentiae ministerium ineundum prope est, non omnia sunt *lux in Domino*, adhibeatur illud remedium a S. Bernardo commendatum: Bonas fac, de cetero, vias tuas et studia tua et ministerium tuum; si vitae sanctitas non praecessit, sequatur saltem (Epist. 27[a]).

**25.** — 5. **Sanctitas praecedat.**

*a*) *Dispositiones augeantur.* Confessarius iampridem bonitate et vitae sanctitate praeditus sit oportet antequam ministerium suum incipiat; non enim consequetur eam per huius sacri ministerii exercitium. Ratio est quia huius muneris labor per se dispositiones iam habitas auget, non creat, et quidem si bonae meliores, si malae peiores

fiunt, adeo ut plerumque sit in via sanctitatis vel perditionis profectus constans et certus.

Bonus ac pius Confessarius in exercitio sui ministerii proficit in vita spirituali et virtute, nam monita et hortationes aliaque poenitentibus suggesta, sibi ipsi imprimis applicat, atque per rectum imo sanctum finem, nempe gloriam Dei, gratiam ampliorem et meritum haud parvum adquirit, sicut docet Catech. Romanus: «Cum quis pure ad sacramentum ministrandum accedit, ex frequenti ministratione gratiam uberiorem, Deo adiuvante, consequitur» (*De Sacr. in gen.*). Sed evidenter contrarium accidit si *non pure* accedit ad ministrandum hoc sacramentum quod diversis causis valde periculosum ipsi Confessario esse potest.

*b*) *Religiosus et sacerdos.* Si simplex sacerdos sanctior esse debet quam quilibet sanctus religiosus sacro Ordine carens, Confessarii sanctitas quanta erit? En autem verba Doctoris Angelici de differentia inter laicum religiosum et sacerdotem non Regularem: «Est ergo considerandum quae praeeminentia potior sit, utrum status vel officii; circa quod duo attendenda videntur, scilicet bonitas et difficultas. Si ergo fiat comparatio secundum bonitatem, sic praefertur status religionis officio presbyteri curati, vel archidiaconi; quia religiosus totam vitam suam obligat ad perfectionis studium; presbyter autem curatus vel archidiaconus non obligat totam vitam suam ad curam animarum, sicut episcopus; nec etiam ei competit principalem curam subditorum habere, sicut episcopo; sed quaedam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur, ut ex dictis patet. Et ideo comparatio status religionis ad eorum officium est sicut universalis ad particulare, et sicut holocausti ad sacrificium, quod est minus holocausto, ut patet

per Gregorium (*super Ezech.*, hom. 20). Unde et 19, quaest. I, c. I, dicitur: «Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopis in monasteriis oportet largiri ingressus». Sed haec comparatio intelligenda est secundum genus operis: nam secundum charitatem operantis contingit quandoque quod opus sit meritorium, scilicet si ex maiori charitate fiat. Si vero attendatur difficultas bene conversandi in religione et in officio habentis curam animarum; *sic difficilius est bene conversari cum cura animarum propter exteriora pericula:* quamvis conversatio religionis sit difficilior quantum ad ipsum genus operis, propter arctitudinem observantiae regularis. Si vero religiosus etiam Ordine careat, sicut patet de conversis religionum, sic manifestum est excellere praeeminentiam Ordinis quantum ad dignitatem, quia per sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris; *ad quod requiritur maior sanctitas interior, quam requirat etiam religiosus status;* quia sicut Dionysius dicit «*monasticus ordo debet sequi* sacerdotales ordines, et ad eorum imitationem ad divina ascendere». Unde gravius peccat, caeteris paribus, clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus qui non habet Ordinem sacrum; quamvis laicus religiosus teneatur ad observantias regulares, ad quas illi qui sunt in sacris Ordinibus non tenentur» (II-II, q. CLXXXIV, a. 7 et 8).

Tales esse convenit Dei cultores, dicit D. Augustinus: graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis eos viderit, stupeat et admiretur et dicat: Hi homines sunt Dei, quorum talis est conversatio (*De vita christ.*, c. IX).

*c*) *Status perfectionis*. Quae cum ita sint haud immerito dici potest sacerdotes esse aliquatenus in statu perfectionis. «Censeo, ait Suarez, sacerdotes ex vi sui ordinis habere statum altiorem et sanctiorem, qui ab eis nonnulla perfectionis opera requirit, ratione cuius obligationis, merito dici possunt aliquo modo, inchoative saltem, in statu perfectionis» (*De virt. et statu relig.*, I, c. XVII).

Quapropter recte Olier, seminarii S. Sulpicii fundator, dicebat ecclesiasticos viros positos esse in Ecclesia tamquam exemplar sanctitatis omnibus vitae statibus; qua de causa adeo praeditos virtutibus et gratiis, omnis status propriis, esse debere ut etiam religiosi, non minus quam viri saeculares, in ipsis invenire possint quod propriae perfectioni necessarium est. Quod si diceretur de sacerdotibus qui saeculum fugiunt, ipsos ut religiosos sese gerere, huiusmodi locutionem nonnisi corruptionis saeculi effectum esse dicendam ob Cleri modicam virtutem; nam si instar Sanctorum loquendum esset, dicendum potius religiosos agere vitam sacerdotibus convenientem, eo quod sit sacerdotalis obligatio essentialis ac primigenia hoc vivendi genus ducere, sicut est religiosorum constans officium imitandi sacerdotes sanctos, et sese sanctificandi per regulas perfectionis quae imprimis pro Clero datae fuerunt (Cf. *Vita*, vol. II, P. III, lib. II).

*d*) *Semper timeat*. Si consideremus quam difficile, imo periculosum sit, sicut dictum est (cap. anteriore), Confessarii officium, non existimabimus, quae modo relata sunt, exaggerata. Ei enim omnis offertur peccator et ante eum statuitur omnis languor, poenitentes, nempe, qui saepe sunt sicut *serpens flatu adurens* (*Deut.*, VIII, 15) non tantum ad inficiendas aures, sed etiam ad maculandum cor.

Unde sequendum illud Sapientis: *Sepi aures tuas spinis* (Eccli., XXVIII, 28); nam verba penetrant cum speciebus et phantasmatibus quae magis vel minus inhaerent animo, adeo ut nequeat Confessarius de se confidere cum semper sit, etiamsi vices Dei gerat, homo debilis fragilisque, cui non extincta est concupiscentia. « Et etiam homo spiritualis, ait D. Augustinus, habens charitatem de corde puro et conscientia bona, appetere potest aliquid mali ex corpore quod adhuc corrumpitur et aggravat animam » (*De Bapt.*, lib. VI, c. I).

**26.** — 6. **Praeparatio proxima.**

Nemo non videt quantum proderit antequam sacrum Poenitentiae ministerium Confessarius ineat, quod quamdam praemittat praeparationem ut Spiritu Domini imbui virtutesque bene exercere possit. Nisi repleamur, ait citatus Olier, cito deficiemus dum alios replere conabimur; et quemadmodum necessarium est cor nostrum vacuum esse ut cor alienum purificare studeamus, ita oportet nos Deo repletos esse si aliis Eum communicare cupiamus (Cf. *Esprit*, p. 216). Ad hunc finem *monebat* ut via ordinaria, longa praeparatio necnon continua adhaesio ac unio cum Deo directioni animarum praemitteretur, dicens Dominum Iesum antequam inciperet instruere populum Iudaicum, in desertum secessisse ut separatus a mundo, ac tentationibus diaboli sese exponens, in ieiunio, oratione et poenitentiae exercitiis perseveraret. En, aiebat, exemplum pro sacerdotibus, qui ad animas iuvandas destinantur; ipsi impendere debent longum tempus propriae sanctificationi per segregationem a creaturis, quantum conditio uniuscuiusque permittit. In hoc sacro recessu attendant multum orationi ut Spiritum Dei et lumina necessaria ad se attrahant;

ieiuniis, mortificationibus, virtutibus magis necessariis insistant ut idonei ad ceteros secure instruendos, regendos ac dirigendos fiant. Si et ipsi per varias tentationes non transierint et probati fuerint, directi et directores in aequale discrimen incurrent (*l. c.*, p. 216).

Qualis praeparatio ad tantum officium erit sufficiens vel nimia? qualis sacer recessus, qualis vacatio Deo, erit supervacanea? Si tanta cura ordinariis officiis praemittitur, in quibus plerumque de negotiis saecularibus agitur, aequum est ut aequali saltem sollicitudine sacerdos ad munus suum adimplendum promptum idoneumque ex omni parte sese reddat. Ut autem brevi quae hactenus exposita sunt complectamur, haec S. Basilii praestat afferre: «Cavere maxime debet qui alios curare nititur ne ipse ulceribus scateat. Quinimo etiamsi se quisque purum ab omnis generis peccato custodiat, dicere tamen non ausim hoc ipsi sufficere; nam se et ad virtutem instituere debet» (*Lib. Apolog.*).

Considerabimus autem quomodo virtutes sui officii proprias, Confessarius in sacro Poenitentiae tribunali exercere possit et debeat.

### § 2. *De Confessarii humilitate.*

**27.** — 1. - Certum est Confessarium in exercitio sui ministerii plerasque virtutes simul exercere: charitatem, quam maxime, instructione, consilio, admonitione, exhortatione; zelum gloriae Dei, quatenus a peccato tot animas revocat vel in eius servitio, amore et gratia roborat, adiuvat confirmatque; mortificationem, eo quod saepe sacrificium magnum sustinet dum peccatorum auscultat confessionem necnon haud parvam animae et corporis

defatigationem; humilitatem, cum in aliis respicit quid de se ipso fuisset si miserentis Dei manus non sustentasset eum; patientiam cum viris vel mulierculis molestis, pietatem et misericordiam cum debilibus et pauperibus, benignitatem erga peccatores.

Sed hic expedit quae magis sunt ad rem exponere et primo quidem de humilitate.

**28.** — 2. **Dependentia a Deo.**

In operibus quae proximum respiciunt, a Deo dependere oportet circa tempus, media et modum faciendi bonum quod per nos operari vult. Ipse solus novit modos opportunos, aptosque ad ea adimplenda quae facienda occurrunt; Ipse operis et directionis arbiter necnon executor principalis. Caveamus dirigere a nobismetipsis, ait Olier, animas nobis commissas, sed potius sinamus nos duci ac regi a Deo: *Si quis loquitur*, ait Apostolus, *quasi sermones Dei: si quis administrat tamquam ex virtute quam administrat Deus; ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum* (I Petr. IV, vers. 11). Necesse est enim ut Iesus Christus in omnibus operetur in ordine gratiae, ut vita in omnibus Ipse sit. Si loquimur, de Eo loquamur et per Eum, committens Illi mentem nostram ut luce repleatur, linguam ut bene moveatur, os nostrum ut per fiduciam in eius auxilio recte, sancte et efficaciter loquamur, et in tempore opportuno ac modo competenti secundum eius beneplacitum et gloriam semper et in omnibus agamus.

«Noli mirari, scribebat cuidam poenitenti ipse Olier qui de hac re bene meritus est, circa consilia exhortationesque diversas quas a me accipis; Deus me non minus quam te probationi subiicit: video Eum actionem suam in te frequentissime

mutare; quamobrem diversitatem illam sequi teneor, attendens quod operatur, auscultans quae mandat. Teneo me iugiter promptum ad nutum eius omnibus momentis vitae meae, nec fatigabor in expectatione consiliorum suorum. Nihil retrahet me de hoc proposito».

**29.** — 3. «**In Domino glorietur**».

Contingit ut Confessarius superbia vel vanagloria tentetur, praesertim in duobus circumstantiis: primum quidem cum alicuius animae peccatricis vel poenitentis vel scrupulosae directionem suscipit et nimis in talenti sui activitate confidens eam ad emendationem, perfectionem, serenitatem vel tranquillitatem conscientiae adducere arbitratur; alterum vero, cum impensis curis circa quamdam animam laete conspicit se finem intentum attigisse et gaudio summo, de se magna concepta aestimatione, incensum tantillum sibi ipsi tribuit. Utrumque autem vera et propria superbia est, Deo iniuriosa et aeque Confessario atque ipsius ministerii exercitio noxia valde.

Porro, suscipientes alicuius animae curam in spiritu veritatis, de nobismetipsis cogitare oportet nos impares esse tanto fructui producendo et talentum nostrum, licet a Deo acceptum referamus, non sufficere magnitudini operae illius quae est in animarum conversione vel perfectione; instrumentum autem, quod sumus nos in manu Dei, non gloriari decet sed humiliari. Etenim illud D. Pauli frequenter ad memoriam revocandum: *Infirma mundi elegit et ignorabilia et contemptibilia* (I Cor. 1, vers. 28). Quod si, contra, nullum fructum ferunt labores insumpti in animae alicuius curam, convenit et decet propriae potius infidelitati erga gratiam Dei totum hoc tribuere, nam etsi culpa

ex parte poenitentis circa hoc adsit, tamen si Confessarius sanctus esset, illi ampliorem gratiam orando obtineret a Deo, *qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum* (Ps. CXIII, 8).

Haud raro grati animi sensus manifestatio ex parte poenitentium, sensim sine sensu in animo Confessarii magnam de seipso excitat aestimationem. Etiamsi autem ipse praeter naturale talentum aliasque dotes studio vel experientia comparatas, specialem a Deo obtinuerit benedictionem circa ministerium suum, in discernendis poenitentium infirmitatibus spiritus et remediis, necnon mediis ad perfectionem in casu particulari magis propriis; memoriae etiam tunc revocandum gratiam hanc esse *gratis datam*, quae, ut ait S. Bonaventura aliique Doctores, *bonis et malis potest esse communis* (*In Centil.*, P. III, sect. XXXV); nempe gratia data *ad utilitatem aliorum*, sicut dicit Apostolus (I Cor. XII, 7) et D. Thomas (I-II, q. CXI, a. 1). Etenim non est signum sanctitatis vel cum Deo intimae unionis. Saepe lumina dantur tantummodo ad aliorum utilitatem quin Confessarius, culpabiliter vel non, sciat vel possit iis pro se uti etiamsi quoad se lumine divino calleat: «Multi sunt, ait S. Vincentius Ferrerius, illuminati ad utilitatem aliorum, qui non sunt illuminati ad utilitatem propriam» (*serm.* II, P. *D. Quadr.*).

**30.** — 4. «**Quae sunt Dei Deo**».

Non licet homini, praesertim sacerdoti, specialiter autem Confessario, gloriari nisi in Domino: «*Qui gloriatur, in Domino glorietur*». «Quidquid boni est, ait S. Augustinus, donatur a Deo. Hoc homo glorietur in Domino» (Tr. 85 in Ioan.). Nec aliter loquitur S. Ioannes Chrysostomus: «A

Deo acceptum habes non hoc aut illud, sed omnia quae habes; non enim tua sunt haec recte facta, sed Dei gratiae. An tu ex te ipso recte egisti? Non potes hoc dicere, sed accepisti» (*Hom.* 12 in I Cor.).

Mos est Dei, ut ita dicam, et regula stabilis, cum de sua gloria agitur, humiles exaltare, superbos autem humiliare: *Qui se humiliat exaltabitur* (Matth. XXIII, 12). Ex experientia huius veritatis, praestat huc referre sententiam quam Palladius asserit communem fuisse inter Patres eremi: «Quando qui habent dotes praecipuas, bonorum datori Deo eas non adscribunt, sed suo libero arbitrio, ingenio et sufficientiae, tunc qui tales sunt, relicti a Providentia, incidunt in facta turpia, probraque et dedecora» (*Hist. lausiaca*, c. XCV). Lux a Confessario animabus transmittenda et communicanda, non potest illum pertingere, etiamsi valde doctus, nisi humilitas aditum aperiat. «Tantum cuique panditur veritas, ait S. Augustinus, quantum capere propter propriam sive bonam, sive malam conscientiam potest» (*De Magist.*, c. XII).

Humilitas ergo a Confessario observanda est fideliter et eo modo quem ipse Deus Ieremiae prophetae ostendit: *Si separaveris pretiosum a vili* (Ier. XV, 19), scilicet, ait D. Thomas, id quod est Dei ab eo quod est hominis (II-II, q. CLXI, a. 3). Dei est omne quod habet rationem boni, et in casu hoc «quidquid pertinet ad salutem et ad perfectionem»; hominis est omne quod qualemcumque defectum importat: «Hominis autem est quidquid pertinet ad defectum». Unde, «humilitas proprie respicit reverentiam qua Deo homo subiicitur» nihil sibi tribuens de iis quae Dei sunt. Cuicumque talentis acceptis bene utenti laus illa erit: *Euge serve bone et fidelis* (Matth. XXV, 21).

Circa hoc autem D. Chrysostomus animadvertit ministrum Dei appellari *servum bonum* «quia bene laboravit ad proximum»; vocari etiam *fidelem* quia nihil sibi appropriavit: «Quia nihil eorum quae sunt Domini sibi appropriavit» (*Hom.* 19 *in Matth.*).

Studeat fidelis Deo esse Confessarius nihil sibi tribuens, etiam cum poenitentes multum in dotibus eius confidant, ad exemplum D. Pauli Apostoli qui id indigne tulit. Paulus, ait S. Augustinus, cum videret aliquos volentes ponere spem in se ipso ait: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* (Tract. 5 in Io.). Quo talentis ditior eo humilior esse debet quia Deo magis debitor, secundum illud S. Gregorii: «Ne nos, qui plus caeteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi gravius inde iudicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione» (*Hom.* 9 *in Ev.*).

**31.** — 5. **Sciat bonum de seipso.**

Oportet Confessarium seipsum bene noscere quoad bonum et quoad malum, ut possit vicissim bonum et malum quod est in proximo cognoscere et conformiter sese gerere in spiritu lenitatis.

Quemadmodum superbus est qui vane aestimat se habere quod reapse non habet vel se esse quod non est, ita haud humilis est qui dona Dei recepta cognoscere non vult ne in superbiam elatus in laqueum incidat diaboli. In hoc autem error est. «Scio, ait S. Bernardus, quosdam esse qui quasi scienter nescire volunt quae acceperunt a Domino ne in superbiam elati, in viscum incidant diaboli. Mihi autem videtur debere scire quid

accepimus, ut sciamus quid desit nobis et ad quae postulanda suspirandum sit. Qui enim accepit et nescit quae accepit, duplici periculo se vicinum constituit; quia ingratus est circa acceptum et incautus circa custodiendum beneficium. Quomodo enim refert gratiam ei a quo accepit, si nescit se accepisse? Vel quomodo solicitus erit custodire qui non meminit se aliquid accepisse?» (*Epist.* 312, *ad Ep. Palent.*).

Ex hac scientia D. Augustinus fidelitatem erga Deum servabat, cavens ne quidquam Ei subtraheret, praesertim cum dona Dei evidenter in se cernebat: «A te, Deus meus, accepi ut essem, et a te quoque accepi ut bonus essem» (*In Ps.* LVIII, *Enarr.* 2); et exinde officium inferebat «ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem et praeparat adiuvandam et adiuvat praeparatam» (*Enchir.* c. XXXVIII). Paupertas ista spiritu, nempe vera humilitas, conditio est necessaria ut gratiae aqua salutaris libere decurrat et ad fontem revertatur. Etenim «certum est, ait ipse S. Doctor, nos velle quod volumus, sed ille facit ut velimus bonum. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati» (*De grat. et lib. arb.*). Haec scire et sequi vera humilitas est. Nam «humilitas, dicit S. Thomas, quae proprie ponitur virtus, non consistit in exterioribus, sed principaliter in interiori; secundum quod aliquis refraenat impetum animi sui, ne inordinate intendat in magna, sed regulam habet in cognitione, ut scilicet quis non se existimet supra id esse quod est» (II-II, q. CLXI, a. 1 et 6). Quam ob rem Confessarius, qui dona Dei in se cognoscit, potest et in quibusdam circumstantiis debet honorem sibi desiderare, id est, curam de bono nomine habere secundum illud: *Curam habe*

*de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri* (Eccli. XLI, 15). *Melius est nomen bonum quam divitiae multae* (Prov. XXII, vers. 1). Hoc enim illud decorum est, dicit S. Bernardus, quod supra omnia bona animae divinos oblectat aspectus et nos nominamus honestum; ex quo etiam foras prodit et relucet omnis actio (*Serm.* 85 *in Cant.*). Imo Apostolus ut praeceptum hoc suggerit: *Quaecumque sunt bonae famae, haec cogitate* (Phil. IV, 8). *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (Rom. XII, 17). Commendat, de Iudith, Scriptura hunc honorem: *Erat haec in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum* (Iudith, VIII, vers. 8). Quapropter S. Augustinus non laudat eos qui «dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, aestimationem hominum imprudenter et crudeliter contemnentes» (*De bono vid.*, c. XII). Etenim «conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo» (*Id., De com. vita cler.*), et S. Thomas haec docet: «Ratione sui ipsius appetere famam vana gloria est; contemnere, humilitas. Ratione vero proximi, famam appetere, charitas est; contemnere, ignavia est et crudelitas... Illi quibus incumbit ex officio vel statu perfectionis aliorum saluti providere, peccant nisi infamiam propriam iuxta posse repellant; scilicet occasionem subtrahendo ex qua scandalum activum sequitur, quod semper est peccatum» (*Quodlib.* X, 13).

**32.** — 6. **Sciat malum de seipso.**

Scire malum, quod est in seipso, videlicet defectus, passiones, inclinationes malas aliaque quae sunt contraria perfectioni, est via certa ad humilitatem.

Tunc Confessarius poterit misericors et benignus non minus quam iustus esse erga peccatores: « Non dico, ait S. Bernardus, ut te facias quod non es, sed ut attendas quod es, quia vere miser es; et sic discas misereri; ne forte, si proximi malum consideres et tuum non attendas, movearis non ad miserationem sed ad indignationem, non ad adiuvandum, non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris..... Considera te ipsum, non tantum qualis es, sed etiam qualis esse potes; omnis enim homo infirmus, omnis homo miser et impotens, qui nec se nec alium salvare potest » (*Tract. de grad. humil.*, c. IV et V).

Et bene meminerit Confessarius quod de seipso affirmat S. Augustinus: « Semper cecidissem, nisi tu me, Domine, sustinuisses... Ego omnia peccata mundi fecissem; sed, quod non fecerim, tu fecisti. Ut non consentirem, tu me tenuisti; ut tentatorem despicerem, tu me confortasti » (*Solil.*, c. XV).

### § 3. *Constans directio mentis in Deum.*

**33.** — 1. **« Quae Dei sunt ».**

Bonitas et sanctitas vitae necessaria est Confessario ut constanter et habitualiter rectitudine et simplicitate mentis gaudere possit, ne dum Deus in animabus crescere et Christus formari in cordibus poenitentium debeat, Confessarius seipsum in eis colat et alat: « Vae, clamat S. Bernardus, vae si quaestum aestiment pietatem; si convertant ad inanem gloriam quod ad lucra Dei acceperant erogandum: si alta sapientes, humilibus non consentiant. Paveant quod in propheta legitur, dicente Domino: *Dedi eis aurum meum et argentum meum: ipsi autem de argento et auro*

*operati sunt Baal* (Osee, II, 8)» - (*Serm.* 42 *in Cant.* 6).

Rarum est fidelem animam inveniri, ait S. Hieronymus, ut nihil ob gloriae cupiditatem faciat (*In dial. c. Lucif.*). Etiamsi autem Confessarius ab hoc periculo immunis sit, quomodo effugiet delectationem illam naturalem et vanam de bono opere patrato, si vitam vere interiorem non ducat et mentem rectam habitualiter non possideat? Nonne viri valde pii, imo sancti, in semetipsis materiam in qua se reprehenderint saepe inveniebant? Necessaria est, ait Beat. de la Colombière, copiosa gratia, aequalisque fortitudo ut resisti possit delectationi quam experimur in convertendis cordibus et in animis ad fiduciam in nos adligandis.

Circa hoc autem Confessarius, ut bene se gerat, accipiat et sequatur doctrinam Doctoris Angelici et in quaestione utrum liceat desiderare munus Confessarii haec attendat: «Unum est principale et finale, scilicet sacramentalis operatio, per quam utilitas proximorum intenditur. Caeterum, appetere munus propter honorem, reverentiam et temporalia, manifestum est esse illicitum, quia pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile et virtuosum: ita quod opus bonum cadat sub desiderio» (II-II, q. CLXXXII, a. 1). Propterea ait S. Laurentius Iustinianus: «Optimum et acceptabile Deo opus est, pro honore ipsius utilitatibus animarum insistere, illarumque continuum fructum spiritualem acquirere, non sibi sed Domino. Qui enim quidquam sibi vendicat quod debetur Christo, fur et latro est; eo damnabilior quo Deo cariora praedatur» (*De compl. Christ. perf.*).

Hoc, itaque, sit primum Confessarii studium, rectam gerere mentem, idest, intentionem suam ut

sibi meritoria ac animabus fructuosa evadat omnis cura in sacro ministerio impensa, adeo ut nihil intendat nisi solam Dei voluntatem: « Quod enim fit ex fine charitatis, ait ipse S. Doctor, est placens in conspectu Dei » (I-II, q. XII, a. 5); ac S. Bernardus iampridem dixerat: « Puritas intentionis est ut quod facis, propter Deum facias » (*Serm.* 3 *in Vig. Dom.*).

Contingit ut in plerisque adiunctis Confessarius de more sincere dicat se sacro ministerio incumbere nonnisi propter Deum; at Doctor Mellifluus invitat nos ut sereno animo consideremus bene quod dicimus: « Usitatus sermo: Propter Deum... Ceterum vivus plane et efficax, ubi non perfunctorie, non quodam velut usu loquendi, sed ex pinguedine devotionis et pura animi intentione procedit » (In Ps. *Qui habitat*).

**34.** — 2. « Vigilate ».

Iam compertum est diabolum cum obtinere non potest ut sacerdos, praesertim Confessarius, cum quo acerrime pugnat in agone, in peccatum prolabatur, nova astutia et nequitia hoc intendit ut in vanum laboret, si non erga poenitentes, saltem quoad seipsum, nullum fere meritum coram Deo relinquens dicensque cum Petro: *Tota nocte laborantes nihil cepimus* (Luc. v, 5). In audiendis autem confessionibus, bonus Confessarius, sui profectus sollicitus, numquam obliviscatur super intentionem propriam invigilare, ne finis inconveniens vel minus sanctus subrepat et meritum laboris, saepe magni nimis, amittat. « Daemon agit, ait S. Gregorius Papa, ut hoc quod rectum coram hominibus agitur, in aeterni iudicis conspectu vitietur » (*Moral.* c. I, 19). Si semel, ait ipse, in intentione cor corrumpitur, sequentis actionis medietas et terminus

ab hoste callido secure possidetur; quoniam totam sibi arborem fructum ferre conspicit, quam dente in radice vitiavit (*Ibid.* XXIX, 6). Ex fine charitatis facta opera nostra, ait Angelicus, facta tunc placent in conspectu Dei... et bonitas intentionis est quae, redundans in bonitatem voluntatis, facit actum meritorium apud Deum (In Matth. VI, 1).

Occasio frequens est in qua Confessarius corde et ore verba illa Domini proferre debeat: *Non quaero gloriam meam* (Io. VIII, 50). Saepe enim contingit ut poenitentes, praesertim mulieres, specialiter mulierculae et iuvenes, quandoque innocenter, praesentiam Confessarii sui saepe habere desiderant, prope illum volunt se sistere, v. g. ad altare celebrantem, vel ad locum confessionibus audiendis destinatum appropinquant. Huic autem productioni spontaneae naturali obsistere debet illico ne mala herba fructum suum malum ad maturitatem portet. Alioquin et ipsius Confessarii simplicitas mentis corrumpitur simul cum poenitentium pietate. Placuit Domino Nostro, ait in suis *memoriis* Ven. Olier, mihi ostendere aliquod de quo instruere et illuminare debeo animas mihi concreditas, videlicet ut caveant a quibusdam sese gerendi modis, quos praecedentes Directores in eis vel promovebant vel permittebant, multum longe abeuntes ab illa puritate animi quam ab illis Deus expectabat ut essent in specie quadam mortis respectu ad omnes creaturas. Verbi gratia, poenitentes cupiunt Communionem recipere in Missa sui Confessarii... Hoc autem aufert multum gratiae Dei operationemque divinam minuit necnon Dei delectationem in eis; hoc est sese loco Iesu Christi collocare, in mentibus et cordibus poenitentium vivere velle, qui non sunt creati nisi propter Deum et ut Deus solus eos possideat. Ideoque oportet ad imitationem

S. Ioannis Baptistae nos abscondere ut Dominus Iesus crescat in animabus simulque cum eo dicentes: *Oportet illum crescere me autem minui* (Io. III, 30). Cum necessitas poscat, utile quidem et officium sacerdotale erit bonum exemplum praebere, sed etiam hoc in casu ita nos gerere oportet ut Christifideles de Ipso tantum mentem et cor suum repleant. Directores sint sicut stella quae Magis apparuit ut ostenderet Dominum, ad Eum perduceret et illico iam non videretur (Cf. *l. c.*, p. 61).

**35.** — 3. « **Praebe cor tuum** ».

Poenitentium spiritualis profectus, in Sacramento Poenitentiae, etsi non gratia sacramentalis, plerumque cum merito quem Confessarius adipiscitur proportionem habet. Meritum autem valde minuitur si poenitentes non respiciantur secundum fidem sed secundum oculorum visum, quemadmodum et ipsi poenitentes tenentur Confessarium adire ut Iesum Christum cuius vices gerit. Deus vult se omnia esse animabus puris quas Ipse seipso replere intendit; quapropter si conscii vel inscii in animabus cor expandimus ac permittimus ipsas in nos similiter se gerere, extra casum spiritualis necessitatis, ut angori, v. g. conscientiae vel magnae afflictioni, saluti animae et corporis valde noxiae, remedium apponatur; a Deo, aliquatenus saltem, elongamur et elongari animas facimus, furamur Deo, fidem et castitatem animae, quae Deo debetur, violamus. Hinc inferri potest quantum praestet, quando cum proximo agimus, nonnisi Deo ita adhaerere ut cordi ne minimam quidem delectationem vel distractionem erga creaturas sinamus, ut monet citatus Olier, qui Sanctorum sententias circa hoc colligit. Oportet, ergo, huiusmodi in adiunctis, cor

in manu gerere, per fidem Deum complecti ne unio nostra cum Eo minuatur, neve in alio quam in Ipso maneamus sicut monuit: *Manete in me et ego in vobis* (Io. xv, 4), adeo ut semper liberi mente et corde, semper Deo pleni, ardentes inveniamur (Cf. *l. c.*, p. 9).

Cavete, monet idem magister, ne aliud praeter Deum respiciatis in iis circa quos curas vestras impenditis; nam si respiciantur in seipsis potius quam consideretur Dominus in eis, saepe ob inclinationem quandam opus vel labor vel monitio vel aliud quidquam fit, et facilius animi motui indulgetur qui, cum non sit in Deo et ex Deo, sed ex naturali gustu, quamquam spirituali, animam gravibus tentationibus tradit et in ipsis sanctis operibus ministerii sacri periclitari facit. Etenim ex hoc originem sumunt desideria poenitentes domi invisendi, sermones inutiles, vana oblectamenta quae non solum tempus valde amittere faciunt, sed absolute benedictionem divinam super nostros labores impediunt. Ex hoc item oritur timor ne poenitentes alium Confessarium adeant quaerentes affectus manifestationem, laudes, tempus loquendi. Unde, ut remaneant, animi motus irregularis et non laudabilis Confessarium, debilem corde, impellit ut animabus omni modo placere studeat quas propterea diligit haud penitus propter Deum; urget pariter ut eis aduletur in imperfectionibus suis, monitionem omittat de bono faciendo maloque vitando, virtute sectanda; item ob timorem ne recedant, condescendere animae infidelitatibus non recusat; neque, dummodo poenitentibus placeat, timet proprium ministerium profanare atque in ruinam labi simul cum eis. «Quam terribile erit iudicium Dei erga istos Confessarios qui causam Domini in animabus tradiderunt! Animae illae sur-

gent contra eos in extremo die coram throno Dei ut iustitia fiat; poena autem pro istis qui huiusmodi cum eis egerunt, eo terribilior erit quo Dominus eas amore ardentiori ac magis tenero prosequebatur» (*l. c.*, p. 11).

**36.** — 4. **Nulla acceptio personarum.**

Ex quo non Deus tantum est finis actionis vel sacri ministerii, exinde, necessitate quadam, subintrat *acceptio personarum* per quam facile Confessarius sequitur motum sensus quem S. Alphonsus dicit *genium;* praesertim cum personis alterius sexus. Verum est quod interdum distinguendi sunt poenitentes et ad personas respicere, sed secundum quod dicit Apostolus: *Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus* (II Cor. v, 15-16); ne illam reprehensionem mereatur Confessarius qui magister debet esse in fide: *Numquid oculi carnei tibi sunt* (Iob x, 6). Distinctio quidem facienda est, sed ut pauper diviti, vir mulieri, iuvenis vel puer adulto viro praeferatur, nisi prudentia aliter in casibus particularibus faciendum suggesserit, vel ut secundum donum Dei receptum unaquaeque anima in virtute dirigatur.

Ob falsam personarum acceptionem charitas frigescit, zelus gloriae Dei ac proximorum salutis evanescit et directio spiritualis noxia fit ipsi Confessario et poenitentibus. Nec sufficeret tunc intentionem rectificare: nisi enim praecedat vitae spiritualis praxis et habitualis in Deum directio mentis, actus ille mentalis nihil vel fere nihil efficeret. Propterea omnes Confessarii, ac proinde Di-

rectores, frequenter ad Dominum Iesum Christum recursum habere debent, ut ab Eo recipiant actu augmentum Spiritus sui ad bene sancteque animas dirigendas. Illi adhaereant constanter in quo est plenitudo gratiae cum sit Ipse auctor gratiae, ut iugiter illa mensura repleantur quae necessaria et utilis est ipsis et animabus sibi creditis. Illum rogent, Eique se donent frequenter ut lux, vis, spiritus in dies augescat non solum in seipsis, sed in ceteris Confessariis ut eodem Spiritu repleti, vitam veram quae ab Ipso est, in animas quas dirigunt diffundant et sic fiat cor unum et anima una.

**37.** — 5. **Instrumentum docile Dei.**

Si nobis persuasum est Iesum Christum esse Ecclesiae suae universalem rectorem, gubernatorem ac supremum cum Sancto Spiritu animarum *Directorem,* quomodo animabus loquemur nisi ab Ipso moveamur? Si veraciter et practice admittimus Ipsum esse fontem de qua gratia in Ecclesiam fluit, cuius nos sacramenta administrantes quodammodo canales efficimur, numquid aliud communicare poterimus quam quod receperimus? Si Ipse est vox, cuius nos *echo* sumus, nonne necessarium est nobis ut secundum Spiritum eius quaeque Ipse loquitur loquamur? Oportet, procul dubio, Directores S. Ioseph imitari, sic sibi ipsi mortuum, propria luce mentis haud innixum ut circa puerum Iesum numquam certe ea usus sit, sed assidue Deo intentus divinam voluntatem circa Filium eius explorabat ut Ei secundum divinam lucem tantum famularetur. Nolumus autem dicere Directores, nempe Confessarios, sperare aut desiderare revelationes bonum esse, ut sese bene gerant erga animas regendas; ordinarius fidei cursus aliter pro-

cedit: expectanda sunt tantummodo ea lumina quibus opus est ad instruendos dirigendosque eos qui a nobis ea postulant, nostrum ministerium adeuntes, ut voluntatem Dei circa se cognoscant. Deus enim carentibus obstaculo et gratiam postulantibus non deest.

Attamen, non sufficit manifestare animabus quod Deus vult ab eis: necesse est ut hoc sancte et debito modo dicatur. Verba quae proferimus sponte aut *genio* quodam, aiebat citatus Olier, etiamsi essent iam ex ore Dei prolata, nonnisi commotionem et animi angorem in poenitentibus excitare possunt; sed, contra, verba in Spiritu Dei prolata, gratiam divinam olentia, pacem cordibus communicant unctionemque quamdam ad Deum elevantem relinquunt.

Optime facit Confessarius si, antequam interroganti respondeat, etiamsi sciat iam quod dicendum sit, ad Deum corde et animo sese elevet, ut eius Nomine pressius loquatur. Si vero differre possit responsio, cum de rebus magni momenti agatur, bonum spirituale animarum quam maxime respicientibus, tunc nonnisi post longam Deo orationem respondere oportet.

**38.** — 6. **Sicut Angeli Dei.**

Per constantem Domino Iesu Christo unionem Confessarii ac Directores animarum erunt augustum templum in quo Pater et Filius iucunde mansionem facientes cum vivifico Spiritu cor sacerdotale sicut sancta sanctorum gloria ac maiestate Dei plenum, iuvandi ac replendi animas vere capax efficiunt. Tunc enim, constanter Domino adhaerens, de eius spiritu vivit Confessarius: *qui adhaeret Domino unus spiritus est* (I Cor. VI, 17); nec facile delectationi naturali circa poenitentes indulget, sed

unico desiderio amorem Dei in eis firmandi vel inspirandi motus, promptus semper est eas relinquere absque ulla mora vel afflictione cum Providentia ita disposuerit; imo eas ad alium Directorem quando Deum ita velle opinatur mittere non dubitat.

Bene meminerimus Directores seu Confessarios angelos vocari quia a Deo mittuntur ad animas; propterea fere aequalis puritas necessaria est, nempe angelicam vitam vivere debent. Ex quo autem aliud praeterquam animas coram se vident, iam eorum missio neque angelica neque apostolica est, sed propensio quaedam naturalis qua creaturis adhaerent modo valde contrario quo Deo adhaereri possit et cum Eo unus spiritus fieri. Num talis adhaesio creaturis, imo poenitentibus unum spiritum efficere potest? Et si efficit, non certe cum Deo neque absque gravi discrimine. Cognosco melius in dies, ait Olier, quam Dominus zelotes velit ut animae Eum respiciant et Ei se totas committant; cum homines adeamus Ipse vult ut nos, etsi cupientes illuminari per eos, Ipsum tamen solum quaeramus, magna fiducia quod bonitas sua nos instruet ac ducet per eos (Cf. *l. c.*, p. 58).

Hic vir Dei gemitos ex imo corde emittebat ob Confessarios Directoresque adulationis amorisque attestationis cupidos. Hoc nonnisi ad adtrahendas animas inservit, aiebat, hoc ad ligandas simul in fasciculum, ad comburendas in inferno, vel saltem in expiatorio igni, bonum est.

Quam ob rem in sacri ministerii exercitio numquam satis pura aut sancta erit ministri intentio quae in charitate vera fundari atque solidari debet ut sit supernaturalis, stabilis, efficax atque proficua. Ex charitate potius dignoscitur bonus Con-

fessarius cum vere bonum poenitentium intendit non sibi placens utcumque. Nihil sic probat spiritualem virum, ait S. Augustinus, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem eius procurat et auxilia praebet (*In Epist. ad Gal.*).

Optima praxis et bonorum fons tam Confessario quam poenitentibus est quae S. Carolus Borromaeus suggerit Dei ministro cum sedit ad tribunal poenitentiae: « Quoties Confessor vocatus fuerit ad confessiones audiendas, sibi ob oculos proponat suo ministerio mundandos esse poenitentes et in Christi Domini pretiosissimo sanguine lavandos » (*Instr. Conf.*).

## § 4. *Paternitas vera.*

**39.** — 1. **Amicus sponsi.**

Desiderium naturale est homini ut ametur; natura ad hoc tota seipsa tendit. Superfluum autem foret Directores vel Confessarios inclinationem hanc circa poenitentes valde esse cohibendam monere. Spiritus Dei servos suos in quadam morte generali constituit ut poenitentes, sicut Apostoli in monte excelso, levantes oculos tantummodo Iesum videant: *Neminem viderunt nisi solum Iesum* (Matth. XVII, vers. 8).

Confessarii qui poenitentes ad se adtrahere cupiunt, sub inani pretextu charitatis vel zeli, similes sunt illis qui a rege ad conquirendum regnum missi, potiri summa imperii conantur et sibi retineri loco regis qui eos misit. Hi Directores animarum, Deo gloriam illam subtrahunt quam Filius suus in animabus vivens daretur si in illis perfecte per sacrum ministerium cresceret in *mensuram aetatis plenitudinis Christi* (Eph. IV, 13). Dominus Iesus Christus cum eis agit sicut cum

illis de quibus dictum est: *Iesus non credebat semetipsum eis* (Ioann. II, 24).

Non est silentio praetereundum quod citatus Olier, expertus animarum director, respondit circa haec duo: Nonne bonum est ut poenitentes vel animae quae recipiunt spiritualem directionem seu formationem in virtutibus et christiana perfectione, suos Directores aestimatione et amore prosequantur? Videtur enim quod consideratio haec et amor haud parum iuvare possit ut ipsi ad amorem Domini facilius lucrentur et monita libentius recipiant. Num, praeterea, dedecet Directores erga animas aequali animi dispositione ornari ut ipsis maiori zelo atque assiduitate serviant?

*a) Deo se committere.* Primae interrogationi respondit quod Directores Spiritum Dei habentes sui obliviscuntur cogitationesque eousque non extollunt; nam exitum laboris non ab illis mediis humanis ac naturalibus, sed a sola et unica Dei bonitate et ex efficacia verbi divini attendunt. Spiritus Dei granum fructificat quod in animabus per verba sui ministri ponit.

Honor et fama necessaria quidem nobis est ad officium nostrum implendum; sed non est nostrum cogitare et exquirere media ad eam adipiscendam, sed potius Spiritui Sancto nos committere penitus solliciti simus ut eam nobis concedat ea mensura quae necessaria est ad gloriam Dei et animarum bonum. Alioquin si bonum nomen quaerimus sub praetextu animarum utilitatis, aperte nos ipsos seducimus et superbiam nostram humilitatis aut charitatis veste contegimus. Ceterum, bonum nomen quo indigemus, non quaeritatur, sed sanctitate vitae, virtutum solida praxi, bonis exemplis datis, iugiter meretur. Quapropter virtutum exempla sequentes et Evangelii monita et spiritum sectantes,

cum amore sacrae recollectionis et vitae absconditae desiderio, sequamur consilium: *Iacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet* (Ps. LIV, vers. 23; Matth. VI, 26).

*b*) *Quid cavendum.* Circa alterum vero, supra laudatus director animarum, dicit nos posse in veritate diligere animas quas dirigimus, sicut rationabile et iustum est ut et ipsae nos diligant; sed cavendum apprime est ne amor ille ex una natura proveniat, ne in humanis fundamentis solidetur, ne ab alio quam a Deo oriatur per quem et in quo diligendae sunt. Si amor ex Deo est, puritate gaudet et ornatur et ab eo nullo modo retrahit, sed magis magisque in dies Dominum animarum et cordium diligit et honorat. Verus amor libertate gaudet et ab omni vinculo terrestri se expertem esse gloriatur.

Praecursor Domini, Ioannes Baptista, ut exemplar circa hoc maxime Confessariis vel Directoribus proponi potest, quatenus ipse alte proclamabat se non esse missum nisi ut Iesum Christum manifestaret Eique viam praepararet, atque omnes ad Eum, vel ipsos suos discipulos adduceret.

Si christiani omnes, a fortiori sacerdotes, praesertim vero Confessarii et Directores, semper prompti ad separationes et sacrificia cordis esse debent. Si fides sicut lucerna super candelabrum splendet in anima nostra, vivida luce, separationem non dicemus absentiam temporaneam, etiamsi tota vita durante; nam quae Deus unit, nec distantia nec vis humana separat neque haec impediunt quominus in Christo Iesu sanctae unionis effectus iugiter sentiantur.

*c*) *Esto fidelis.* Grande martyrium est utique aiebat ipse Olier, totam vitam absque ulla cordis et animi in creaturas effusione et absque ulla

ex ipsis aequali manifestatione transigere. Deo tam accepta est fidelitas ista sacerdotalis, ut post brevem vel diuturnam spiritus siccitatem et naturalem tristitiam, ad occasionem praelii et meriti suscitatam et ad amoris in Idipsum probationem, nos statuat in Seipso et anima nostra omne gaudium omnemque quietem reperiat in abnegatione ab omni creatura et in sola Dei possessione, quin possit absque poena atque vi deinceps quiescere in eo quod non sit Deus. Certum est nos fruituros in coelis eo magis quo in terris omne gaudium creaturarum renuntiaverimus.

**40.** — 2. **Quid de arte quadam Salesii.**

Sunt qui artem a Sancto Francisco Salesio adhibitam in directione animarum promant ut exemplar sequendum, videlicet artem qua Director non solum ducit animam ad amandum Deum directe et in seipso, sed eam educat ut Deum amet indirecte per Directorem seu Confessarium et in persona quae Deum illi repraesentat iuxta illud: «Fac te amari». Notandum autem:

*a*) *Circumstantiae.* Genevensis Episcopi cor sicut arpa quaedam erat in qua chordae plurimae varios animi affectus Deo dante et afflante resonabant: affectum paternum vel maternum, fraternum vel amicum, omnemque affectus tonum. Ceterum, proprius erat illius temporis habitus quidam *cordialitatis* tamquam quid stoicismi theoriae oppositum, adeo ut huc illuc, status hic animorum, *Academias amoris* excitaverit.

Dicebat autem ille S. Doctor praecepta suaviora intolerabilia fieri et difficilia si a corde crudeli, et absque amore imponuntur; praecepta autem quaecumque, esse amabilia si amor ea promat, nam voluntas, aiebat, nonnisi per affectus movetur

(*Teot.* l. I, c. IV, t. IV). « Cor paternum Directoris, scribit ipse in *Introduction à la vie dévote*, libentissime curam suscipit animae cuiusdam in qua invenerit perfectionis desiderium, in sinu eam portans sicut mater quae pondus filii in brachiis suis non sentit. Sed oportet ut sit cor vere paternum; quocirca Apostoli et viri apostolici discipulos suos non solum filios sed filiolos appellant» (*Préface*, t. III, p. 10).

*b*) *Privilegium*. Episcopus Genevensis erat autem « tout sensibilité et tout cœur » sicut ipse dicebat, etiam sub mortem: « Non est in mundo, si quid opinor, anima quae cordialius, tenerius, et ut melius loquar, amantius amet quam anima mea; nam placuit Deo cor meum ita efformare » (*Lettre à la M. de Chantal*, 1620-1621). Amor hic, quem profitebatur, in unaquaque littera sua efflorescebat et variis modis ex corde prodebat (1). Animas vinculis Adam capit ut Deo tradat, sive singulae sive pluribus simul loquatur vel scribat, sive seni sive puero. Ipse quasi identificatur, cum loquitur vel scribit, cum anima quam in via Domini dirigit, adeo ut utriusque bonum non distinguatur; saepe autem Salvatoris memoriam illi evocat, sed habilitate singulari cogitationem Patris spiritualis qui cum ea crucem portat excitare non dubitat. Etsi ob originem nobilitate humana gauderet et usus regios cognosceret necnon mundi modum sese ge-

(1) *François de Sales*, ait M. Faquet, *n'argumente point. Il s'insinue, il enveloppe, il caresse; il fait aimer la religion en se faisant aimer lui-même. Il est le Montaigne du Christianisme et un Montaigne qui aurait de l'humilité. A nul plus qu'à lui ne s'applique le mot de Bossuet: « Quand Dieu forma le cœur et les entrailles de l'homme, il y mit premièrement la bonté!... Avec raison il a considéré tous les hommes comme des enfants très faibles qui ont besoin de maternité »* (*Hist. de la littér. franç.*, Paris, Plon, t. I, p. 304).

rendi; omne hoc obliviscebatur cum circa animas morem paternum gereret.

Nullus director animarum, nec excepto Fénelon, cordi talem sanctam libertatem concessit cum tanta vita atque candore, sicut Salesius, qui penitus omne quod affectus effluvium impediret suppressit. Attamen ipse hodie non adprobaret regulam quamdam dirigendi animas quae ex litteris S. Ioannae Franc. de Chantal a se datis erui possit circa methodum affectivam generalem. Iusta de causa illam monebat ne cui litteras ipsi datas legendas traderet; quapropter ipsa Dei serva cum publici iuris illas facere quidam volebant angorem animi patiebatur dicens: « Mundus non est capax intelligendi haud comparandam puritatem dilectionis istius sancti » (1).

Sed notandum bene quod post duodecim annos in hac sancta unione spirituali transactos, S. Doctori bonum visum est, ob stimulum gratiae interioris, hanc puram ac efficacem dilectionem Deo in sacrificium offerre ex utraque parte. Illi mandat ut non sibi complaceat amplius in cogitatione illius sanctae amicitiae initae pacto ut facilius ad Deum ipsum pervenirent. Nam media propter finem hunc, iam uterque attigerat, Deum summe diligendo; quapropter sacrificium iam faciendum esse ratus est

(1) Fonsegrive in *Revue de Paris* (1er janvier 1912) haec de S. Francisco Salesio erga S. I. Chantal, habet: *Quelque chose manquerait à la gloire de notre espèce, oui vraiment, si de telles affections n'avaient jamais existé... Il y a entre les âmes des relations singulières dont elles seules jugent bien; il y a une pudeur de la tendresse, même la plus chaste, parce que les signes et les paroles peuvent s'interpréter de mille façons. Aux grossiers les sons n'arrivent que déformés par leurs oreilles grossières. Il n'y a que les êtres qui s'aiment pour entendre justement, pleinement, exactement, les paroles qu'il s'adressent. Chaque couple d'âme a son idiome. Malheureusement comme ce langage use lui-même des mots ordinaires, tous le croient aussi bien entendre, et de là tant de contre-sens.*

et illico obtulit. Scribit itaque illi dicens quod Dominus eam diligit; quapropter nihil neque ullus inter illam et Dominum sit; ne cogitet deinceps circa amicitiam neque unitatem quam Deus operatus est inter se et ipsam (21 mai. 1616) - (1).

*c*) *Conclusio*. Itaque director spiritus, qui Salesium imitari queat, debet utique non solum animas amare, sed facere ut ipsae sentiant se esse ab eo dilectas sancte in Domino; sed quam difficile et raro hoc contingere potest absque ullo discrimine! Quanta prudentia necessaria esset si in casu particulari alicui sancto, qui aequalia dona ac virtutes receperit a Domino sicut Salesius, haec methodus adhibenda foret! Praesumptio enim et insania est, ex parte illius qui non est sanctus ut est Salesius, verbis et affectibus iisdem uti. Unumquodque tempus suum habet characterem. Non est licitum, praesertim iuniori directori, omnibus temporibus tono affectuositatis tenerae uti quo, tribus ante saeculis, magnus episcopus et valde sanctus, ut talis ab omnibus habitus, usus est. Alioquin rememorandum est Salesium a directore spirituali sapientiam, prudentiam, virtutem talem requirere quae a paucis possidetur. Antequam, de caetero, haec methodus adhiberi posset, severe seipsum pro-

(1) *Quand sera-ce*, interrogat ipse Sanctam Ioannam, *que cet amour propre ne désirera plus les présences, les témoignages et significations extérieures et ainsi demeurera pleinement assouvi de l'invariable et immuable assurance que Dieu lui donne de sa perpétuité? Que peut ajouter la présence à un amour que Dieu a fait, soutient et maintient?* (*Lettre*, 15-17 mai 1616). En autem quae ipsa respondebat : *Mon Dieu, mon vrai Père, que le rasoir a pénétré avant!... O Dieu! qu'il est aise de quitter ce qui est autour de nous! Mais quitter sa peau, sa chair, ses os, et pénétrer dans l'intime de la moelle, qui est, ce me semble, ce que nous avons fait, c'est une chose grande, difficile et impossible, si non à la grâce de Dieu* (Ctr. *Vie et œuvres de S. Jeanne de Chantal*, t. IV, et *Lettres*, t. I).

bare deberet director; seipsum in excelsis gratia Dei collocare ubi discrimen rarum foret et suspicio impossibilis; cor suum bene a Deo possideri et affectuum penitus dominator sub directa spiritus Dei actione ipse esse oporteret (1).

Conditiones hae et monita haec erant non tantum in intentione S. Doctoris, sed expressa sunt formaliter in capitulo quodam libri *Introduction*, ubi boni directoris qualitates enumerat. Bonus director, electus inter mille, imo inter decem millia, adaptare debet, secundum Salesium, eloquium suum exigentiis legitimis et etiam temporis praeiudiciis, evitare praetextum malevolentiae et calumniae, amare et amorem summa prudentia monstrare nonnisi ea mensura qua anima directa dare possit suam cooperationem actioni Dei per fiduciam in Directorem vice Dei loquentem, promptus semper alio eloquio uti statim ac finem iam obtinuit (2). Ad exemplum

(1) *Nous ne retiendrons pas le réquisitoire de La Bruyère qui porte bien contre la direction de conscience une condemnation de principe mais pour des raisons de fait auxquelles eût pu souscrire saint François de Sales.* « *Je ne comprends pas, dit l'auteur des* Caractères, *comment des gens en qui je crois voir toutes choses diamétralement opposées au bon esprit, au sens droit, à l'expérience des affaires du monde, à la connaissance de l'homme, à la science de la religion et des mœurs, présument que Dieu doive renouveler en nos jours la merveille de l'apostolat, et faire un miracle en leurs personnes, en les rendant capables, tout simples et petits esprits qu'ils sont, du ministère des âmes, celui de tous le plus délicat et le plus sublime* » (Caractères, t. III, 42. *Voir aussi* ch. VI, 61). *Or, nous savons que saint François de Sales exige expressément du directeur qu'il soit saint, prudent et savant.* (Francis Vincent, *Saint Franç. de Sales, directeur d'âmes*, p. 408).

(2) S. Franciscus Salesius dicebat de quadam nobili muliere, M. Bourgeois: *C'est un esprit qui ne peut être conduit qu'avec amour et confiance; confiance... toujours nourrie de nouvelles et continuelles demonstrations d'affection* (*Lettre à la Chantal*, 11 mars 1610). Confidentia haec *toujours nourrie de démonstrations d'affection*, volebat ut concederetur, mensura variata, omnibus animabus.

Salesii, director animam suam liberam servat vel liberare scit et potest statim ac necessarium est.

**41.** — 3. **Rarum quod est pretiosum.**

*a*) *In summitate.* Vera et sancta paternitas spiritualis in summis montibus spiritualitatis permanere debet, maxime erga animas sanctiores atque perfectiores. Haud est difficile errare sub praetextu boni apparentis. Quamquam enim oportet magis diligere eos qui cariores Deo sunt et sanctiores: item, etsi verum sit quod largiente Deo gratias speciales eorum conversatio perutilis aliis esse possit, nihilominus convenit ab eis, praesertim a mulieribus, longe esse, nec cum eis loqui extra locum Confessionibus audiendis quaerere, nisi Deus ipse clare aliter voluerit, sed potius in continua dependentia ab eius Spiritu permanere. Uniones quasdam animarum Deus operatur ob fines particulares, sed raro hoc evenit; nam privilegium est in gratia specialissima fundatum. Cum ab Eo procedat unio illa sancta ac quasi divina, — nam ipse Deus est vinculum — magnum bonum utrique provenit. Sed eam desiderare vel efficere, temeritatis est.

*b*) *Monita.* 1) Convenit, si quando id facere Deus dignetur, ut secundum Spiritum Dei sese gerat cum necesse sit extra confessionem loqui, ne occasio detur diabolo ut animam illam ex celsitudine virtutis ad ima descendat, vel, ad minus gradum aliquem virtutis et fervoris spiritus amittat.

2) Si vero Director, postquam cum animabus istis communicaverit colloquio spirituali, difficile aut grave ferat ceteris animabus inferioris virtutis curandis incumbere, potest ac debet suspicionem de praecedenti communicatione concipere, quod haud perfecte sese gesserit vel non totum a Deo et per Deum fuerit.

3) Bene meminerit Director animas plerasque, sanctiores saepe esse quam charismatibus ditatae quia humiliores et in abscondito viventes, incognitae ipsis Confessariis, et teneat monitum hoc a S. Augustino: «Si placent animae, in Deo amentur, quia et ipsae mutabiles sunt, et in illo fixae stabiliuntur, alioquin irent et perirent. In illo ergo amentur; et rape ad eum tecum quas potes et dic eis: Hunc amemus, hunc amemus. Ipse fecit haec et non est longe» (*Conf.* lib. IV, c. XII).

4) Hic autem non praetereunda silentio occasio quaedam sese animabus plus aequo ligandi. Caveat Confessarius ne negotiis saecularibus et huiusmodi quae poenitentes respiciant sese immisceat nisi ob casus conscientiae resolvendos, nempe ea mensura quae officio suo necessaria est. Convenit ut pro consiliis quaesitis viris expertis de re saeculari remittantur et poenitentibus orationum auxilium promittatur.

5) Si Confessarius vel Director religiosus alicuius communitatis est, ne sit contentus ut apud poenitentes sua propria quaeque omittat, sed obliviscatur etiam per sacrum ministerium negotia vel bonum, vel prosperitatem suae communitatis promovere. Sub specie zeli religiosi quidam desiderio moventur communitatem vel Institutum proprium augendi vel maiorem in lucem ponendi, obliviscentes quod humiles quoad seipsos esse non sufficit nisi sint humiles respectu communitatis, quam vanitate et superbia semper inordinate extollere super omnia conantur. Gratia autem et benedictio Dei super propriam familiam religiosam iisdem mediis adtrahendae sunt quibus pro nobismetipsis utimur, nempe proprii status virtutes fideliter sectantes et legibus obtemperantes.

**42. — 4. Charitas sit ordinata.**

Quamquam vero omnibus charitas extendenda est, tamen cum amare ordinate teneamur, praeferre possumus propinquiores et eos quibus magis benefici esse debemus: «Cum charitas sit ordinata, ait S. Thomas, oportet ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus quibus convenit nos magis beneficos esse, et hi sunt qui nobiscum maiorem propinquitatem habent» (II-II, q. XXVI, a. 6). Quapropter, Confessarius, cum sit omnium suorum poenitentium pater spiritualis, secundum quod legitur in antiquis canonibus: «omnes quos in poenitentia accipimus, ita filii nostri sunt ut in Baptismate suscepti», non est dubium quin inter principalia officia propria ponere possit et debeat charitatem erga suos poenitentes, prae ceteris exercendam, omnibus modis et mediis quae sacrum ministerium decent. Si habes filios spirituales, ait S. Augustinus, da eis disciplinam ut pater (*Tract.* 7 *in ep. Ioan.*).

Quoniam autem charitatis praeceptum ad hoc adstringit quod proximum quisque sicut seipsum diligat, primum officium Confessarii circa charitatem est ut seipsum recte diligat: *Diliges sicut te ipsum;* sed prius est, ait idem S. Doctor, ut te ipsum diligas, ut non erret regula: sicut te ipsum (*De disc. christ.* c. VI). Dilectio enim hominis ad seipsum, ait S. Thomas, est sicut exemplar dilectionis ad alterum (II-II, q. XX, a. 4). Sibi ipsi, igitur, attendat ne offendat suam conscientiam ne venialiter quidem aut imperfectione voluntaria: siquidem «ipse non debet subire aliquod malum peccati, ut proximum liberet a peccato» (Id. *ibid.*). Alioquin illi dicendum cum S. Augustino: Intuere in te unde diligis proximum (*Tract.* 17 *in Ioan.*), videlicet qua ratione diligit suos poenitentes cum

seipsum non diligat. Ipse enim diligere debet eos «propter eorum salutem aeternam» (Id., *De serm. Dom. in monte*, c. 12), ut nobiscum frui possint Deo (Id., *De doctr. christ.*, c. XXIX). Quolibet alio amandi modo Confessarius fit «ex patre spirituali proditor execrabilis animarum» sicut dicit Gregorius XIII in Constitutione *Universi dominici gregis*.

**43.** — 5. **Laboret ut pater.**

Nonnisi charitas vere paterna laborem, «pondus diei et aestus» sustinere potest in sacro ministerio confessionibus audiendis; sola charitas paterna mentem placidam et liberam servare potest ut scientia iudicis uti valeat absque errore, saltem gravi, quem secum ferunt animi turbatio et taedium. Non est multum laudabilis zelus si, in charitate paterna, patientiae et labori non sociatur. Confessarius, si vere *pater* est, laxitatem simul et severitatem vitat in iudicio, praesertim cum alterutra ita uti posset, ut poenitentem absolutum vel non absolutum dimitteret, plagas suas retinentem. Sola charitas paterna Confessario moralem sanam iudicis et peritiam prudentis medici suggerit necnon utriusque bene compositum usum, adeo ut labore suo magnum bonum poenitenti obveniat: «Confessarius, ait S. Raymundus, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare; habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate; adiuvet confitentem orando, eleemosynas et caetera bona pro eo faciendo, semper eum iuvet leniendo, consolando, spem promittendo, et cum opus fuerit etiam increpando, doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris qui vult fieri particeps gaudii» (*Summa*, III, p. 465).

### § 5. *Zelus verax.*

**44.** — 1. **Sacrificium Deo acceptum.**

Post Missae Sacrificium, habet Sacerdos sacrificium aliquod offerendum Deo, praeter suipsius abnegationem et *vitam in Deo cum Christo absconditam* (Col. III, 3), nempe zelum pro animarum salute: «Nullum sacrificium est Deo magis acceptum, ait S. Gregorius, quam zelus animarum (apud S. Th., II-II, q. CLXXXII, a. 2). Et nihil est, addit S. Thomas, magis meritorium quam Deo offerre primum animam nostram, deinde animas proximorum; nam quis ignorat dignitatem ac valorem animae maiorem esse incomparabiliter quam quidquid aliud»? «Offerre debet aliquis Deo animam suam, secundo autem animas aliorum; sicque magis meritorium est offerre Deo animam suam et aliorum quam quaecumque alia exteriora bona» (Ibid. *l. c.*). Hinc notandum:

*a*) *Modus.* Cum autem zelus nihil aliud sit quam charitas fervens, vel ardens voluntas, ut ait S. Petrus Chrysologus (serm. 135), debet Confessarius zelum suum, id est, ardentem voluntatem suam in poenitentes manifestam facere non tantum ipso sacro ministerio, sed et operibus cum hoc connexis et praesertim oratione.

Si vere et ardenter quis bonum proximi operari intendit, omni ope ac studio nititur ab ipso repellere omne quod bonum ei volitum removet aut minuit: «Zelus, ait S. Thomas, ex intensione amoris provenit; quando enim amor intensus est, quaerit repellere quidquid bono amato repugnat» (I-II, q. XXVIII, a. 4). Hoc est praeceptum charitatis quod dedit Dominus Iesus: *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Io. XIII, 34). Salvator non con-

tinuit in corde amorem erga nos, sed dolore ac morte necnon dono suipsius clare manifestavit. Similis sit amor, praesertim Confessarii erga poenitentes, non in quantitate vel intensione sed in qualitate: «Dicitur: *sicut*, non ad expressionem quantitatis sed similitudinis; idest: sicut ego dilexi vos, eo modo vos diligite» (S. Bern. *serm.* 5 *in Coena Dom.*).

*b) Hortationes.* Non est mirum, propterea, neque novum hoc eloquium: «Adeo vos complector atque exosculor... ut anathema etiam a Christo esse, ac nonnihil ut damnatus perpeti non recusem, modo nobiscum adiungamini, communibusque animis Trinitatem celebremus». Haec verba S. Gregorii Nazianz. verba Pauli Apostoli conclamant: *Optabam ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (Rom. IX, 3). His inspirantur haec S. Ioannis Chrysostomi: «Optarim, si fieri possit, ut ipsis oculis meam erga vos charitatem valeam ostendere... Optarim enim ipse vel millies execrabilis esse, si queam per hoc vestras animas convertere... si quando contigerit vestrum peccare quempiam, dormienti mihi observamini. Emoriar, nisi videor similis dolore exanimatis, nisi attonitus, et ut verbis propheticis utar, ipsum lumen oculorum meorum non est mecum. Nam quae spes nobis, si vos non proficiatis? Rursus, quantum animi solatium, si vos probati sitis? Gestire mihi videor, quoties boni quidpiam audio de vobis. Implete meum gaudium... omnia mihi vos estis, et pater, et mater, et fratres ac liberi» (*In Actus Apost.*, c. II, hom. 3).

*c) Veri servi.* «Idcirco nempe nos ille elegit, ait ipse, ut simus quasi luminaria, ut veluti fermentum evadamus... ut veluti Angeli cum hominibus versemur in terris, ut tamquam viri cum infantibus pueris, quasi spirituales cum animali-

bus, ut ex contubernio nostro ingentia illi lucra conquirant, ut semina simus, ut fructum laetissimum afferamus; nihil opus esset verbis, si in hunc modum vita nostra sanctitatis luce fulgeret» (In I Tim., hom. 10).

«Scitote, docet idem S. Doctor, quia mercenarii sumus conducti... Sicut ergo nemo conducit mercenarium ut hoc solum faciat quod manducet; sic et nos non ideo vocati sumus a Christo ut haec sola operemur quae ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius qui hoc solum facit quod manducat, sine causa ambulat in domo; sic et nos si et sola haec facimus quae ad nostram pertinent utilitatem, sine causa vivimus super terram. Et sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde diaria sua; sic nos si mercenarii Christi sumus, primum debemus aspicere quae ad gloriam Dei pertinent, proximique profectum; quia charitas et verus amor erga Deum non quaerunt quae sua sunt, sed ad libitum amati cuncta desiderant perficere. Et sicut mercenarius totum diem circa Domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum: sic et nos omne tempus vitae debemus impendere circa opus gloriae Dei» (*Homilia* 34 *in Matth.*).

**45.** — 2. **In spiritu lenitatis.**

Perfectus zelus enixe ac summo studio operam navat ut animas ad emendationem vitae et ad perfectionem ducat; si vero istam non consequantur eo tempore quo oportet, ingemiscit et dolet, sed non desistit ab inceptis curis nec quiescit: «Zelus satagit, ait S. Augustinus, emendare perversa, nec quiescit: si emendare non potest, tolerat et gemit, nec incurabilem detestatur; nec umquam dicit: Quid mihi est curare aliena?» (Tr. 10 in Ioan.).

Non est omittenda, ut patet, reprehensio vel monitio si opportunitas et prudentia suggerat; attamen *benigne* facienda est. Nam non legitur Dominum Iesum peccatoribus poenitentibus verba aspera dixisse; oportet ad eos loqui in *spiritu lenitatis*, ut ait S. Paulus, cum et ipse Confessarius sit ex semine Adae, in eadem peccata incidere promptus: *considerans te ipsum, ne et tu tenteris* (Galat. VI, 1). Non est enim ratio magis ad pietatem inclinans, ait S. Augustinus, quam quod ipse Confessarius eodem periculo exponitur: nihil enim sic inclinat ad misericordiam quam proprii periculi cogitatio (In Gal. VI, 1). Quapropter, his animi sensibus S. Ambrosius sic orabat: Quia et ego laborem pro Ecclesia tua, Domine, suscepi, fac primum ut condolere noverim peccantibus affectu intimo, ne superbe increpem, sed defleam (*De Poenit.*, l. II, c. VIII). Nam, non est credendum zelum correctionis insociabile pietati: Capax est, docet S. Bernardus, ministerium et zeli et miserationis (*Epist.* 257 *ad Eug. P.*); quinimo signum certum bonitatis zeli est ipsa sua ex corde origo.

Quapropter «audiant praelati, clamat S. Ambrosius, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini, qui iudicatis terram, discite subditorum vos matres esse debere, non dominos; studere magis amari quam metui; et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica; matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis» (Serm. 23 in Cant.).

**46.** — 3. **Peccatores ne diffidant.**

Per parabolam de filio prodigo docentur a Domino tam peccatores quam Confessarii: ut peccatores, ait S. Ioannes Chrysostomus, ne diffidant reverti et discant sacerdotes quomodo eos recipiant

(Hom. in Luc. 15). Imprudentiae est quod Confessarius gravitatem ac serietatem talem prae se ferat ut timiditatem timido aut diffidentiam pusillanimi adaugeat; benignum potius ac affabilem se praebeat ut fiduciam inspiret et animum extollat quemadmodum sese gessit pater illius qui in Evangelio ut prodigus seu dissipator et peccator dicitur, de quo S. Augustinus: Filius merita sua attendens diffidebat, sed pius pater filio quod desperaverat offert (*De temp. barb.* c. v). Verum est quod aliquando cavendum est ne praesumptio in poenitente alatur, sed hoc periculum, monet idem Doctor, minus est: Ne quis desperatione ipsa peior fiat. Si homines augent peccata spe veniae, magis veniae desperatione peccata augerent. Qui sperat vitam non negligit medicinam. Ideo Deus, ne desperatione homines peius viverent, promisit indulgentiae portum (In Ps. CI, conc. 1).

Sacerdos qui in via ad Gericum viso homine, *semivivo relicto praeteriit*, figura est Confessarii absque charitate; e contra, Samaritanus qui, *misericordia motus*, plagas illius curare studuit, figura est Iesu Christi et etiam Confessarii qui Eum per dilectionem proximi imitatur.

Audiat, ergo, Confessarius quae docet S. Gregorius P.: «Si quando zelus rectitudinis exigit ut erga subiectos saeviat, furor ipse de amore sit, non de crudelitate; quatenus et iura disciplinae foris exhibeat, et intus paterna pietate diligat, quos foris quasi insequendo castigat» (*Hom.* 17 *in Evang.*). «Si quorum forte sunt vitia, haec maturis obiurgationibus increpate, ut ipsa quoque Sacerdotalis indignatio, virtute sit admixta dulcedinis; quatenus et tunc a subiectis amari debeat etiam cum graviter timetur» (Ep. I). «Nam et equos indomitos blanda prius manu tangimus, ut

eos nobis plenius etiam per flagella subigamus: et amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur, ne ea quae saluti profectura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur, et dum gustus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuatur» (*Pastor.*, P. III, adm. 18).

**47.** — 4. **Martyrium secretum.**

Haud pauci Directores seu Confessarii, libenter labores tolerant atque cum zelo propter bonum poenitentium sustinent; sed pauci dispositi sunt sicut oportet, contradictiones ac difficultates aequo animo ferre. Imperfectiones permanentes in poenitentibus animum Directoris despondent, eorum sese gerendi modus displicet ac grave fertur, peccata etiamsi levia, sed frequenter repetita, spem emendationis adimunt. Unde paulatim a se eos removere student, obliviscentes quod Salvator noster non ita se gessit erga discipulos suos non minus miseriis scatentes ante Pentecostes diem, nec ita se gerit erga nos, imo non obstantibus imperfectionibus ac peccatis nostris quotidianis, effectus suae charitatis, vigilantiae ac sollicitudinis experire nos saepe saepius facit. Oportet in casibus huiusmodi Deum enixe rogare, vitae interiori magis incumbere. Zelus animarum verus et perfectus est, ait B. Albertus Magnus, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, ieiuniis atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat (*Parad. anim.* c. XXVI).

Elaborandum est fortiter animo quin ad exitum respiciatur. Quod amor naturalis operatur in patribus, charitas Christi, quae *urget nos*, id exercitare debet fortius in nobis adeo ut infidelitates ex parte illorum, quos filios spirituales habemus, zelum magis excitent quam minuant. Vult autem Do-

minus, in casibus quibusdam obstinatae infidelitatis ex parte poenitentium, ut afflictionis quam ipse sentiit in perditione vel perversione animarum participes simus. Ceterum, oportet ut conscientia nostra ita disposita sit ut in die iudicii vere possit dicere cum ipso Iudice: *non perdidi ex eis quemquam* (Io. XVIII, 9).

Imitemur et nos sanctorum labores pro animarum salute. «Fuerunt ante, ait S. Bernardus, qui se totos ovibus pascendis exponerent, pastoris opere et nomine gloriantes: nihil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent; non quaerentes quae sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere et seipsos. Unde unus illorum: *Et ego*, ait, *superimpendar pro animabus vestris*. Unus erat de subditis quaestus, una pompa, unaque voluptas, si quomodo eos possent parare Domino plebem perfectam. Id omnimodis satagebant etiam multa contritione cordis et corporis, in labore et aerumna, in fame et siti, in frigore et nuditate» (*De Consid.*, lib. IV, c. VI).

**48.** — 5. **In dolore paries.**

*a*) *Casta generatio*. Sicut mater in lucem filium edit in magnis doloribus, ita pater spiritualis non potest bene officio suo fungi erga animas nisi eas orationibus, gemitibus, doloribus, poenisque ac poenitentiis propriis sublevaverit. Emenda est aliquo modo dignitas paternitatis spiritualis sub crucem Domini, imo in cruce cum Domino, ad imitationem B. Virginis quae, dolores quos in partu suo virginali non sentiit, duplicatos ante Filium e cruce pendentem subiit. De spirituali generatione illa propterea dicta sunt: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim me-*

*moria illius quoniam apud Deum nota est et apud homines!* (Sap. IV, 1).

*b*) *Ad meliora.* Expectemus patienter, adtrahamus animas infideles vel tepidas, excitemus eas ad altiora, ad meliora, rogantes Deum. *Expectans expectavi Dominum et intendit mihi et exaudivit preces meas* (Ps. XXXIX, 2). Dicendum tamen est illis omne quod necessarium et utile ad bonum ipsarum consequendum; nam proditoris esset et peccatum contra charitatem timiditas illa quae omittendam docet monitionem circa officia et defectus etiamsi non graves sint. Non despiciamus quemquam, etsi valde rudem, sicut nec pater filium imbecillem, nec desperemus de bono illius: «Hominem non contemno, ait S. Ioannes Chrysostomus. Licet unus sit, homo est, animal Deo charissimum. Licet servus sit, contemnendus mihi non videtur. Non enim dignitatem quaero, sed virtutem; non dominationem aut servitutem, sed animam. Licet unus sit, homo est propter quem coelum extensum est, sol lucet, luna decurrit, aër diffusus est, fontes scaturiunt, expansum est mare, prophetae missi sunt, et lex data est. Et quid opus est omnia persequi? Propter quem unigenitus Dei Filius factus est homo» (*hom. in terrae motu*).

*c*) *Bonus pastor.* Sunt matres quae vitam in pariendis filiis amittunt; eccur autem pater spiritualis qui dignatione Dei mirabili ad generationem spiritualem sociatur ut instrumentum, vitam quoque suam reservaret temporalem pro vita gregis Domini aeterna? «Quam multa propter hunc gregem, ait idem S. Doctor, passus est Christus: Homo factus est, servi formam assumpsit, consputus est, alapis caesus est; postremo ne mortem quidem recusavit et quidem ignominiosissimam: quin et ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si

quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Nullum enim officium hoc Deo carius est » (*Orat. de S. Philog.*).

**49.** — 6. **Hortetur ut mater.**

*a*) *Dulcis et fortis.* Director constanter duplicem cordis dispositionem habeat: amorem patris ut animas ad sua officia et munera implenda adiuvet. increpationes suaviter faciat, medicinas in tempore opportuno subministret nihil curans de earum amaritudine neque de aegrotorum repugnantiis, quamquam eis dulce quoddam admiscere debet. Simul autem amorem maternum erga eas demonstret in exhortatione, in consiliis, in verbis ad sublevandum animum aptis; studeat materne eis aliquando congratulari et laudem quamdam dare de opere vel de victoria patrata super passionem, defectus, imperfectiones, habitus; sed sit moderata et prudens laus ne appetitus laudis subrepat; in memoriam illis revocet quod omne *donum ac datum perfectum desursum est*, et quod nos *sine Iesu nihil possumus facere;* perseverantia quoque donum Dei est.

*b*) *Paterna poena.* Vero amore paterno et simul materno ingemiscit quidem Confessarius vel Director cum monita sua non recipiantur a filiis spiritualibus, sed animum non despondit, imo mediis efficacioribus utitur ut finem consequatur.

En quomodo sese gerit et quomodo loquitur unus ex istis vere amantibus patribus, iam laudatus Olier, ad quemdam filium spiritualem: « Anima mea patietur omne quod pati potest in hac vita usque dum videro animam tuam vacuam ab omni creatura et apertam tantummodo Iesu Christi plenitudini. Poena ista, cuius principium est charitas,

martyrium est quod imaginari non potest. Doloribus istis intelligo aliquatenus moerores interiores Iesu Christi circa animas sanctas cum in puritate amoris non operantur, sed propter se ipsas aut alios agunt. Intuitus interior animae ad Iesum est valde acceptus et dulcis huic optimo Magistro, ut si contingat ipsam in creaturas sese ferre, Cor Iesu offendatur, eo quod videt perire coram se omne quod Ipse consecutus sit tot curis, servaverit sollicite, possederit peramanter.

c) *Erga infidelitates.* «Anima huiusmodi dilecta caveat ne cor suum creaturis tradat, nam Iesus eam possidere solus vult, absque ulla in creatis minus ordinata delectatione: haec enim partem cordis abriperet quod totum Dei esse debet.

«Deus quidem amari vult ubicumque est; vult per consequens ut ametur in proximo nostro; sed non vult quod leviter tractetur creatura in qua Maiestas sua inhabitat. Propterea, animae quae statui illi puritatis propinquant ob quem Deus zelotypus magis ac magis in earum amorem est, a mundo declinent. Desiderium videndi, possidendi aliud praeter Ipsum, vivide Eum ferit. Non crederes zelotypiam Eius amoris et dolorem quem expertus est vel experiretur in tali cordis divisione! Deus autem, propter misericordiam suam, angores hos me vult pati fortiter tamquam si novacula acuta recideretur cor meum, vel si a bestiis crudeliter morderer: infremo totus cum anima a Deo mihi commissa in creaturas diffunditur. Ipse moerores istos iis communicat quos capaces reddere vult ceteros liberandi ac in seipsis puritatem animi adaugendi promptiores. Maiores autem patior angores cum animae istae in semplicitate erga Deum non vivunt, sed ad res feruntur sponte, in se vero falsam intentionem quasi Deum quaerant efforman-

tes ac dicentes per Eum se ea velle cum propter semetipsas agant et loquantur. Pugionis ictus est hic mihi cor meum transfigens, sicut cum amari et corda ad se trahere student » (*Esprit*, p. 177).

*d*) *Vincula cordis*. Alteri, vero, quae vincula cordis haud complete dirumpere volebat, sic per litteras loquutus est: « Modus tuus te gerendi dolori mihi est et timeo tibi cum video vincula quae te tibi ligant. Non est opus alio amplius ut Dominum arceas a te et tuum profectum stabilem in virtute impedias. Quamquam enim gustum quemdam sentias in oratione et in piis exercitiis, in hoc non facis nisi quod ludis et teipsam illudis. Acquiesce, quaeso, consilio quod tibi do, si vis quod de te respondeam; alioquin te dimittam » (*l. c.*, pag. 168).

### § 6. *Spiritus orationis.*

**50.** — 1. **« Orationi instantes ».**

Proprium est sacerdotis, sed praesertim Confessarii, orare pro se et pro poenitentibus. Tantae charitatis esse debet, ait S. Gregorius P., ut instanti desiderio, non petitor sed petitio esse sentiatur. Salutem quippe fidelium tam instantius debet appetere, ut ex usu interni gustus, omnem motum cordis in affectum ducat supplicationis (In I Reg., c. XIII, 2).

Necesse illi est ut saepe *veniat* cum Domino *seorsim* et *requiescat* cum Eo pusillum, ad imitationem ipsius Iesu qui non ob necessitatem sed ob exemplum erat *perseverans in oratione Dei* (Luc. VI, 12).

Erunt quippe tunc sic confortati in spiritu, docet S. Laurentius Iustinianus, constantes ad perferendum nedum proprios, verum etiam aliorum labores,

ad tolerandum quaevis adversa, atque ad resistendum diabolo et tentationibus eius. Fallitur profecto quisquis opus hoc periculosum et grande absque devotionis pabulo et orationis praesidio, prout decet, consummare se posse putat, lassatur prorsus in opere et in via deficit, si ab interna maneat refectione ieiunus (*De Reg. Prael.* c. XI).

Moyses ut legem Dei reciperet, montem subiit et nube circumdatus fuit; ut intelligamus eos, qui nomine Dei animas regunt, debere interdum, imo saepe, a mundo etiam pio declinare, coram Deo se sistere, intime cum Illo communicare ad cognoscendas voluntates suas animabus transmittendas. Alioquin «unde scire videbitur, ait S. Bernardus, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, qui nec pulsare, nec quaerere, nec petere consuevit? Qui donec alienarum curam susciperet animarum, numquam suae gessisse curam, sed in vano visus est accepisse» (*Declam.*). Propterea voluit Deus Moysi ostendere montem igni et luce refulgentem, ideo item Dominus Iesus transfiguratus est dum orabat, ut intelligeremus, inter alia, quod segregati a mundo et orationi instantes, transfigurabimur et nos per lucem superiorem animabus communicandam.

Absque frequenti ad Deum recursu, nec sibi nec ceteris prodest Confessarius. «Simpliciter impossibile est, ait S. Chrysostomus, absque precationis praesidio cum virtute degere et huius vitae cursum peragere. Hac non minus opus habemus quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illae fructus producere nisi bibant humorem radicibus. Neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur. Quisquis non orat Deum nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, expersque sanae men-

tis. Cum video quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est eum nihil egregiae dotis in animo possidere. Ubi quem conspexero insatiabiliter adhaerentem cultui divino, idque in summis damnis numerantem si non continenter oraverit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorem ac Dei templum» (*De or. Deum*, l. I).

**51.** — 2. «**Ut vitam habeant**».

Orationi incumbere debent Confessarii ut *vitam abundantius habeant* (Io. x, 10) et copiosius etiam, sicut est *copiosa apud Deum redemptio*, eam poenitentibus communicent. Nam Directores, seu Confessarii, sunt quidem patres populi, sed sunt et matres animarum ac nutrices; propterea sicut modo *genitos infantes lac concupiscentes* eos nutrire tenentur sed multum, sicut illae, et ipsi concedere spiritualiter curent ne *deficiant in via*. Spiritus orationis semper colatur ab eis, idest in amore constanter permaneant si velint vere patres esse: «Si non vis intermittere orare, noli intermittere, ait D. Augustinus, desiderare; continuum desiderium tuum, continua vox tua est; tacebis, si amare destiteris» (*In Ps.* xxxvii, 10). Non sic, ait ipse, quisquis debet esse otiosus ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi; nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei... otium sanctum quaerit charitas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas charitatis (*De Civ. Dei*, l. XIX, c. xix).

Recipiant incessanter Confessarii lucem et gratiam a Domino ut dantes animabus, sibi ipsis retineant copiam sufficientem ne canales tantum sed et conchae, aquae salientis in vitam aeternam perpetuo esse inveniantur. Hoc autem nonnisi cre-

bris ad Deum colloquiis et communicationibus fieri potest. Hinc est, ait S. Gregorius, quod idem Moyses crebro de rebus dubiis ad Tabernaculum redit, ibique secreto Dominum consulit et quid certi decernat agnoscit. Relictis quippe turbis ad Tabernaculum redire, est, postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare: ibi enim Dominus consulitur, et quod foris agendum est publice, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni rectores faciunt cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, divinaque lege perspecta, quasi coram posita arca Dominum consulunt et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt (*Moral.*, l. XXIII, c. XII).

**52.** — 3. **Causa sterilitatis.**

*a*) *Potior oratio.* Absque frequenti ad Deum oratione infructuosae actiones nostrae ac sacrum ministerium pene sterile, verba inefficacia erunt. Quomodo sustentare valebimus animas si et ipsi maiori indigeamus fulciri sustentaculo, sublevari fortius, erigi efficacius? Si animae in peccata prolabantur nostra erit culpa, quatenus auxilium a nobis ut panem expectantes non invenerunt, lucem implorantes tenebras contemplantur, a quibus cum illis involvimur. Nonne oratione magis quam praedicatione Paulus apostolus gentes convertit?: «Insatiabilis ille Dei cultor, ait S. Chrysostomus, communis Pater ac primogenitor servorum Christi, ille custos orbis terrarum, per orationem assiduam omnes gentes salvas fecit» (*De orando Deum*, l. II).

Defectus ac inefficacia, quae saepe in directione animarum manifesta fit, ex hoc principaliter manat quod Director haud satis est vir Dei, idest

orationis cultor. Ecclesiae ministri, et in primis Confessarii ac Directores, tales sint oportet, ut scribit ad Papam Eugenium S. Bernardus, «qui orandi studium gerant et usum habeant et orationi plus fident quam suae industriae» (*De Consid.*, l. IV, c. IV). Oratio est eorum refugium in necessitatibus, in periculis, in dubiis, in difficultatibus: humilitas, charitas, scientia, patientia, zelus et prudentia in eo crescere debent in dies sed per orationem, nam totum donum Dei est: *donum perfectum descendens a Patre luminum* (Iac. I, 17).

*b*) *Adiuvat ut possis.* Cum ipse Dominus dixerit: *petite et accipietis*, non est cur animum despondeamus. Qui non aliquid potest, ait D. Augustinus, oret, ut quod non valet, valeat (Ep. 112 ad Paul.). Et haec doctrina est Concilii Tridentini: Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis et adiuvat ut possis (De Iustif., sess. VI, c. XI). Sunt quaedam gratiae quas Deus nonnisi petenti concedit: «Oportet, ait S. Thomas, homines agere aliqua; et ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum, sic oramus ut impetremus quod Deus disposuit per orationem esse implendum» (II-II, q. LXXXIII, a. 4). Quinimo vult Deus ut petamus quod dare promisit, addit S. Bernardus: Vult Deus a se requiri etiam quod pollicetur; et ideo forte multa quae dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur (Hom. 4 sup. Mis.).

*c*) *Oratio continua.* Quoniam vero sacer minister in quibusdam diebus vel adiunctis tempus *Dominum obsecrandi* haud invenit, recogitet quae docet S. Augustinus: ipsum desiderium tuum oratio tua est, et desiderium continuum est continua ora-

tio (in Ps. XXXVII). Si ita se gesserit, vere quod agit in orationem vertitur, praesertim labor in sacrum ministerium impensus, nam «oratio est, ait idem, qua desideria nostra in conspectu divinae maiestatis effundimus» (*Serm.* 130 *de temp.*). Desideria autem facile et prompte Deo promuntur in istanti, praesertim si vox ad instar iaculi unitur: «Adiungitur vox orationi, ad excitandam uberiorem devotionem, qua mens elevetur in Deum», ita S. Thomas (II-II, q. LXXXIII, a. 12). Etiam quoad scientiam et prudentiam practicam sequenda est potius haec veritas quae a S. Petro Chrysologo nobis offertur: Cum divina scimus, Dei munus est, cum humana sapimus, caecamur ex nobis (*Serm.* 76); et a S. Augustino: Plus orando proficimus quam legendo (*Ep.* 112 *ad Paul.*); vere novit recte vivere, qui recte novit orare (hom. 4 ex 50).

Etsi autem spiritualis profectus poenitentis a virtute Confessarii non dependeat circa omne quod Sacramentum, qua tale, respicit, «aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri». Ita S. Thomas (P. III, q. LXIV, a. 1).

**53. — 4. Maior... est oratio.**

Tria principaliter, monet S. Bernardus, ornare debent Confessarium: doctrina seu scientia, exemplaris vita et oratio: «Manent itaque tria haec: verbum, exemplum, oratio; maior autem harum est oratio. Nam operi et voci gratiam, efficaciamque promeretur oratio» (*Ep.* 201 ad *Balduin.*). «Hauriant, ait S. Laurentius Iustin., sitibundo corde de thesauris sapientiae, orationis instantia, disciplinam morum, qua ferveant, inebrienturque ab ubertate eius et torrente voluptatis illius, quatenus quadam Spiritus sobrietate sic ebrii, descen-

dendo ad plana ac proximis ministrando eructent verbum vitae, verba et documenta salutis» (*De inst. Prael.*, c. XI, n. 6). «Fit ut alternatis ascendendi in Deum et descendendi ad utilitatem proximorum vicibus nec tepescant in opere, neque a mentis exercitatione deficiant, sed ascendendo transformentur de claritate in claritatem, ac de desiderio in desiderium; descendendo autem proficiant de virtute in virtutem» (Ib. c. VI, n. 6).

Quia vero perseverantia est gratia ultima, non praesumenda, sed cum fiducia in divinum auxilium speranda, Confessarius non solum oret pro se et pro poenitentibus, sed eos hortetur ut in oratione constantes sint «ut salutem suam, sicut monet Conc. Trid., operentur in orationibus; scientes quod pugna superest, in qua victores esse non possunt nisi cum Dei gratia» (Sess. VI, *de Iustif.*, c. XIII). Gratia autem deesse non potest nisi ob orationem neglectam: «ex hominis negligentia est quod gratiam non habeat» ait S. Thomas (*De verit.*, q. XXIV, a. 14). Defectus gratiae prima causa est ex nobis (Id. I-II, q. CXII, a. 3).

Unde desiderium orandi valde sentire debet Confessarius et ad orationem reverti statim ac potest: «Cum licet, vacat sibi, ait S. Laur. Iustin., cum charitas urget se exponit proximo, sic tamen ut continue anhelat ad cubile sponsi secreti reditum, de quo fraternae charitatis accensus zelo egressus est» (*De cast. con.*, c. XII). Nam si bonum opus est zeli cibus, oratio est eius necessarius potus, sicut docet S. Bernardus: «Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in stomacho conscientiae quod bene gestum est et commendans Deo. Orando bibitur vinum, quod... humectat interiora latentis conscientiae. Escas bonorum actuum dirigit, digerit et deducit per quaedam animae mem-

bra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem et impinguans mores. Sumpto cibo potuque quid iam restat nisi ut pauset aegrotus, et quieti contemplationis post sudores actionis incumbat?» (*In Cant., serm.* 18).

**54.** — 5. **Recte oret Confessarius.**

*a*) *Corde libero*. Ut bene et fructuose pro poenitentibus orare valeat, magna cordis puritate oret Confessarius, ne dum mente Deo vacare deberet de eis potius intentio et animi sollicitudo occupetur. Imitetur, quantum fieri potest, sanctos in Coelo qui etiam dum pro nobis orant Deum, Ei tamen invariabiliter adhaerent. A creaturis, etiam in oratione pro eis, cor liberum habere necesse est. Postulemus a Domino quod ab insidiis diaboli eas liberare dignetur, in fidei gratia tali constituat ut per totam vitam eius dictamina et praecepta in omnibus et per omnia sequantur.

*b*) *Pro quibus specialiter*. Orandum est praesertim pro iis qui duro sunt corde, qui peccata sua indifferenter et absque ullo doloris signo confitentur, vel in peccata cito ac denuo ac repetitis vicibus recidivi sunt vel occasionem deserere nolunt necnon pro iis qui ad altiora vocati gratiae Dei infideles resistunt. Nec omittat bonus Confessarius, quia pater est, pro ipsis poenitentias aliquas facere ut a Deo promptius et efficacius quod postulat obtineat, ad imitationem illius magnae sanctitatis Confessarii, S. Io. B. Vianney et aliorum qui orationibus, disciplinis, vigiliis et ieiuniis conversionis gratiam multis animabus vel perfectionis gradum aliis obtinuerunt; quin tamen obliviscatur quod dicit S. Augustinus: «Gratiam hanc eis quibus datur, misericordia Dei gratuita dari; eis quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari» (Ep. 107).

c) *S. Scriptura.* Bene meminerit haec quae ex libro Arvisenet excerpimus: «Postulavi Patrem meum et dedit mihi gentes in hereditatem: postula, fili, et dabit tibi peccatores in conversionem. Dedit petenti Stephano Paulum, dedit obsecranti Monicae Augustinum, pete tu et accipies. Amen dico tibi: si quid petieris Patrem in nomine meo, dabit tibi: crede quia accipies, et fiet tibi. Audisti, fili, vim et efficaciam orationis? Iuravi ego Dominus et non poenitebit me. Si igitur sint in grege tibi commisso oves errantes, vel iam pereuntes, quas voce monitionis, obsecrationis, increpationis reducere nequivisti, ora. Exemplum dedisti, verbum praedicasti, manet oratio; tria haec: maior autem oratio. Ora, igitur, ut Pater meus mittat paracletum Spiritum suum, qui loquatur ad corda eorum, illos convertat et vincula disrumpat: Quod aliis orantibus iam toties concessit, quare tibi enixe roganti recusaret? Ora pro omnibus, ora praesertim pro peccatoribus... Ego sum propitiatio pro peccatis et peccatoribus. Offer: hoc Sancti mei assidue fecerunt, et ideo tot peccatores converterunt. Est et apud me in Coelo advocata potens, Maria mater mea; non est auditum a saeculo, quemquam ipsam invocantem fuisse derelictum. Si igitur desolaris super iniquitatibus populi tui clama ad Mariam: est consolatrix afflictorum. Si gratias speciales desideras, ut convertas iniquos, clama ad Mariam: auxilium est Christianorum et Mater divinae gratiae. Si peccatores quasi desperati videntur, clama ad Mariam: est refugium peccatorum, mater misericordiae, sub praesidium eius illos constitue. Nullum est gratiarum et benedictionum genus, quod ipsa non possit illis obtinere, et quod non debeas ab illa pro ipsis fiducialiter expectare» (*Memoriale*, c. LI).

## Sectio II. — De Confessarii Scientia.

**55.** — 1. **Necessitas.**

*a*) *Ob difficultates.* Doctus sit oportet Confessarius ut officio suo valde difficili bene fungi possit. «Nulla ars doceri praesumitur, ait S. Gregorius, nisi prius intenta meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen saepe qui nequaquam spiritualia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum, qui pigmentorum vim nesciunt videri medicos carnis non erubescunt» (*Pastor.*, l. I, c. 1).

Si iudex et medicus scire tenentur quantum officio suo occurrere possit, Confessarius magis tenetur ea scire quae quadruplex officium suum, nempe iudicis, medici, doctoris et patris animarum spectant. «Horrendum profecto est, clamat S. Bonaventura, videre quosdam Sacerdotes nostri temporis qui Sacram Scripturam in qua animarum regimen seu ars sufficientissime traditur et iura canonica et scripta Doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt, et tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt, quando, ut ait Gregorius, qui pigmentorum vim nesciunt videri carnis medicos non erubescunt» (*Opusc. Confess.*).

Necessitas scientiae multiformis ex iis, quae de difficultate huius officii adimplendi dicta sunt, erui potest. Confessarios decet, iuxta S. Laur. Iustin.,

esse oculis plenos ante et retro sicut quatuor animalia, quatenus suos suarumque ovium spirituales agnoscant gressus. Quam, quaeso, ait ipse, spem valet habere pertingendi quo cupit accedere, qui viarum ignarus, inexpertum peregrinationis, qua gradiendum est, habens comitem, per singulas pene horas an recte incedat, dubitare impellitur? (*De humil.*, c. XVIII).

*b*) *Ut zelus verus sit.* Ecclesia semper monuit ut zelus numquam esset absque scientia ne ob bonum operandum in barathrum animae pertraherentur. Concilia saepe in Confessariis probandis monuerunt ab Episcopis hanc rationem habendam esse ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti et fideles custodes sint eorum quae in confessione audiuntur. Prudentia vero absque scientia non procedit. Sufficiat hic afferre quae S. Gregorius VII in Concilio Romano (a. 1080) monuit: «Inter omnia vos hortamur atque monemus ut in accipiendis poenitentiis non ad illos curratis in quibus nec religiosa vita nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum quam ad salutem ducunt, teste Veritate, quae ait: *Si coecus coecum ducat, ambo in foveam cadunt;* sed eos qui religione et Scripturarum doctrina instructi viam veritatis et salutis vobis ostendere valeant» (c. V).

Si, contra, zelus scientia ditatur, innumera bona efficere potest. Zelus absque scientia, ait S. Bernardus, quo vehementius irruit eo gravius corruit, impengens nimirum atque resiliens. Ubi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet secure quisquis eiusmodi est, volet sine fine quia volat in aeternitatem (*In Is., serm.* 4).

**56. — 2. Quanta sit oporteat.**

*a) Limites.* Confessarius tenetur quoad scientiam Moralem *sub gravi* scire omnia quae ad munus suum rite obeundum *sint necessaria.* Excipe casum necessitatis qui censetur adesse in periculo mortis vel quando secus fideles diu confessione carere deberent. Quo autem generaliter verior est sententia S. Thomae: «ignorantia eorum quae quis scire tenetur peccatum est» (I-II, q. LXXVI, a. 2), eo magis culpabilis est ignorantia in Confessario.

Non tamen tenetur tam perfecte scientiam habere ut possit omnes dubitationes statim solvere, sed sufficit ut communiter contingentes casus solvere possit et de difficilioribus sciat dubitare et postea dubia solvere: «cum in particularibus, ait S. Thomas, sint quasi infinitae diversitates, non possunt omnia sufficienter considerari» (II-II, q. LXXVI, a. 2). Sed tenetur se instrui «circa ea quae ut plurimum et in pluribus accidunt» (*l. c.*). Non tenetur de singulis peccatis discernere an sint mortalia necne, quia hoc est saepe impossibile; sufficit ut audiat prout gesta sunt et de iis iudicet iuxta principia communia et rerum adiuncta. Maior tamen scientia requiritur ad confessiones audiendas in magna civitate quam in parvo et remoto pago, vel ad audiendos poenitentes quoslibet diversi status, quam ad audiendos poenitentes eiusdem conditionis et status.

*b) Adaugenda.* Omissio tamen studii scientiae Moralis, etsi iam acquisitae, haud sine periculo gravi peccati est quatenus facile obliviscitur Confessarius quae iam didicit. Oportet, praeterea, proficere in hac scientia quae numquam est nimia, ceteris paribus. Peccat certe si «propter laborem vel alias occupationes praetermittit quod requiritur ad scien-

tiam debitam comparandam», ut ait S. Thomas (I-II, q. LXXVI, a. 2 et 3). Ignorantia volita est, ait ipse, cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem (Ibid., a. 4). Nisi bene sciatis doctrinam moralem, ait S. Alphonsus, damnationem paratis vobismetipsis et poenitentibus vestris. Moralis scientiae studium cum ipsa vita finire debet.

*c*) *Scientia practica*. Sed memorandum quod dictum est, nempe non sufficere huius scientiae cognitionem etsi plena sit; necesse est, qua est Director, ut in scientia virtutum et vitae christianae valde doctus et peritus sit Confessarius et quidem scientia theorico-practica circa quam non potest nec debet limites quaerere cum non sit de iis scientiis de quibus Apostolus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. XII, 3). Cognoscat bene varios morbos spirituales et remedia necessaria; officia uniuscuiusque status, diversos hominum characteres, particulares animi necessitates, inclinationes, vocationes, tentationes ut unicuique panem suum distribuat. Si enim vellet omnibus indistincte easdem regulas ac criteria applicare, alios in periculum, alios ad interitum adduceret. Quemadmodum aegroti non sunt curandi eadem medicina, sic et circa morbos animi diversa diversis oportet dare remedia. Nam, v. g. si asperitate loquamur ad animam docilem, in desperationem eam deiicimus; si indulgentes nos gerimus erga eum cui forti reprehensione opus est, in luto eum relinquimus vel in via sicut Samaritanus, nec vino nec oleo plagas curantes. Quapropter monet S. Leo Papa, quod inferiorum ordinum culpae ad nullos magis referendae sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam saepe nutriunt pestilentiam dum austeriorem

dissimulant adhibere medicinam (Ep. 86 *ad Episc. Aquilet.*).

**57.** — 3. **Quid minimum.**

Peccat Confessarius poenitentes audiens quamvis praedictam scientiam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola charitate et obedientia confessiones excipiat. Nec per se eum excusat Episcopi approbatio. Si autem tantum de sua scientia dubitaret, acquiescere iudicio sui superioris potest, dummodo Superior subditum suum bene noscat; quod subditus praesumere potest, nisi omnino ei contrarium constet.

Ut brevi autem complectamur quae dicta sunt, rememorandum quod etsi Confessarius numquam satis doctum se credere vel a studio abscedere debeat — quod semper erit necessarium, ad conservanda et augenda quae iam didicit — tamen ne nimis timore capiatur, noscat sufficere ut distinguat grave a veniali peccato; casus reservatos sciat necnon censuras pontificias, eas saltem in quas frequenter incurrunt animae, ac adiuncta quae peccati speciem mutant; distinguat occasionem proximam atque remotam absolute et relative consideratam; voluntariam et involuntariam, dispositiones necessarias in poenitentibus, poenitentias et remedia magis in usu habitas; sciat prudenter dubitare in casibus qui speciale studium exigunt, v. g. quod quoddam peccatum est matrimonii impedimentum.

Haec scire sufficit ut peccatum grave vitet circa scientiae omissionem Confessarius; sed si his contentus fuerit parum animabus prodesse poterit.

**58.** — 4. **Moralis practica.**

In casibus de quibus quaestiones difficiles agitantur, circa quas theologi in contrarias sententias

abeunt, v. g. circa obligationem confitendi circumstantias quae non mutant speciem, sed peccatum aggravant, et ideo aggravantes dicuntur, Confessarius discat praevidere damnum vel fructum in praxi profuturum ex adoptione unius vel alterius sententiae vel opinionis; et bene retineat quod scientia moralis sana ac certa ea est quae in praxi melius honorem Dei et salutem animarum tuetur et promovit, quatenus, nempe, melius impedit Dei offensam, quin iura legis vel conscientiae laedat. Caute autem procedat circa solutionem practicam de iis quae controversa sunt: doctiores semper prudentiores et cautiores fuerunt, et ideo minus prompti ad solvendos casus vel ad obligationes imponendas in materia morali controversa. Ita v. g. Benedictus XIII circa circumstantias de gravitate peccati in instructione, italico sermone actis Conc. Rom. (1725) addita, quaestionem non dirimit, sed respondit duas esse opiniones, quarum unam affirmantem alteram negantem obligationem eas confitendi. Quapropter, ait protinus, haec tenete poenitentem debere semper cum veritate respondere Confessario interroganti circa peccata sua ut suae conscientiae statum cognoscat.

In praxi, si obligatio est certa et cognita etiam a poenitente ab ea hic numquam est dispensandus; inobservantia tunc solius poenitentis est. Si vero obligatio impugnetur a gravibus auctoribus, Confessarius sibi eam applicare potest, sed non faciat de ea legem pro aliis, nisi forte iis qui magnae sunt virtutis. Per studium ac discretionem semper incedi potest per mediam viam inter extrema. Haec est regula tradita a Benedicto XIV in opera *De synodo dioecesana*: «Nobis cautius, ait, videtur, ut episcopus controversias huiusmodi in collationibus seu conferentiis de casibus moralibus quae inter

ipsius clericos haberi solent discutiendas relinqueret, nec quidquam circa illas in synodo sine praevio Apostolicae Sedis oraculo decernendum susciperet; hoc tamen studiose curando, ut in praedictis collationibus moralibus eorum theologorum sententia vinceret qui media via inter rigorem et laxitatem incedere norunt ».

**59.** — 5. **Erroribus obviandum.**

*A*) Confessarius tenetur erroribus vel defectibus commissis circa sacramenti valorem occurrere, quando adsit ex parte sua *gravis* culpa aut *gravis* negligentia ex qua *grave* damnum poenitenti proveniat; tenetur autem, etiam cum gravi suo damno vel incommodo famae, honoris et huiusmodi, et hoc ex iustitia. Si absolutionem non dederit quia oblitus est vel male formam dixerit et agatur de gravi peccato, tenetur errorem corrigere, etiam non petita venia a poenitente, cum hoc non sit memorare peccatum, sed error ex parte Confessarii declarari.

*B*) Si poenitentem *positive* et non tantum negative (per omissionem interrogationis) ab obligatione deobligavit, cum gravi culpa, declarandi speciem et numerum vel aliud respiciens confessionis integritatem, tenetur Confessarius eum monere, petita venia, etiam extra confessionem, non autem cum gravi damno, vel cum scandalo alieno aut poenitentis molestia.

*C*) Confessarius, etiamsi parochus, negligens voluntarie monere poenitentem circa restitutionis obligationem, graviter peccat sed restitutioni non tenetur. Tenetur vero restitutioni si *positive* (non tantum per omissam monitionem) ab obligatione restituendi deobligaverit si culpa gravi id fecerit.

*D*) Si oblitus fuerit poenitentiam imponere vel

dixerit poenitentem non teneri ad Missam audiendam, vel ad ieiunium et similia, certo oportet ut sinat rem sicuti est quatenus molestia monitionis gravior sit errore.

*E*) Cum agatur de restitutione, casus bene perpendatur et si difficilis sit solutionis differatur sententia donec Confessarius rei bene studuerit; et si expedit ad alium Confessarium doctiorem poenitens mittatur. Poenitens autem dispositus reverti vel alium adire ut consulet de quaestione et paratus restituere quod sit restituendum, absolvi interea potest.

*F*) Confessarius qui *positive* quidem a restitutionis obligatione deobligavit, sed tempestive bene dispositum poenitentem de errore monuit non tenetur ipse restituere. Cum enim consulens consilium noxium ex officio datum, antequam exequatur, revocat, ad nihil tenetur.

*G*) Bene meminerit Confessarius causas excusantes ab integritate materiali confessionis: 1° oblivio inculpabilis; 2° impotentia physica (muti, surdi, linguae ignari, moribundi). Pudor et timor non excusat ab ista integritate.

*H*) Confessio vel absolutio repetenda est quando moraliter constet eam fuisse invalidam: 1° ex parte Confessarii si iurisdictionem non habebat, vel formam absolutionis substantialiter vitiaverit; 2° ex parte poenitentis si: *a*) in mala fide confessus est surdo; *b*) si advertenter tacuit mortale peccatum vel falso de mortali sese accusavit; in hoc casu eidem Confessario confiteatur illud peccatum tantum, si *nuper* tacuit; *c*) si graviter negligens circa conscientiae examen fuerit; *d*) si sciebat se non esse contritum vel attritum corde.

*I*) Confessarius potest valide atque etiam licite in casu necessitatis plures absolvere unica for-

mula « *Ego vos absolvo a peccatis vestris* ». Etiam in singulari si agitur de uno individuo. Valide semper, sed et licite, in urgentiori casu.

*L*) Requiritur praesentia moralis ita ut verba « Te absolvo » iuxta moralem existimationem censeantur cadere in poenitentem. Unde, si poenitens recedat a Confessario nondum absolutus, se absolutum existimans, haec observanda sunt: *a*) si commode adire et revocari potest, revocari debet, nisi prope confessionale sit; *b*) si revocari nequit, absolvendus est, modo certo moraliter praesens sit, sive conspiciatur, sive secus, ut si inter vicinam turbam adesse certo sciatur; *c*) si non amplius praesens nec postea rediturus est, nihil faciendum, sed res Deo committenda est.

Confessarius *vane* dubitans de impertita absolutione graviter peccat, si eam iterat, aut verbum unum ter vel quater repetit. Scrupulosi autem ab omni culpa excusantur ob inextricabilem mentis perplexitatem.

## Sectio III. — De Confessarii Prudentia.

### § 1. *De Confessarii prudentia in genere.*

**60.** — 1. « **Sal terrae** ».

Cum Dominus Apostolos ad praedicandum Evangelium mitteret, monitiones ac instructiones conclusit dicens: *Estote ergo prudentes* (Matth. x, vers. 16) et monitum illud memorans: *Habete sal in vobis* (Marc. ix, 49), « idest prudentiam, commentat antiquus canon, qua si quis forte caruerit, sacerdotalis officii iudicatur indignus ». Hoc intelligitur praesertim de Confessariis quibus Concilium Tridentinum, cum non posset pro singulis

casibus regulas prudentiae tradere, reliquit onus ut sese gerant secundum quod *spiritus et prudentia suggesserit* (Sess. XIV, *de Poenit.*, c. VIII).

Sacerdos sit discretus et cautus, ait Innocentius III, ut more periti medici super infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei praebere consilium et cuiusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum (*De Poenit.* c. *Omnis*).

Haud facile est invenire plurimos qui vera prudentia ditentur. A paucis advertitur, ait S. Bernardus, quia paucorum prudentia est (Lib. I *de Consid.*). Multi Confessarii sunt qui zelum quidem habent sed absque prudentia: *Zelus quidem habent*, ait S. Paulus, *sed non secundum scientiam* (Rom. x, vers. 2); *idest*, commentat S. Augustinus post S. Ambrosium, *non secundum prudentiam* (Tract. 23 *in Ioan.*). Hac de causa S. Chrysostomus commentans illa verba: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens* (Luc. XII, 42) dicit: Quaerit hic Dominus non quasi fidelem et prudentem dispensatorem ignorans, sed volens innuere raritatem (Hom. 78 *in Matth.*).

Prudentia est omnium virtutum directrix, unicuique necessariam mensuram iustumque modum tribuens, ut ait S. Bernardus. Ideo tam necessaria est ut etiamsi Confessarius omnibus ceteris virtutibus ornatus esset et careret prudentia, non esset virtuosus: Virtutes, ait S. Gregorius, nisi prudenter agant, virtutes esse non possunt (*Moral.* lib. II).

Nam «quis ei se committat, dicit S. Ambrosius, quem non putet plus sapere quam ipse sapiat, qui quaerit consilium?... Quod si eum inveneris qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auctori-

tate praestet et accedat eo ut exemplo et usu paratior sit, praesentia solvat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non modo ad consulendum, sed etiam ad subveniendum; huic ita fides habeatur ut dicat, qui consilium petit: Etsi mala mihi evenerint per illum, sustineo. Huiusmodi viro salutem nostram et existimationem committimus, qui sit iustus et prudens; facit enim iustitia ut nullus sit fraudis metus, facit etiam prudentia ut nulla sit erroris suspicio » (*Offic.*, lib. II, c. VIII).

**61. — 2. Falsa prudentia.**

Raro invenitur qui confiteatur se modicam prudentiam possidere, et hoc non tantum ob defectum humilitatis quantum ex falso iudicio circa veram prudentiam. Ne loquamur de iis qui cum prudentia mundi eam identificant, de qua tamen Apostolus ait: *Prudentia carnis mors est* (Rom. VIII, 6); *Prudentiam prudentium reprobabo* (I Cor. I, 19); et S. Leo ab ecclesiasticis abesse procul vult: « Abigatur procul terrenarum caligo rationum et ab illuminatae fidei oculo mundanae sapientiae fumus abscedat » (*De nativ.* serm. 7). Haud pauci Confessarii doctrinam et eruditionem tamquam veram prudentiam accipiunt et idem esse putant criterium naturale et virtutem cardinalem prudentiae, quamquam illud conditio et fundamentum huius esse possit. Sed totum hoc nonnisi similitudo vel substitutio verae prudentiae est, haud sufficiens imo periculosa. « Quantos, ait S. Bernardus, mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi! Haec sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitae,

mater tepiditatis quae solet Deo vomitum provocare » (*Declam.*, c. XI).

De iis qui prudentia ista callent Cassianus dicebat «qui, disputandi peritiam assequuti, scientiam spiritualem habere se credunt» (Collat. 14, c. XVI). Sunt revera haud pauci, ait S. Bernardus, qui minime egent magistro, nec tamen idonei sunt magisterio (*Serm.* 23 *in Cant.*).

Sunt qui prudentiam vocent benignitatem erga omnes absque exceptione impensam, vel, contra, rigorem in disciplina morali exequenda. Sed virtus, praesertim prudentia, in medio stat, nempe in benignitatis et severitatis recto usu. Parum est, ait S. Augustinus, quod minus est quam oportet. Nimium est quod plus est quam oportet. In medio stat quod satis est: et utique utile est ut hoc omnino faciamus (In Ps. CXVIII, conc. 4). Sive, igitur, procedatur benigne sive severe agatur, bonum est totum si totum a prudentia regitur atque moderatur sicut poenitenti expedit. Si modus est moderatus, ait ipse S. Doctor, sive acrius sive blandius, sicut salus eius quem corrigitis postulare videtur (*In Ep. ad Gal.*).

In hoc est enim prudentia ut sciat quid hic et nunc facere aut dicere expediat ad finem obtinendum. Ex amore procedit et in ipso constat: Prudentia, iuxta S. Augustinum, est amor bene discernens ea quibus adiuvetur ad tendendum in Deum, ab iis quibus impediri potest (*De morib. Eccl.*, l. I, c. XV).

**62.** — 3. **Prudentiae specimen.**

Prudentia, igitur, qua indiget Confessarius est omnino supernaturalis, adeo ut S. Bernardus de ea dicere possit quod sit altera clavis a Domino tradita Principi Apostolorum: «Hae claves quae?

Potestas aperiendi et claudendi, atque discretio inter admittendos et excludendos» (*Serm.* 69 *in Cant.*); seu potentia, ait S. Thomas, quae liget et solvat, et prudentia quae dignos vel indignos discernat (*in Matth.* 16). Unde S. Chrysostomus ait: «*Quis est servus fidelis et prudens?* Rem fidelem proponit sed rarissimam... Si fuerit tantum quis fidelis, laicum quidem facit: sacerdotem autem non facit nisi fuerit fidelis et prudens» (*hom.* 51 *in Matth.*, 24).

Manifestum est quod sit donum supernaturale et gratia potestati absolvendi annexa quidem, sed evolvenda et usu fruenda fideli cooperatione in vita interiori sacerdote digna. Definitiones quas SS. Patres exhibent de prudentia hac Dei ministri, necessitatem ac naturam ipsius demonstrant. S. Augustinus enim ait quod prudentia est virtus bene discernendi et disponendi ea quibus homo adiuvatur ad tendendum in Deum, ab his quibus posset impediri (*De mor. eccles.*); prudentia docet quid tenendum, quidne reiiciendum sit, dicit S. Bernardus (*Serm.* 35); est quaedam industria per quam quis potest providere sibi et aliis de his quae necessaria sunt ad salutem. Ita S. Thomas (II-II, q. XLVII, a. 14).

Prudentia haec, v. g. docet quando et quomodo sit facienda correctio, quando eradicanda zizania vel praevenienda: «Cum morbus plurimos occupaverit, ait S. Augustinus, nihil aliud boni restat quam dolor et gemitus; tametsi, cum facultas et occasio datur, non omittenda utilis correctio est... Ab initio non dormiat zelus; tunc enim tanto est efficacior emendatio pravitatis quanto diligentior fuerit observatio charitatis» (Cf. *ep. Parm.* l. III).

Prudentia ista non solum docet non permittendum quod putatur illicitum, sed nec faciendum omne quod

est licitum. Etsi autem non audet prohibere quod est licitum eodem modo quo vetat illicitum, sicut docet D. Augustinus: «Non tanto pondere prohibendi sunt homines facere licita quae non expediunt, quanto pondere prohibentur illicita» (*De Civ. Dei*, XV, c. XVI); tamen timendum docet tamquam si esset illicitum quoddam licitum quod multum illicito proximat, et ideo vitandum «propter proximitatem illiciti», ut ait ipse Doctor (*Ad Coniug.* l. I). Sequendum est illud prudentiae dictamen: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (I Cor. X, vers. 22). Non omne quod licitum est omnibus expedire putandum est, sive quia, ut ait S. Gregorius, tanto a se licita quis debet abscindere quanto se meminit et illicita perpetrasse (*Hom.* 20 *in Ev.*); sive quia, ut observat S. Augustinus, qui se a nullis refraenat licitis vicinus est illicitis (*Tract. de ieiun.* c. III). Timeatur hoc primitus et maxime ne committantur illicita. Ubi autem aliquid ita licitum est ut illud facere omnino non sit illicitum, id suadeatur quod expedit vel quod magis expedit (*Id., ad Coniug.* c. XXI).

Vult Apostolus nos cavere ne utentes licitis exemplum malum praebeamus: *Videte autem ne haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis* (I Cor. c. VIII, 9).

**63. — 4. Lux in tenebris.**

Quanta luce, ergo, opus est nobis in prudentiae observantia! Nemo non videt quomodo unice luci divinae oporteat nostros animos esse apertos, praecedente necessaria doctrina! Accipientes lucem hanc a Deo, prudentiae est ut nihil humani illi addamus ne pulchritudo, splendor et efficacia eius minuatur; tunc aquaeductibus puris ac lucentibus, aquam fontis cum tota sua integritate et puritate transmit-

tentibus, similes erimus. Lux illa multum splenderet si anima sacri ministri, ex parte saltem, opaca non esset. Necesse est luce ista omnes varietates morborum animae et particularia adiuncta necnon remedia aptiora, multiplicia passionum receptacula et recessus, necnon insidias amoris sui ipsius cognoscere, haud paucas vias per quas animae incedant perspectas habere, ne directio spiritualis in ruinam vertatur.

Prudentia ad perfectionem suam non pertingit, nec gradum quidem infimum consequitur, nisi propria experientia eam Director, seu Confessarius, bene firmare studeat per virtutis atque vitae interioris efficax ac constans exercitium, nam ipse talis est medicus qui eas medicinas praebeat quas ipse experientia praeterquam scientia noverit. Quis possit sola scientia speculativa et absque luce supernaturali diabolicas insidias atque versutias cludere in ascesi et magis in mystica theologia?

« Error est magnus ex parte Directoris vel Confessarii, dicebat Olier, quod lectione quadam auctoris spiritualis contentum atque instructum se esse possit saepe opinetur. Scientia ista magis praxi quam lectione discitur. Libros quidem legere oportet, sed soli non sufficiunt nisi ut psittacum imitari ipse possit.

« Quod docetur, faciendum prius est nobis; quod iam factum hoc utique docendum » (*l. c.*, p. 222).

**64.** — 5. **Omnibus... omnia.**

Directorem indefinitas prope numero formas seu modos sese omnibus omnia faciendi scire decet ad imitationem Apostoli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (I Cor. IX, 22). Loquendum et agendum ei est cum pueris ut puer, cum magnis ut magnus vir, cum perfectis ut perfectus,

adaptans se, ut ita dicamus, omnibus ut cum eis ipsorum loquendi modum imitetur, sicut Apostolus qui *sapientiam loquebatur inter sapientes* (I Cor. c. II, 6) *et lac neophytis dedit potum non escam: nondum enim poterant* (I Cor. III, 2).

Etsi autem nimium desiderium habere debeat videndi perfectionis gradum animas conscendere, non habeat tamen Director neque manifestet verbo et opere ullam festinationem neque nimis animas premat vel excitet ad fidelitatem. Quis enim aegrotum vel a morbo nuper sanatum currere per aspera requirat? Expectandum est gratiae Dei beneficium in tempore opportuno: gratiam Dei sectandam non praecedendam esse docet prudentia. Magna perfectio est, ait Beatus P. I. Eymard, Dominum in directione animarum sequi non praecedere. Modus est hic secure animas ducendi per viam qua ipse ambulat; alioquin saepe dolorem et regressum ipsarum in via Domini operamur. Nam evenit ut volens quis pueros currere vel magnis passibus incedere plus quam aetas ferat, stare ipsi non possint et in terram procumbant.

Operae pretium est huc afferre quae Arvisenet de prudentia habet: «Esto prudens sicut serpens et simplex sicut columba. Per sanctitatem temetipsum salvabis: per prudentiam et simplicitatem alios sanctificabis. Per prudentiam zelus fit ignis iugiter urens, et sine prudentia, fit turbo confringens. Per prudentiam mansuetudo fit unctio sanans; sine prudentia, fit venenum corrumpens. Per prudentiam eloquia praedicantis fiunt iacula penetrantia; sine prudentia sunt verba per aëra volantia. Per prudentiam cuncta perficies fructuose; sine prudentia, cuncta fere facies inaniter. Per prudentiam potentes sapienter honorabis, et honorando aedificabis: sine prudentia, aut ipsis ser-

vies, aut eos offendes, sicque inimicos tuos sancto ministerio multum nocivos efficies. Per prudentiam omnibus, quantum fieri potest, placebis; sine prudentia, vel pusillos per nimiam familiaritatem scandalizabis, vel peccatores per rudiorem austeritatem a te repelles. Per prudentiam ministerium tuum honorificabis; sine prudentia, vel per prolixitatem taedium, vel per festinationem indevotionem generabis. Per prudentiam venenum e cordibus confitentium feliciter extrahes, et virtutis semen mentibus suaviter inseres: sine prudentia vero, corda poenitentium claudes, mentibusque nauseam provocabis.

«Per prudentiam oves tuae mire dirigentur et ordinabuntur; sine prudentia, dispergentur vel in confusione manebunt.

«O fili, postula prudentiam: melior est cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. Pete assistricem hanc sapientiam, ut te in omnibus dirigat. Quaere illam apud sapientes et eme eam tibi; vade ad Ananiam; consilium saepius a sapiente perquire: ipse dicet tibi quid te oporteat facere. Non debes, fili, tibi ipsi facile credere: modicum lumen in te est; passione interdum moveris et zelum putas. Quaere potius a conscientioso viro instrui quam tuas adinventiones sequi. Esto simplex: in omnibus candidus et apertus appare; age sine fuco, loquere sine dolo. Crede mihi: simplicitas est omnibus astutiis efficacior. Voca oves ex corde, non ex ore solum, et venient ad vocem tuam. Increpa peccatores ex dolore et compassione, non ex impetu et violentia; tunc flebunt, tunc convertentur. Excita pusillanimes, non quasi dominus, sed sicut aquila provocans pullos suos ad volandum, et pergent et current. O beata simplicitas! quae ex optimo corde procedis, et au-

dientium et videntium corda demulces: veni et dominare in omnibus actibus meis. Per hanc placebo tibi. Deus meus, qui amas rectos corde, et in bonitate animae sincere tibi complaces. Per hanc placebo hominibus, quibus per hanc cor paternum et ubera materna praebebo » (Arvisenet, *Memoriale Vitae Sacerd.*, c. LXV).

§ 2. *De Confessarii prudentia in particulari. De sacramentali sigillo.*

**65.** — 1. **Caute procedat.**

Sunt casus graves circa quos Confessarius necessario consilium petere debet v. g. ab altero Confessario, sed bene meminerit Conciliorum monitum ut caute procedat et caveat (Later. et Magunt. IV, c. XXIX). Non est mendacium quod Confessarius neget se scire quod dicere non debet. Ipse Salvator ostendit se nescire diem ultimi iudicii: *De die illa nemo scit, neque Filius* (Marc. XIII, vers. 32). Quisque Confessarius bene retineat illud effatum: *Illud quod per confessionem scio minus scio quam illud quod nescio:* quatenus, ut ait Eugenius III Papa, quod Confessarius scit in confessione, scit *ut Deus;* extra confessionem vero ipse loquitur *ut homo*, sicut explicat S. Thomas. Quapropter, posset etiam iurare se nescire quod audivit in confessione: «*ut homo*, potest iurare absque laesione conscientiae se nescire quod scit tantum ut Deus» (*Suppl.* II P., q. XI, 1).

Confessarius nec cum ipso poenitente potest loqui extra confessionem sine eius licentia: quae petenda non est nisi raro, ob gravem causam; licentia vero debet esse expressa, nullo modo sufficit praesumpta vel ab invito v. g. dolo, metu, precibus obtenta.

Tenentur quoque ad sigillum praeter interpretes adhibitos in confessione peragenda, superiores a quibus extra sacramentum petitur facultas absolvendi a reservatis; item, qui peccatum, dum quis confitetur, sive de industria, sive non, audirent et pariter si quis ab istis forte audiret; qui scribunt confessionem rudium vel ignorantium linguam Confessarii, ac praesertim si alio modo confessio peragi non possit; doctores consulti a Confessario de licentia poenitentis, et, demum, ii omnes quibus Confessarius sacrilege vel imprudenter peccata in confessione audita manifestaret.

Ad sigillum tamen non tenetur qui legit chartam in qua confessio scripta erat, nisi ipsa charta sit medium ad confessionem, vel adhibita fuerit pro actuali confessione; neque doctor consultus a poenitente, nisi consulat de confessione *ipsi doctori* facienda.

**66.** — 2. **Quid vitandum prudenter.**

Secretum adeo servare oportet ut ipsi Confessario, quantum fieri posset, ipsa observantia oblivionem circa ea quae in confessione audivit generet. Propterea imprudentiae est loqui, etsi generatim et de tempore remoto et de locis dissitis, de confessionibus auditis, sed si necesse sit aliquid ob consultum exponere, tamquam casum hypotheticum proponatur in collationibus. De poenitentibus non loquatur Confessarius ne ad laudem quidem, neque de peccatis manifestis in locis ubi confessiones audivit, praesertim si ipsi nonnisi per confessionem innotuerunt, neque de ignorantia vel duritie, vel perversitate generica illorum quos confitentes audivit.

Cum audiat confitentem peccata, sed tacentem peccatum quod complex nuperrime sibi confessus est, non interroget eum ullo modo de illo pec-

cato ne ille sciat complicem iam illud confessum esse. Similiter agendum illi est erga matrem cuius filiam iam antea audivit. Dicet mater filiam esse irreprehensibilem, ipse vero contrarium cognoscit ex confessione; neutram ne indirecte quidem interrogandam nec ab alterutra explicationem qualemcumque petendam esse umquam cogitet.

Non expedit, ob respectum sigillo sacramentali debitum, poenitentibus virtuosis committere in confessione ut circa quosdam excessus alienos, etsi non in confessione cognitos, seipsum certiorem faciant, nec eis praecipere item in confessione ut Caium vel Semproniam moneant aut corrigant, etiamsi non sint Confessarii poenitentes. Est enim discrimen efficiendi penes ipsos vel alios quoddam gravamen erga confessionem vel eos a confessionis aestimatione retrahendi. Confessarius tamen potest uti in confessione, cognitione experimentali, habituali et generali circa poenitentem percepta extra confessionem, ut eam melius dirigat ac corrigat. Sed caveat ne peccata poenitentis iam a se in confessione audita, illi memoret umquam, nequidem in confessione, ne gravamen ipsi faciat. Cum igitur poenitens confiteatur aliquod grave peccatum in *quod labitur raro,* quodque iam confessus est eidem Confessario, iste audiens eum non manifestet nequidem indirecte se adhuc scire, sed potest et expedit eum interrogare num de peccatis eiusdem generis confessus antea sit, et deinde opportunam monitionem facere.

**67.** — 3. **Casus quidam.**

*a*) *Peccat*. Secretum confessionis indirecte violat Confessarius qui unum prae aliis quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia commisisse; item si dicat se audivisse grave peccatum in tali mona-

sterio vel in tali ordine religioso; qui de peccato poenitentis per solam confessionem cognito, loquitur cum aliis qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant illud ex confessione acceptum esse; (qui vero dicit se incepisse mane vel sero confessiones et audivisse tale vel tale peccatum, *directe* violare potest secretum, ut reapse contigit cuidam imprudenti missionario qui lepide inter epulas cum aliis, tempore missionum, ait: Mane, statim ac ingressus sum confessionale, audivi confitentem adulterium. Qui autem mensae ministrabat iam noverat uxorem suam ante omnes confessam esse; propterea eam crudeliter postea verberavit). Item indirecte violat qui narrans alicuius personae peccata, quae extra confessionem cognovit, aliquam addit circumstantiam cognitam ex sola confessione; item si quis dicit in tali loco committi tale crimen ex confessione cognitum, nisi crimen sit publicum et agatur de pago saltem 3.000 incolarum. Eodem modo violat sigillum Confessarius parvae communitatis cum missionariis communicat vitia illius digna correctione.

*b*) *Non peccat.* Non cadunt *per se* sub sigillo peccata commissa in ipsa confessione, v. gr., furtum a poenitente in damnum ipsius confessarii tempore confessionis commissum. Imo si constat furem ad confitendum venisse ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non forent materia confessionis. Item, nec scrupuli aut virtutes; nisi sequatur gravamen poenitentis vel aliorum; neque violat per se sigillum qui dicit se talem poenitentem absolvisse: tamen parentes, magistri etc. interrogantes de absolutione data filiis etc. remittendi sunt ad ipsos filios. Item moniales interrogantes de infirmis, ad ipsos infirmos remittendae sunt ut sciant utrum debeant accipere Viaticum necne.

**68. — 4. Regulae quaedam.**

Confessarius uti non potest cognitione ex confessione perceyta ad opus vel officium aliquod melius adimplendum vel ad aliquid praecavendum, v. g. subditum ab officio removendum, servum infidelem dimittendum, portas vel seras bene claudendas, etiamsi ad haec omnia facienda praetextum quoddam praeseferret; neque ad negandam Communionem indigno etiamsi occulte petat; aut ad excludendum a sacra ordinatione indignum, aut ad matrimonii celebrationem negandam ob impedimentum dirimens in sola confessione cognitum; neque ut se subtrahat a confessione audienda illius quem ex praecedenti confessione novit indispositum esse, etiamsi nemo de hoc suspicionem habere possit, quando tamen non adsit causa iusta ac manifesta per quam etiam ceteros audire recuset; neque ut neget schedulam peractae confessionis; ubi enim haec soleat dari omnibus, violat sigillum qui eam poenitenti denegat, etsi ipsa typis impressa testificaretur latam absolutionem; tunc enim mendacium mere materiale esset. Non violat sigillum si paratas sibi insidias per confessionem cognitas fugiat, si non manifestetur ex hoc peccatum accusatum vel gravamen poenitenti minime obveniat; secus non potest sine licentia poenitentis; qua negata, poenitens indignus esset absolutione, sigillum tamen servandum esset; neque violat si poenitentem indispositum fugiat, mortem sibi minantem, si nemo hoc sciat; nam peccatum hoc ipse non est confessus sed commisit in actu confessionis, ac proinde non cadit sub sigillo.

Neque violat, si a Missae celebratione se abstinet in ecclesia quam ex audita confessione scit esse pollutam, quando non adsit periculum revelationis vel gravamen poenitentis.

At, Confessarius qui ex sola confessione scit in collegio vel domo ista vel illa esse frequens peccatum aliquod, non potest praesidem monere ut vigilet, praesertim si indicaret tempus et locum, quamvis ipse vigilantior esse possit absque revelationis aut gravaminis periculo. Tam superiores pro tempore existentes quam confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt. Imo ex Codice Iur. Can. omnino prohibitus est Confessario usus scientiae ex confessione acquisitae, cum gravamine poenitentis, etiam excluso quovis revelationis periculo (c. 890).

Qui ex confessione alicuius mulieris scit eam esse sibi periculosam, eo quod eam audiendo graves tentationes passus est, non potest se excusare ab ea iterum audienda, etsi nullus, ne poenitens quidem posset de hoc suspicari, quia per hoc confessio evaderet odiosa; sed deberet ipsi mulieri in confessione generatim declarare se nolle illius directionem spiritualem vel suscipere vel continuare: posset tamen eam non audire si exinde ipse se exponeret periculo lapsus non tentationis tantum, quia Deus per obligationem sigilli non potest velle quod est intrinsece malum.

**69.** — 5. **Casus particulares.**

*a*) Confessarius tenetur ad sigillum etsi poenitens discedat indispositus, modo iste dixerit peccata *ad obtinendam absolutionem*. In dubio an aliquid sit dictum a poenitente in ordine ad confessionem, Confessarius tenetur ad sigillum; quia alias redderetur odiosa confessio, dum alioquin plura peccata revera in confessione audita, ob defectum memoriae et hallucinationem Confessarii, possent impune manifestari.

*b*) Confessarius qui non posset accusare peccatum proprium absque sigilli violatione, dispensatur ab integritate materiali, si non adsit *copia Confessariorum;* postea tamen eam complere debet.

*c*) Virtutes, revelationes et gratiae extraordinariae poenitentis cadunt sub sigillo si exponuntur ad melius declarandum peccatum, minime vero si dicuntur ad manifestandum conscientiae integrum statum et ad opportunas instructiones recipiendas a Confessario. Iste tamen tenetur ad sigillum sacramentale si sequatur gravamen poenitentis, vel saltem ad secretum naturale.

*d*) Item tenentur ad secretum naturale ipsi poenitentes circa ea quae a Confessario in ordine ad confessionem dicta sunt. Tenentur huic secreto, quamvis naturali, strictius quam alii; alii enim voluntarie consilium praebent, sed confessarius tenetur ex officio. Unde cum Confessarius obligatur necessario ad dandum consilium poenitenti ut ille sibi caveat a damnis spiritualibus, ideo poenitens rigorosius tenetur cavere ne Confessario damnum obveniat ob consilium sibi praestitum.

Esto firmus in proposito quod tibi commendavi, scribebat S. Franciscus Salesius cuidam suo poenitenti, ut quod dicitur in secreto confessionis, cum sit tam sacrum, non dicatur extra ipsam. Cuilibet interroganti si quod dixisti, a te sub sigillo confessionis dictum est, respondere potes negative absque duplicitate animi. Deinceps, ergo, firmus esto et tace semper quod velo sacramentali coopertum est; interea, vero, scrupulum non admittas, nam nihil offendisti dicens ea, quamvis melius fuisset si non esses locutus, propter venerationem quae debetur huic sacramento: quae talis esse debet ut extra confessionem nihil manifestetur de iis quae dicta sunt (Cf. *Vita*, vol. II, p. 653). «Ha-

bemus, ait ipse S. Doctor, mutuam obligationem erga Confessarios circa confessionem, celandi quod ipsi dixerint nobis, excepto quod agatur de aliquo argumento quod aedificationis animi esse possit; itaque extra confessionem loqui non debemus de iis » (*Tratten.* 18°).

*e*) Si circa initium confessionis advertat poenitentis surditatem, imponat ei ut redeat alio tempore et loco opportuno, ubi loqui libere possit Confessarius, ne alii audiant, et interim patefacere potest aliis surditatem poenitentis, si tales defectus communiter sit patens. Si vero advertat hoc in progressu confessionis et poenitens post plures debitas interrogationes recte non respondeat, tunc non licet Confessario imponere alta voce poenitenti ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant, quia magna daretur eis suspicio, quod materiam gravem ille sit confessus. Ideoque in tali casu Confessarius intelligendo peccata meliori modo quo possit, absolvat; absolute quidem si poenitens probabiliter censeatur dispositus, sub conditione vero si de dispositione dubitetur, levi imposita poenitentia si eum alii audituri sunt (Cf. S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 483) - (1).

**70.** — 6. **Manifestatio complicis.**

Peccata complicis si cum peccatis propriis a poenitente manifestentur, etsi absque necessitate, cadent sub sigillo. Circa autem complicem memi-

(1) An mutus teneatur confiteri per scripturam, si aliter non possit? Prima sententia negat, quia adest periculum manifestationis. Secunda vero sententia probabilior et communior affirmat; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Id tamen intelligendum modo absit periculum manifestationis, aut grave incommodum extraordinarium. Mutus autem non solum in periculo mortis tenetur sic confiteri, sed etiam tempore praecepti paschalis.

nerit Confessarius non esse exquirendum a poenitente nomen: « Caveat omnino, ait Canon 888, § 2, ne complicis nomen inquirat ». Unde si poenitens vere teneatur complicem patefacere, tantum poterit Confessarius poenitenti imponere in genere, ut eum revelet alicui qui scandalum possit impedire, sed numquam licebit Confessario dicere: *Revela mihi.* Si vero poenitens ex se et sponte sua rogaret Confessarium ut complicem corrigeret, tunc Confessario multa prudentia opus est: nam ordinarie loquendo non expedit ut se immittat in huiusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem, non extra; et ex alia parte Confessarius numquam assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii (Cf. S. Alph., l. VI, n. 192). Notandum quod non prohibetur Confessario interrogare poenitentem de circumstantiis *necessariis* ut saluti ipsius consulatur, v. g. si complex est de sua cognatione, si votis ligatus, si cum ipso inhabitet, si ipsi serviat et similia etiamsi istis interrogationibus indirecte personam complicis manifestetur, sed nomen non exquiratur (Ib., n. 192).

Demum, circa hanc materiam, meminerit Confessarius canones: « Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpretes aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit » (Can. 889, § 1 et 2). « Confessarius qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatus excommunicatione specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est

poenis, de quibus in can. 2368, § 1. Quicumque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur, salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio » (Can. 2369, § 1 et 2).

### § 3. *Opiniones et regulae morales.*

**71.** — 1. **Virtus in medio stat.**

Circa opiniones in materia morali, Confessarius vitet accurate damnum quod oritur ex benignitate adulatrice qua, ait S. Augustinus, multitudinem conciliamus et congregamus turbas ampliores (*Serm.* 165 *de tempore*). Multitudo poenitentium haud raro manifestare potest nimiam Confessarii benignitatem. Poenitentes autem timoratae conscientiae laxam indulgentiam abhorrent; nam non adaptatione opinionum, sed amore et timore Dei iugum Christi suave et leve onus eius fit, adeo ut cum David dicant: *Latum mandatum tuum nimis* (Psalmus CXVIII, 96). Qui vero passionibus indulgent *fingunt laborem in praecepto* (Ps. XCV, 20).

Oportet, ergo, media et modos inducendi poenitentes ad Deum amandum et timendum potius considerare quam opinionum valorem et numerum ponderare. In praeceptis naturalis et divinae legis prudentia non potest nec debet invenire medium ut eam relaxet aliquantulum, ut applicet quamdam probabilitatem quae libertati potius quam legi faveat. Ama et ecce lex impleta: « Nullo modo, ait S. Augustinus, sunt onerosi labores amantium... Et vide quam pudendum sit, si delectat labor ut fera capiatur et non delectat ut Deus acquiratur » (*De bono vid.*, c. XII).

Saepe erratur in eo quod accipitur tamquam consilium quod est praeceptum divinum. Habemus

praeceptum divinum, iuxta iudicium Patrum quorumdam, quoties Dominus Iesus loquitur formulis absolutis vel imperativis, vel quando verba sua non tantum ad discipulos sed ad omnes dirigit, vel etiam quando eloquio suo minas addit, v. g. vocè *vae*.

Vera theologia moralis in materia opinionum ea regula dirigi debet: In articulo mortis qualem opinionem me secutum esse gaudebo? Quid me tunc poenitebit?

**72.** — 2. **Opinionum praxis.**

In praxi, Confessarius uti tenetur illis opinionibus benignis aut tutioribus quae in casu dato melius poenitentem a periculo peccati formalis arcere possint. Si ad hunc finem sufficit uti opinionibus benignis, his utatur; sed si periculo potius essent poenitenti, ad opinionem contrariam vel tutiorem recurrat, sicut docet S. Alphonsus (I, 84; VI, 605), praesertim circa occasiones proximas, sensualitatis motus de quibus non est practice probabilis doctrina quae docet sufficere consensum illis non dare quin actus contrarios eliciantur.

Favere oportet conscientiae potius quam concupiscentiae, gratiae magis quam naturae, Evangelio magis quam moribus saeculi; nam sic agere, ut ait S. Thomas, «non est contra libertatem populi fidelis, sed magis est utile ad impediendam servitutem peccati, quae repugnat libertati spirituali» (II-II, q. CXLVII, a. 3). Quod non impedit quominus Confessarius toleret aliquid in parvis ut emendet in magnis casibus, secundum monitum S. Cyrilli: «Dispensationes rerum nonnumquam cogunt parum quidem a debito foras exire ut maius aliquid lucrari faciant... Despicimus quaedam, ne ceterorum patiamur dispendia» (*Epist. ad Gennad.*). S. Augu-

stinus similiter dicit: «Detrahendum est aliquid severitati ut maioribus malis sanandis charitas sincera subveniat» (*Ep. ad Bonif.*).

Mater omnium virtutum est discretio seu prudentia; quapropter ut bonus Confessarius evadat quisque, oportet virtuosus sit practica virtute non speculativa. Multos respicit haec S. Ambrosii sententia: «Sunt etiam in nobis qui timorem Dei habent, sed non secundum scientiam. Timor in eo est, quia videntur opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est quia non compatiuntur naturae nec aestimant pusillitatem» (*Serm.* 5, in Ps. CXVIII).

Nefas quidem est divinarum legum observantiam relaxare plusquam licet, sed non minus est malum, divinum iugum plus quam oportet durum aliis reddere.

Nimia severitas dum homines ad nimis ardua compellit, viam salutis aeternae praecludit; salvandos, ut ait D. Bonaventura, damnat, et conscios propriae infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit ut miseri homines haec audita rigidiore doctrina credant vel dubitent inesse mortalem culpam ubi nulla est; sed tamen rei difficultate victi ex erronea conscientia mortaliter peccent et damnentur. Recte ergo dicit D. Bonaventura: Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem; item prima saepe dicit malum bonum, secunda e contra bonum malum; item, prima saepe salvat damnandos, secunda e contra damnat salvandos.

**73.** — 3. **Canones et principia moralia.**

In usu opinionum et in eo quod respicit diversos conscientiae moralis status, substantialem doctrinam prae oculis habere necesse est, quam ita brevi complecti possumus:

1) Quamvis opinio legi favens esset tutior, tamen opinio libertati favens, si esset probabilissima, (idest motivo gravissimo fundata adeo ut contraria parum aut nihil probabile appareat), tuta est et sequi eam potes; tunc enim applicatur illud: *qui certus est, certiorari ulterius non potest* (Reg. Iur. 31 in 6°) et applicatur veritas a S. Antonino exposita: *Eligere viam tutiorem consilii est non praecepti* (Sum., P. I, c. x).

2) Rationes quae respiciunt res in seipsis, idest veritatem rerum, diversae sunt a rationibus quae respiciunt actiones humanas, nempe honestatem harum actionum; proinde deficere possunt rationes de veritate obiectiva alicuius opinionis et simul adesse rationes certos nos facientes de liceitate subiectiva actionis in operante, non obstante dubio speculativo circa hanc actionem in seipsa consideratam (Cf. S. Alph., I, 57 e 59).

3) Cum conscientia est moraliter certa, per principia reflexa, quod actio sua in casu dato recta sit, secure operari potest, quamvis intellectus dubitet adhuc an opinio abstracta de illo facto sit vera necne; actus enim humanus sumit suam moralitatem non ab intellectu speculativo idest a vero, sed a voluntate, idest a bono, etiam quando bonum istud apparenter tantum est bonum. Ideoque actus per se illicitus, practice cohonestatur certitudine morali practica cum agens erret inculpabiliter circa principia reflexa.

4) Quando cum conscientia perplexa, agens credit male se agere quocumque modo agat, et est in necessitate operandi ac propterea in impossibilitate actionem differendi, eligere potest ex utraque parte quam vult, principio hoc reflexo: *Ubi non est libertas, non adest peccatum.* Praesupponitur impossibilitas non agendi.

5) In conflictu morali, idest, in dubiis, stari semper potest ex parte illa, libertatis aut legis, per quam stat possessio; videlicet pro parte illa quae in possessione sui iuris erat antequam dubium partis contrariae oriretur; nam ius dubium, quod existere potest, destruere non potest ius certum quod iam est. Si vero praecedentia possessionis dubia est, applicandum est illud: *Qui prior est tempore potior est iure;* si dubia est et ipsa temporis prioritas, applicandum illud: *Quisque probare debet id supra quo se fundat;* quod onus partis contrariae est illi quae possessionem habet.

6) Cum adsit dubium de existentia legis pro casu particulari, vel de legis promulgatione cum omnibus conditionibus requisitis ad promulgationem, stari potest pro libertate, eo quod cum libertas sit prior lege (etiam aeterna, *prioritate rationis,* idest *naturae.* S. Alph., I, 77), non potest vinculari nisi a lege certa. Promulgatio enim legis aeternae simul cum lege naturali fit cum homo ad usum rationis pervenit; posterior ideo est de facto respectu hominis, libertate humana quae, propterea, in dubio, habet anterioritatem in possessione nec adest in hoc casu obligatio adimplendi legem dubiam.

7) *Tenuis* probabilitas non potest formare conscientiam practice rectam, nam fundaretur super solam probabilitatem quod adsit motivum probabile et ideo super fundamentum dubium, minime vero super axioma reflexum: *Qui probabiliter agit prudenter agit.* Hoc axioma autem est securum fundamentum quando respicit stabilem probabilitatem; nam in hoc casu adest certitudo moralis circa libertatem actionis per applicationem huius principii. Hoc evenit cum opinio probabilis fundatur super motivum absolute grave, etsi non omnino certum.

8) In conflictu duarum opinionum aeque aut fere aeque probabilium de honestate actionis, locum habet dubium strictum de existentia legis (idest de eius applicatione in casu dato) quae hoc ipso non obligat, et ideo praevalet libertas.

9) In dubiis de facto, videlicet cum dubitatur de existentia facti particularis, maior vel minor probabilitas duarum opinionum, non excludens periculum damni proprii vel alieni, non facit ut si damnum adsit, hoc de facto non adsit. In hoc casu sequi non potes opinionem minus tutam. Sed in necessitatis casu, cum haberi non possit maior certitudo, uti possumus quacumque opinione non tantum probabili, sed etiam leve probabili (Cf. S. Alph., c. I, 49 et IV, 700).

10) Probabilitas extrinseca alicuius opinionis probabilitatem suam intrinsecam praesupponit (idest, motivum grave propter quod auctoritas eam defendit) et ponderari debet potius auctoritate doctorum quam eorum numero; amitti autem potest si supervenit motivum intrinsecum vel Ecclesiae sententia.

11) Inter diversas opiniones probabiles, cum non sint una altera formaliter tutior, modo unam modo alteram sequi possumus, sed minime *quando agitur de eodem sub eodem aspectu*, idest non in eadem contingentia vel casu practico.

12) Actio quaedam, quae secundum suam naturam universalem (synderesim) inspecta, licita dici posset, in praxi illicita evadere potest. Quapropter, propositio quaedam abstracte considerata probabilis esse potest, sed in concreto, idest cum omnibus circumstantiis de facto accepta, non erit amplius probabilis. Ita, v. g. distinctiones quae fieri solent circa doctrinam de tactibus et osculis (de quibus S. Thomas in II-II, q. CLIV, a. 1) etsi specu-

lative sint probabiles, difficulter tamen, nec dicam: *fere numquam*, applicari possunt in praxi propter periculum ex indifferentibus actibus ad vitiosos transeundi (Cf. I-II, q. XVIII, a. 9). In hoc est opus prudentia et iudicio practico quo Director seu Confessarius videat an quod verum est *speculative* verum sit *practice;* quia in praxi aliqua circumstantia adest per quam praxis differt a speculativa veritate.

13) In dubiis de validitate Sacramentorum, sequi necesse est opinionem tutiorem, cum non possit periculo nullitatis sacramentum exponi (excepto casu necessitatis, cum non posses sequi opinionem tutiorem). *Post factum, in dubio, standum est pro valore actus*, excepto casu in articulo mortis, in quo sequi oportet quod est quam maxime tutius, quantum fieri potest. Ecclesia supplet in quibusdam casibus auctoritate sua defectui qui occurrerit in sacramentorum administratione, *in eo quod a sua potestate pendet*, v. g. defectui iurisdictionis quoad absolutionem.

14) Dari non potest peccatum actuale absque cognitione actuali, directa vel indirecta, saltem confuse, circa malitiam actus vel periculum, vel saltem obligationem de illa cognitione habenda. Haec vero adest cum negligitur discere quod a peccato retraheret, vel cum passio quaedam mulcetur, cuius saltem confuse effectus praevisi sunt, vel cum peccatum committitur ob habitum pravum vel ob irreflexionem in operando, praesertim cum maior circumspectio necesse sit, gravitati rei proportionata.

15) Quando est probabile quemdam actum non esse graviter malum, ut levis teneri potest et conformiter responderi interroganti. Confessarius male se gereret dicens actum illum esse grave pecca-

tum: «Si non potest Confessarius, ait S. Antoninus, clare percipere utrum sit mortale, non videtur praecipitanda sententia... ut illi faciat conscientiam de mortali» (*Summ.*, P. I, t. II, c. II).

16) In dubio an fructuosa erit correctio, omittenda est ad vitandum malum formale quod praevideri potest; attamen, quando omittendo correctionem, probabile sit aliquod grave malum commune, Confessarius eam omittere non potest, nam malum commune super malum privatum praevalet.

**74. — 4. Probabilismi usus.**

Ut regula quaedam directiva in materia probabilismi ac probabiliorismi habeatur, necesse est considerare quod errores in quos ceciderunt quidam alterutrius doctrinae propugnatores, doctrinae ipsi tribui non possunt, sed effectus sunt eius interpretationis vel usus.

Debitis cautelis excludi potest ab utroque systemate rigorem vel laxitatem. Nam probabiliorismus contra tutiorismum propugnat licitum esse usum opinionis probabilioris, quamvis non sit probabilissima; probabilismus autem, ut vitet laxitatem, negat licere usum tenuis probabilitatis. Verum, nulla propositio, disciplinam nimis laxans vel moralem doctrinam corrumpens, umquam solide probabilis ac digna quae ab homine prudenti adprobetur, dici potest; propositionum talium ergo ulla admittitur, imo excluditur a probabilismo authentico, et nulla propositio quae sit solide probabilis laxitatem ex se aut pietatis perversionem efficere potest. Pariter autem, opinio quae maiori probabilitate dicat adesse legem, actionem quamdam vetantem, nimii rigoris accusari non potest. Accusatio vero haec meretur *tutiorismus* docens standum esse pro opinione minus probabili quae legi favet,

quatenus opinio libertati favens non sit certa nec probabilissima. Certe, Summi Pontifices damnantes propositiones nimis severas vel nimis laxas, radicibus earum non pepercissent si periculum constitueret per se ipsam doctrinam probabilismi et probabiliorismi.

Praestat autem considerare in quo duo systemata concordent et in quo discrepent: concordant in exclusione, cum de probabilitate agitur, casuum qui factum vel valorem aut quasi valorem rerum spectant; in illis casibus, vero, ius vel licitum spectantibus, pari consensu contra *laxos* statuunt non sufficere tenuem probabilitatem, *contra rigidos* autem asserunt non oportere ad formalem actus liceitatem quod certitudo vel summa probabilitas materialis liceitatis adsit. Discrepant vero inter se in hoc quod, ad reddendam formaliter licitam actionem, unum systema exigit quod probabilitas, ut neget existentiam legis, maior sit probabilitate legem affirmante; alterum autem docet sufficere ut probabilitas sit aequalis vel etiam minor. Sed utrumque sic illud magis et minus explicat, talique circumspectione ut illa non fiat certitudo nec summa probabilitas, altera levis vel tenuis non maneat sed solida ac gravis sit. Haec discrepantia autem non magna est et in casibus particularibus nunc destruitur, nunc usui impervia redditur: destruitur vel tollitur cum circa eamdem opinionem, unum systema dicit eam esse probabilissimam; alterum vero asserit esse solide ac graviter probabilem; efficitur impervia et inutilis cum non discernitur in quanam parte adsit maior probabilitas qualisque ex contrariis rationibus fortior ac gravior sit. Circa hoc autem practice dubio afficiuntur vel ipsi magni magistri: «Quis enim, ait Roncaglia, vel studendo vel praecipue dum audit confessiones,

potest omnia momenta utriusque partis librare et inde definire: hoc est minus probabile? Hoc est onus intolerabile: satis mihi fuit in praxi sequi sententias quas rationabili fundamento innixas putavi, et ita credidi satisfecisse meae conscientiae absque eo quod iudicem me constituere inter minus probabilem et magis probabilem» (Tract. I *de act. hum.*, c. II).

Ceterum en quomodo loquitur unus ex *probabiliorismi* propugnatoribus: «Cum dubitatur an opinio legi favens sit aeque probabilis aut parum probabilior, tum locum habet idem principium quod *lex dubia non obligat;* tali enim casu ipsa lex non desinit esse stricte dubia; nam tunc quamvis aliqua pro lege maior adesset probabilitas, cum dubitatur an haec maior probabilitas adsit necne, praeponderantia erit tam levis et minima ut nihili facienda sit pro illo effato communiter ab ipsis adversariis admisso, quod *parum pro nihilo reputatur*. Secus autem esset quando excessus esset evidens atque certus, quia tunc opinio legi favens erit certe et multum probabilior: et statuatur quod cum opinio legi favens est certe probabilior, tunc est quoque *multum probabilior* ideoque tunc lex est iam moraliter promulgata, ideoque obligat et est procul dubio observanda» (D. Neyraguet, *Th. Mor.*, p. 14).

**75.** — 5. **Probabilismi casus frequentiores.**

1) Confessarius potest et debet absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem probabilem quidem, sed oppositam sententiae quam ipse tenet. Confessarius enim non est iudex opinionis sed iudex tantum dispositionis.

2) Illud axioma: *In dubio melior est conditio possidentis* intelligendum est non solum in materia

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY


iustitiae et iuris sed etiam aliarum virtutum, iuxta communiorem sententiam.

3) Si dubites *positive* utrum alicui obligationi iam satisfeceris, probabiliter non teneris ei adhuc satisfacere; si dubium sit negativum aut practicum teneris adhuc iuxta omnes. In primo casu enim, obligatio remanet dubia ac proinde nulla, cum adsint rationes aliquatenus affirmantes; in altero autem hae desunt ac proinde manet dubium practicum, quo agere, esset contra legem.

4) In dubio practico diligentia adhibenda est ad dubium depellendum; si vero diligentia peracta, existentia legis dubia remaneat, per principia reflexa conscientia certa efformanda est. Si illud tandem repelli nequeat et actio urgeat, tutius sequi oportet.

5) Probabilius licet occidere ebrium et amentem aggressorem; quod si certo scias (quod vix umquam continget) eum in statu peccati mortalis versari, tunc constitutus est aggressor in extrema necessitate spirituali ac proinde regulas charitatis servare debes, nempe vitam illius servare etiam cum periculo vitae, dummodo sit spes moraliter certa salvandi illum, et non periclitetur salus plurium aliorum ex morte ob talem causam subeunda.

6) Etsi non liceat puellae occidere aggressorem honoris sui post oppressionem, potest tamen, probabilius, occidere invasorem pudicitiae propriae et alterius ante factum. Imo, *probabilius* licet occidere furem ob bona fortunae *magni momenti*, si aliter retineri non possunt; a fortiori, occidere iniustum aggressorem etiam pro defensione membrorum, si mors illius non intendatur neque sit aliud medium. Raro tenetur quis *privatus* hoc facere pro altero, etiamsi vita istius periclitetur.

Probabilius posset cogi innocens ut seipsum ty-

ranno eversionem urbis minanti et eum petenti traderet pro bono publico, et probabiliter, si nollet, etiam tradi.

7) Probabilius expellere semen virile *statim post copulam* licet ei quae vi aut dolo oppressa fuerit. Tunc enim semen se habet ad modum iniusti invasoris, nec est periculum abortus cum conceptio non fiat in vagina.

8) Probabilius non licet, saltem intrinsece et practice, bellum gerere cum probabilitate sui iuris.

9) Controvertitur utrum iniustus *externe* evadat qui opus externum ex mala quidem intentione ponat, non tamen sit *vere probabile* quod damnum sit secuturum, v. g., si ex intentione occidendi inimicum ponit quis venenum aut laqueum in loco per quem inimicus transit. Utraque sententia, affirmans, sc., et negans, est solide probabilis.

10) Graviter non peccat qui, sive nesciens sive (probabilius) sciens, levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eumdem inchoatam. Excipitur casus conspirationis.

11) Probabilius tenetur reparare damnum qui incendit domum Caii quam nescit esse assecuratam. Et per se restitutio facienda esset Caio; sed cum assecurati omnia iura cedant societati, huic restituendum videtur. *In praxi* restitui potest pauperibus, et probabiliter etiam datur locus compositionis.

12) Probabiliter famuli non tenentur ad restitutionem quando culpabiliter non impediunt damna quae domino inferuntur nisi res ipsis specialiter commissa fuerit.

13) Probabilius valet restitutio facta per simulatam donationem. Si autem creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat hoc ei erit restituendum; nisi creditor idem fecisset, donatione debitoris non accepta.

14) Debitor ex delicto ad expensas tenebitur si hae non notabiliter superent rei valorem. Probabilius non tenebitur si superent notabiliter (sc., si superent plus duplo).

Pro damnis reipublicae illatis probabiliter satisfieri potest si pauperibus vel causis piis restituatur.

15) Ad nihil tenetur, probabilius, qui alium occidit in duello libere provocato vel acceptato.

16) Pro damno *mere naturali* seu pro laesione integritatis corporalis et amissione virginitatis probabilius nihil restituendum est, v. g. a medico curante.

17) Probabiliter non tenetur violator ducere puellam, si aliter reparare damnum possit, quamvis illam violaverit cum promissione matrimonii. Imo hoc certum erit si haec promissio non habeat requisita ad sponsalia.

18) Dum res extraordinariae bonitatis miscentur cum vilioribus potes probabiliter eas vendere pretio currente, sed hoc errori est obnoxium; si vero commixtio reddat rem notabiliter deteriorem aut minus utilem peccas contra iustitiam. Tandem, si omnes revera ita faciunt nec est aliud medium obtinendi iustum pretium infimum aut medium, probabiliter potes, ut illud obtineas, miscere res aut minuere pondus vel mensuram.

19) In venditione sub hasta, emptor *rogare* potest alios ne licitent; non autem cum illis pactum facere ne plus offerant, saltem in casu *coactae subhastationis*. Excipiunt plures si emptores sint societate coniuncti vel quasi coniuncti, et probabiliter etiam si vigeat usus ut venditor rem suam retrahat quando pretium inferius ei offertur. Alii opinantur huiusmodi pactum non adversari iustitiae licet aliquando adversetur charitati.

20) Probabiliter non peccant contra iustitiam mercatores qui conspirant ne merces suas vendant nisi summo, licet *iusto*, pretio. Tamen peccant contra charitatem. Probabilius non peccant contra iustitiam, nec probabiliter contra charitatem, qui tempore messis vel vindemiae emunt omne triticum vel vinum regionis, ut postea pluris vendant modo non pretio supra summum. Facto monopolio cum pretio iniusto, non ideo licet aliis mercatoribus eodem pretio iniusto vendere.

21) Qui scit mutatum fuisse ficticie pretium valorum propter rumores falsos, probabilius nequit hoc pretio vendere aut emere.

22) Ad restitutionem erga fiscum probabiliter non tenetur notarius etsi in instrumentis venditionis aut inventarii, non verum rei pretium ponat ad tributum minuendum.

23) Generatim non licet morphium ad dolores leniendos adhibere; praesertim per iniectiones subcutaneas et ope siphunculi, nisi agatur de gravioribus doloribus; sed adhuc in hoc casu moderatione est opus, nec permittendus infirmo usus siphunculi. An idem liceat in extraordinariis doloribus partus controvertitur; sed probabiliter licet. An et in ordinariis partus doloribus etiam disputatur, sed probabilius negandum videtur.

24) Probabilius sacerdos peccator conferens sacramentum non peccat mortaliter nisi vere conficiat sacramentum et sollemniter, seu ritu Ecclesiae et sit ad hoc ordinatus.

25) Qui recordatur peccati mortalis in confessione inculpabiliter non declarati non tenetur confiteri ante celebrationem vel communionem; probabilius, etiam si possit sine incommodo confiteri vel susceptionem sacramenti omittere.

26) Probabiliter saltem, non adest obligatio confitendi peccatum: *a*) quod probabiliter non commisi; *b*) quod probabiliter non est grave; *c*) quod probabiliter iam accusatum est; *d*) quod accusatum fuit ut dubium, et nunc apparet certum (Cf. Ferreres, *l. c.*, n. 578-583).

27) Probabilius peccata dubie commissa, si dubium est positivum, non sunt accusanda. Si dubium est negativum, disputatur; sed S. Alphonsus censet sententiam excusantem probabilem (vel potius quamvis inclinet ad sententiam negativam cum Suarez, Lugo, etc., tamen non audet deinde damnare contrariam. Vol. III, n. 477). Rigorose loquendo quis, non praemissa confessione, potest accedere ad sacram Synaxim cum peccato mortali *dubio probabili*. Ac proinde sacerdos *dubitans*, an adhaeserit pravae cogitationi, seu iudicans probabiliter se ei non adhaesisse, celebrare potest sine confessione, praemissa tamen contritione, quamvis copiam Confessarii habeat (Cfr. Ferreres, *Comp. Th. Mor.*, 578-583).

28) Certum est, non necessario accusandas esse circumstantias *leviter* aggravantes et minuentes, et *probabiliter* neque *notabiliter* aggravantes (Conc. Trid. et Codex I. C. quando enumerant conditiones ad integritatem requisitas, solum loquuntur de circumstantiis speciem mutantibus. Cfr. Trid., sess. XIV, c. v et vii apud Denz. n. 899). Excipe casum quo Confessarius interroget de re necessaria et utili ad iudicium verum efformandum de statu poenitentis vel ad remedia praescribenda.

29) Quoad incestum nota, non differre, *probabilius*, consanguinitatem ab affinitate, neque consanguinitatem a cognatione legali; sed certe differt cognatio carnalis a spirituali. Gradus autem *saltem*

*probabiliter* non constituunt speciem diversam, *nec primus gradus.*

30) Si quis diceret: «me accuso de peccatis vitae anteactae praesertim de tali peccato» et diceret tunc peccatum recens ut praeteritum, valde controvertitur si satisfacit confessioni; alii auctores vident in hoc mendacium grave, alii vero non, proindeque standum est pro libertate poenitentis, qui etiam cum hoc mendacio satisfacit integritati confessionis.

31) Ligatus voto castitatis peccans cum alio, similiter ligato, utramque circumstantiam declarare debet. Sacerdos autem vel religiosus peccans contra castitatem *probabiliter* non tenetur aperire nisi voti circumstantiam.

32) *Quamvis speculative loquendo,* denuntiandus sit, qui cognita in confessione mulieris fragilitate, postea eam domi sollicitat: tamen quia in casu denuntiatio vix fieri potest quin mulier se ipsam infamet, *ad quod non tenetur,* videtur vix umquam in casu adesse obligatio denuntiationis (Cfr. Ferreres, *l. c.*, n. 696, 697).

33) In materia castitatis melius est in pluribus deficere circa integritatem confessionis per interrogationes, quam in uno superabundare; unde in dubio standum est pro negativo.

34) Si confessarius cognoscat *certo* peccatum aliquod a poenitente reticeri, tunc si hoc cognoscet alterius confessione, interroget generatim, ne violetur sigillum; si vero poenitens id neget, *probabilius* eum absolvere debet saltem conditionate; si extra confessionem cognovit, ex alterius relatione, peccatum illud, *probabiliter* debet poenitentem absolvere, etsi ipse neget; tamen, si extra confessionem ex propria scientia cognovit illud, non potest eum absolvere, si nempe nequit prudenter supponere

illum talis peccati oblitum fuisse vel habere ius ad tacendum vel apud alium confessarium iam fuisse confessum vel gravitatem peccati non percipere.

35) Qui omittit recitationem precum, quae post ordinationem per modum poenitentiae ab Episcopo imponuntur, probabiliter peccat tantum venialiter vel nullo modo. (Quoad istas preces, haec habetur declaratio S. R. C. 27 iun. 1899, ad I: «Pro *Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicae in Psalterio, prout Ordinatio in feria, Festo aut Dominica habita sit». Non tamen recitari debet invitatorium, nec hymnus nec lectiones.) Sacerdotes Missam, qua ordinantur, concelebrant cum Episcopo, et possunt eam ad propriam intentionem applicare, imo et stipendium accipere.

36) Matrimonium irritum ob impedimentum occultum, *probabilius* non est revalidandum coram parocho et testibus, etsi isti illius conscii fuerint tempore contractus. Sed quum contraria sententia *probabilis* sit, in praxi pars tutior est sequenda.

37) Uxor quae se ipsam tactibus excitat ad seminationem statim post copulam non peccat graviter, probabilius nec leviter. Tactus cum seipso ex delectatione venerea, absente altero coniuge, veniale *probabiliter* non excedunt, secluso pollutionis periculo. Idem dic de delectatione morosa illius circa copulam habitam vel habendam.

38) Si Confessarius ignorans reservationem, bona fide absolvat a censura, etsi reservata, excepto casu quo agatur *de censura specialissime* Ap. Sedi reservata vel *ab homine*, valide absolvit. Generatim vero absolvere non potest a censuris illum qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censurae subiacebat, et quamvis *pro-*

*babiliter* sit *valida* absolutio, non satisfacta parte, tamen generatim erit illicita (Cf. Can. 2245, § 4, 2247, § 3; 2263).

39) Etsi incurrant in excommunicationem speciali modo R. P. reservatam «opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant; itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia, legentes vel retinentes» (C. 2318, § 1), tamen dominus typographiae non incurrit in hanc censuram; neque audiens legentem, saltem *probabiliter*, nec qui parum legit, ob materiae parvitatem; neque qui ex necessitate legit ad convincendum haereticum, si non potest recurrere ad Superiores; nec qui parvo tempore librum retinet; nec denique qui librum retinet expectando tempus opportunum ut Superiori tradat.

### § 4. *De peccati occasionibus.*

**76.** — 1. **Opus omnino arduum.**

*a*) *Fama conservetur*. Arcere poenitentem ab occasionibus quibus irretitur, casus omnium maxime arduus est; nam, ut ait Chrysostomus, hoc providi est medici, ut non praesentia tantum mala depellat, sed et adversus futura praemuniat (*Serm.* 62 *ad pop.*). Opus est autem prudentiam zelo adeo sociare ut si cum anima poenitentis etiam honor ipsius salvari potest, quaerendum est quod ad hoc opportunum sit; videlicet mediam viam incedere saepe oportet. «Qui studet emendationi fratris, ait S. Thomas, debet, si potest, sic emendare fratrem, quantum ad conscientiam, ut fama eius conservetur; quam quidem est utilis non solum in temporalibus,

sed etiam quantum ad spiritualia» (II-II, q. LXXIII, art. 7).

*b) Gravis error.* Error frequens in poenitente occasionibus peccati irretito est ut credat sufficere propositum non peccandi, sed licere ei periculo vel occasioni peccandi sese exponere. Alius error est circa occasionem proximam et remotam: sufficit quod frequenter in tali occasione peccet quis mortaliter ut proxima dicatur etiamsi desit opus externum. Quia autem huiusmodi poenitentes credunt se peccatum vitare posse quin occasionem fugiant, rati quod propositum extendi debeat ad peccatum non ad occasionem, hanc fugere promittere recusant. Quapropter iis non est cedendum, imo cum malum adhuc leve est, sed praevidetur mox grave futurum, tunc sequi necesse est regulam quam S. Thomas tradit: «Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quod supponatur id quod est deterius; quia remedium, quod est efficax contra maius malum, multo magis est efficax contra minus malum» (II-II, q. LX, a. 4).

*c) Occasio necessaria.* Prudentiae Confessarii est ut bene discernat occasionem in qua quis sit tantummodo ob malitiam, ab illa in qua est ob necessitatem. Pariter bene distinguere debet veritatem a fictione circa naturam occasionis, necessitatem et praetextum, ut sciat quomodo agat in rerum adiunctarum varietate. Quia vero saepe haud est facile percipere quando impossibilitas moralis occasionem deserendi sit vera necne, ab auctoribus haec sola regula traditur: Quando occasionem removere difficilius est in praxi quam sit difficile, occasione habita, vitare peccatum, tunc occasio ipsa est moraliter necessaria, ac proinde nulla est obli-

gatio eam prius removendi. Confessarius, tamen, probare debet, etiam in hoc casu, bonam poenitentis voluntatem, nempe quod removeret occasionem si posset. Usquedum igitur, hanc voluntatem non cognoverit experimento vel interrogatione, eum absolvere non debet, praesertim in materia de avaritia et luxuria. Quando autem imponenda sit obligatio removendi occasionem etiam gravissimo cum incommodo, poenitens prius adiuvandus est, animo sublevandus, hortationibus movendus, remediis fulciendus ut peccata minuat ac deinde, post impensum laborem ac zelum, obligandus ad remotionem illam. Si poenitens nihil, aut fere, faciat vel facere velit, tunc occasio non solum necessaria, sed et voluntaria manifeste fit.

Poenitens, ergo, qui promittit *sincere* se derelicturum occasionem peccandi proximam *voluntariam*, potest absolvi antequam eam deseruerit, si agatur de *occasione non in esse;* si vero agatur de occasione in esse, *quae facile* dimitti statim possit, non oportet eum absolvere *generatim* loquendo, nisi det signa verae conversionis seu magni doloris. Imo, iuxta S. Alphonsum, si poenitens ad eumdem confessarium redire non possit, vel saltem nonnisi post diuturnum tempus, tunc non solum absolvi potest, sed *ius habet* ad absolutionem recipiendam. Qui versatur in occasione *necessaria* absolvi potest, dummodo serio promittat media adhibere quibus e proxima fiat remota; quamvis post plures confessiones redeat sine ulla emendatione, dummodo nunc serio velit ea adhibere quae sunt: diligens oratio, frequentior usus sacramentorum, quotidiana renovatio propositi non amplius peccandi, non versari solus cum sola, fugere ab aspectu complicis. In casu quo poenitens velit ea adhibere, quum praeceptum vitandi occasiones imponatur ad

cavenda peccata, adhibenda foret regula generalis, ut mature perpendatur utrum in praxi difficilius sit occasionem removere, quam vitare peccatum, occasione praesente, an vero facilius. Si difficilius sit occasionem removere, decernatur moraliter impossibile esse eam auferre (Cf. Ferreres, *l. c.*, 735, 736).

**77. — 2. Monita S. Caroli.**

Error est credere quod occasio proxima sola peccata contra sextum praeceptum respiciat. Occasiones peccati, iuxta S. Carolum Borromaeum, sunt eae res, etsi in se licitae, ob quas tamen rationabiliter credi potest poenitentem quamdiu in eis irretitur denuo in gravia peccata lapsurum. Plerisque enim sua quaeque ars vel suum officium occasio continua est peccandi blasphemiis, furtis, iniustitiis, calumniis, odiis, fraudibus, periuriis aliisque peccatis. In eodem exercitio perseverantes, manifestum est in peccatis eos perseveraturos. Quapropter, huiusmodi poenitens deserere debet, iuxta S. Augustinum, officium suum vel eum adimplere sub ductu ac consilio et obedientia Confessarii, qui eum secus absolvere non debet... Cautius procedere debet Confessarius, ait idem S. Carolus, circa ea quae magis poenitentem ad malum inclinant et facile in peccata trahunt, qualia sunt saltatio, conversatio mala, cauponae frequentatio, quarum occasione cum sit poenitens ad peccatum proclivis, absolutionem recipere non debet nisi iis valedicat vel serio promittat quamprimum deserere malam occasionem. Si autem videbitur Confessario se credere posse una et altera vice promissioni ex parte poenitentis, eum absolvere poterit; sed amplius non absolvat nisi prius occasionem removerit vel deseruerit.

**78. — 3. Choreae.**

Choreae, nisi malo fine fiant, aut cum periculo aliquos aut seipsum incitandi ad libidinem, vel cum aliqua circumstantia mala, secundum se non sunt malae, neque actus libidinis, sed laetitiae. Quando Sancti Patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de choreis turpibus et de earum abusu. Choreae ergo per se licitae sunt, modo fiant a personis saecularibus *cum personis honestis* et *honesto modo*, scilicet non gesticulationibus inhonestis. Ideo, qui ita infirmi sunt ut occasionem proximam peccandi inveniant in saltationibus, sub gravi illas deserere debent, nisi forte necessitas urgeat, et absit saltem probabiliter consensus periculum. Ceterum choreis honestis assistere sine necessitate, secluso periculo proprio, saltem probabili, et scandalo, facile omni peccato vacare potest (1).

Attamen haud licitae dicendae sunt choreae cum larvis quae, experientia teste, causa sunt impudicitiae. Publice autem in praedicatione omnes choreas reprehendere non expedit. Ut iudicari possit utrum in casu dato choreae periculum prae se ferant, oportet poenitentis animum et concreta choreae adiuncta attendere (2).

(1) Heu tamen quam raro hoc contingit! Unde Pius P. XI ita laudat quosdam Episcopos circa ea quae in synodo dioecesana tractaverunt: « Etenim id est in laude vestra ponendum, quod multa constituistis ad propulsandam eorum malorum colluviem accomodatissima, quae, recentiore praesertim aetate, in patriam vestram, inque omnem societatem christianam invasisse nemo cordatus non doleat: ut sunt, exempli causa, impudentissimae choreae, inhonesta spectacula, sodalitates neutrae quas vocant, immoderatusque potionum alcoholicarum usus » (Cfr. *A. A. S.* XVI, 273).

(2) En quomodo loquitur magnus animarum director, S. Franciscus Salesius: *De mener au bal cette fille fort souvent ou rarement, puisque c'est avec vous qu'elle ira, il importe peu; votre prudence doit juger de cela à l'œil et selon les occurrences. Mais la voulant dédier*

**79.** — **4. Scholae neutrae.**

Quoad *scholas* quas *neutras* vel *mixtas* appellant, quae indistincte alumnos cuiuscumque cultus

*au mariage et elle ayant cette inclination, il n'y a pas de mal de l'y conduire, tant souvent que ce soit assez, et non pas trop* (Lettre à la Présid. Brulart, 20 avril 1610). *L'abbé Anselme, dans le panégyrique de saint François de Sales qu'il prononça en* 1700, *croyait pouvoir dire, parlant de notre saint : Et pourquoi lui faire l'injure de soutenir qu'il permet les spectacles, les vains amusements, les profanes divertissements du siècle, lui qui impose, pour s'y trouver innocemment, des conditions impraticables? Que le saint ait porté dans sa doctrine de la danse mille restrictions et prohibitions, cela ne fait pas de doute. Mais lui attribuer un anathème absolu et tel qu'il aboutisse à l'abstention totale, c'est une déformation de sa pensée. Il faut voir les choses comme elles sont et non comme nous voudrions qu'elles fussent. Si l'* Introduction *pouvait, à la rigueur, suggérer la conclusion tirée par l'abbé Anselme, la* Correspondance *lui donnerait un démenti. Saint François de Sales a permis expressément le bal à telle ou telle de ses dirigées, sous réserve de certaines précautions. Par exemple, il le permet ici à une jeune fille accompagnée de sa mère. L'abbé Anselme, il est vrai, ne connaissait sans doute que l'* Introduction. *Ce livre exquis est, hélas, un peu comme* Le vase brisé *de notre saint!* (Francis Vincent, *S. François de Sales directeur d'âmes*, p. 280). — Ipse S. Doctor sic de se ait : *Quelques uns qui ne m'ont pas seulement blâmé mais m'ont âprement baffoué en publique de ce que je dis à Philothée que le bal est une action de soi même indifférente... Et moi, sachant la qualité de ces censeurs, je loue leur intention que je pense avoir été bonne; mais j'eusse néanmoins désiré qu'il leur eût plu de considérer que la première proposition est puisée de la commune et véritable doctrine des plus saints et savants théologiens, que j'écrivais pour les gens qui vivent parmi le monde et les cours, qu'au partir de là j'inculque soigneusement l'extrême péril qu'il y a ès danses.* (*Traité de l'amour de Dieu*, Préface, t. IV, p. 19).

*Ce sont choses indifférentes de leur nature,* ait in « *Philothée* », *mais selon l'ordinaire façon avec laquelle cet exercice se fait, il est fort penchant et incliné du côté du mal et par consequent plein de danger et de péril... dansez peu et peu souvent, Philothée, car faisant autrement vous vous mettrez en danger de vous y affectionner* (3ᵉ p., c. 34, t. III).

B. Ioseph Cafasso, magnus Confessarius et venator animarum, circa choreas seu saltationes, si quis in confessione eum interrogaret de liceitate illarum, rerum adiuncta examini subiiciebat, v. g. circumstantiam extrinsecam, finem, colloquia, participantium qua-

religiosi, ubi nulla docetur religio, dicendum eas occasionem proximam perversionis praebere; proinde non licere eas adire nisi ob *grave motivum* et cautelis. *Ecclesia semper scholas quas approbavit magis vel minus damnavit*; ita Leo XIII in Encycl. *Nobilissima* 8 Febr. 1884 - (1). Quae autem etiamsi cautelae adhibeantur, difficulter removebitur periculum in scholis *positive* malis; ideo non obstante necessitate, eas deserere oportet. Filii a parentibus coacti eas adire et frequentare, ut ii qui sunt in occasione proxima necessaria habendi sunt, ut monuit Card. Vicarius Romae. Canon 1374 apprime erit servandus: «Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mix-

hisces absque necessaria. Si quid minus inveniebat, illico choreas prohibebat etiamsi ob solum obedientiae parentibus defectum. Generatim vero non prohibebat, sed hortabatur ut eae desererentur vel minus frequentarentur et prius ut sacramentum poenitentiae reciperent absque etiam inter choreas facerent vel preces iaculatorias aut orationes pro puellis defunctis quae iam saltaverunt effunderent, vel ut cogitationem mortis haberent assidue poenitentes huiusmodi monebat.

(1) Super autem Pius XI, felic. regnans, haec in Encyclica de juvenum christiana educatione (die 10 januarii 1930) habet italica lingua: «Falso è ogni naturalismo pedagogico che in qualsiasi modo escluda o menomi la formazione soprannaturale cristiana e l'istruzione della gioventù; ed è erroneo ogni metodo di educazione che si fonda su tutte le parti sulla negazione o dimenticanza del peccato originale e della Grazia, e quindi sulle umane forze della natura... Questi (i due sessi) conforme agli ammirabili disegni del Creatore, sono destinati a compiersi reciprocamente nella famiglia e nella società appunto per la loro diversità, la quale per ciò deve essere *mantenuta e avvertita nella necessaria distinzione* e corrispondente separazione proporzionata alle varie età e circostanze. Questo principio va applicato a tempo e a luogo, secondo le norme della prudenza cristiana, *a tutte le scuole*, segnatamente nel periodo più delicato e decisivo della formazione quale è quello dell'adolescenza e nelle esercitazioni ginnastiche e di riporto, con particolare riguardo alla modestia cristiana della gioventù femminile, alla quale gravemente lisdice ogni esibizione e pubblicità».

tas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequententent. Solius Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae frequententur ».

Remedia autem opportuniora haec videntur: *a) parochi* instruant pueros in illis praecipue rebus, quae ab haereticis impugnantur; *b) parentes* invigilent solliciti super filios suos; *c)* interrogent pueros de doctrina tradita; *d)* libros recognoscant; *e)* a consortio haereticorum filios arceant, etc.

§ 5. *Prudentia in materia famae vel honoris.*

**80.** — 1. **Principium generale.**

In materia famae vel reputationis et honoris, dicendum in primis quod generale principium: *tenetur aliquis ad restitutionem famae, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtractae* (S. Th., II-II, q. LXXV, a. 12), non respicit infamiam iam praeteritam cuius nemo recordetur, praesertim si persona cui fama subtracta fuerit, nunc aestimatione ac fama gaudeat; neque infamiam quae non fuerit ab audientibus recepta; nam tunc non habet locum restitutio cum iam alio modo et aliunde facta sit. Restitutio enim, iuxta S. Thomam, nihil aliud est nisi *iterato aliquem statuere in possessionem rei suae, ut fiat aequalitas iustitiae secundum recompensationem* (*l. c.*, q. LXII, a. 1).

**81.** — 2. **Casus.**

Multum iuvat meminisse alia principia necnon distinctiones atque ad casus speciales applicationem.

Detractio, (quae est alienae famae iniusta violatio aut denigratio), dupliciter differt a contumelia

(quae est iniusta honoris diminutio); *obiecto*, quia contumelia honor, detractione autem fama laeditur quae est opinio seu aestimatio de alterius excellentia; honor autem est testificatio alienae excellentiae animo conceptae; *modo*, quia contumelia instar rapinae fit aperte contra praesentem; detractio ut plurimum instar furti occulte et contra absentem.

Detractio est ex genere suo peccatum mortale, etsi ex parvitate materiae aut indeliberatione fieri possit veniale. Ratio, quia est gravius furto quod est mortale, cum laedat proximi famam, quae est maius bonum quam opes.

*Regulariter* non est mortale revelare naturales defectus animi, corporis vel natalium, quia non sunt defectus morales; nec infamia apud prudentes reputatur, quod quis v. g. sit stupidus, luscus, spurius, etc. Per accidens fieri potest ut narrando defectus etiam naturales, spectata conditione et statu alicuius, graviter ei noceas et sic graviter pecces, ut si gravem, et optimi nominis praelatum aut religiosum, mendaciis assuetum esse affirmes; virum gravem ac consularem, illegitime natum, iudaeum etc. dicas. Idem est si de altero nihil in particulari, sed tantum in genere dicas, v. g. te scire aliquid de illo quod, si dicas, magno illum rubore sit affecturum.

Plerumque etiam levis detractio habetur si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. g. esse iracundum, superbum, etc.; quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione et defectu involuntario, nec oritur grave damnum famae: aliquando tamen potest esse gravis.

Similiter non erit mortale communiter referre peccata mortalia quae ob conditionem personae non notabiliter famam laedunt, v. g. si dicas militem

habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam; adolescentem esse prodigum, deditum amoribus.

**82. — 3. Quid liceat.**

Crimen aut defectum alicuius, modo verum, saepe licet prodere ob iustas causas. « Si verba, ait S. Thomas, per quae fama alterius diminuitur proferet aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio » (*l. c.*, q. LXXIII, a. 2). Unde, licet: *a*) cum expedit superiorem scire suorum defectus ut emendentur; *b*) causa consilii vel auxilii capiendi, in quo tamen videndum ut cum minimo damno tertii fiat; *c*) cavendi causa alterius damnum, ut si alicuius aestimatio falso concepta de eius doctrina, probitate, est aliis perniciosa, dummodo nulla alia sit ratio commodior impediendi, et damnum, quod proximo timetur, sit maius aut saltem aequale damno quod ex manifestatione defectus aut criminis alterius ei obveniret.

Hinc, pariter, si quis iniuste laedit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via quam imminuendo quoque famam illius, id licet, dummodo falsa non dicas, et solum in tantum quantum ad tuam famam conservandam necesse est, nec magis laedas quam laedaris collata tua et alterius persona. Secus tamen si agatur in iudicio, et tu nullo modo possis probare illius crimen, quia tunc infamatio illius nihil tibi prodest. Omnino enim peccas, si falsa dicas, ex prop. 44 damnata ab Innoc. XI, quae dicebat: « Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat ».

**83.** — 4. **Quid excusandum.**

Si quis solatii tantum causa et non intentione detrahendi, alicui amico narret iniuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori; ea enim ipsi imputanda est. Imo, est sententia satis *probabilis* quae excusat a mortali illum qui unicum peccatum alterius unico viro prudenti et discreto revelat, modo specialis malitia huic revelationi non adiungatur.

Hinc *probabiliter* excusari possunt saltem a mortali famuli detegentes iniurias sibi illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, religiosi a praelato, doloris tantum mitigandi causa. Cavendum tamen ne dicatur pluribus, vel plus nominetur persona quam necesse sit ad consilium vel solatium.

Crimen *publicum* potest revelari illud ignorantibus; si est publicum in uno loco probabilius *per se* potest revelari, saltem sine peccato gravi, in alio loco ad quem *sine dubio* cito illius notitia perveniet. Si non sit perventura, adhuc revelari potest, probabilius, si crimen sit publicum notorietate iuris, et probabiliter si sit publicum notorietate facti.

Crimen *secretum* revelari potest ob varias causas quae sunt: utilitas *notabilis* revelantis, utilitas delinquentis, utilitas publica, utilitas gravis audientium et aliorum.

**84.** — 5. **Quid damnandum.**

Infamem in uno crimine de altero valde affini infamare est tantum veniale. De disparato tamen et non connexo crimine infamare est mortale, quia infamis in uno crimine non amisit ius famae circa alias virtutes.

Detractio materialis, ex loquacitate orta, est mortale si gravem proximi laesionem importet,

idque advertatur; quia etsi non intendatur directe laesio alterius, ea tamen indirecte et implicite est volita et aequivalet formali. Veniale autem tantum erit si non sequatur laesio gravis, quia scilicet communiter non serio accipitur nec creditur. Mortuum infamare minus grave est quam vivum; mortale tamen et ad restitutionem obligans.

Gravissime peccant qui ordini seu statui alicui religiosorum in communi vel monasterio detrahunt dicendo, v. g. quod in eo male vivatur, non servetur observantia regularis etc., nisi id sit plane notorium; quia gravissime nocent, teneturque sub mortali ad restitutionem toti communitati; a qua superioris remissio non excusat. Similiter mortale est nominare monasterium vel ordinem religiosorum in quo grave peccatum occultum, v. g. adulterii vel fornicationis, commissum est. Adverte, quod delictum publicatum in uno monasterio, non potest dici absolute publicum; unde non potest alibi manifestari et ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis quod cum illo haberet frequentem communionem.

Ad vitandum *grave* tuum damnum potes crimen occultum alterius revelare, quamvis notitiam eius accepisti iniuste per vim aut fraudem, puta aperiendo litteras, etc., hisce conditionibus: 1° si revelatio esset necessaria ad bonum commune reipublicae; 2° si alter teneretur ex iustitia secretum revelare ad damnum tuum reparandum; 3° si ille iniuste te vexaret.

Qui refert tantum peccata gravia alterius, ut ab aliis audita, peccat graviter vel leviter contra *iustitiam* et *charitatem* aut saltem contra charitatem iuxta quantitatem et qualitatem effectuum praevisorum. Qui audit detractionem et efficaciter inducit alium ad detrahendum peccat contra iustitiam; si

gaudet de detractione gravi facta peccat graviter contra charitatem. Superior, si non impediat cum commode possit, peccat contra charitatem, aliique audientes plerumque aut fere semper a gravi excusantur.

Quia in hac materia detractionis difficillime constare potest correctionem proficere, et aliunde facillime offenduntur detrahentes coram aliis correpti, imo periculum est quod potius augeant vel confirment detractionem: ex omnibus his motivis, simul congestis, rationabiliter sustineri potest communissima sententia excusans universe audientes a mortali si correctionem omittant. Excusantur etiam apud omnes a veniali qui advertendo detractionem discedunt, vel sermonem divertunt, vel faciem avertunt aut tristem ostendunt. Ratio, quia istae actiones sunt vere correctiones.

**85.** — 6. **Famae restitutio.**

Detractor tenetur ex iustitia, quantum fieri potest, ad reparandam famam et ad compensanda omnia damna temporalia praevisa, ex diffamatione provenientia. Obligatio restituendi famam est *personalis;* obligatio reparandi damna est *realis,* ac proinde transit ad heredes. Detractor tamen non tenetur, sicut calumniator, reparare famam etiam cum iactura propriae famae. Si restitutio famae modo directo facta potius noceat quam prosit, tunc melius est indirecte, occasione oblata, serio et pluries honorabiliter loqui de laeso, vel illum honorifice tractare. Hic modus communiter aptissimus creditur. Si autem fama est restituenda ab eo qui falsum crimen impegit, tunc diffamator tenetur id aperte retractare, adhibito etiam, si opus est, iuramento.

Datur obligatio restituendi famam etiam sine

laesione formali iustitiae, ex inconsiderantia ablatam, imo restitui debet *probabilius* etiam coram illis ad quos *praevidebas* infamiam perventuram. Probabilius non tenetur quis dare pecuniam cum famam restituere nequeat; pecunia enim non est aequivalens famae ablatae; sed tenetur damna reparare pecunia ad arbitrium prudentum, iuxta spei aestimationem. Sed nota quod ad obligationem restituendi damna omnino requiritur praevisio ipsorum, saltem in communi.

Qui bona fide vel probabili errore ductus, sine formali mendacio, falsum de alio dixit, non tenetur restituere cum detrimento famae suae etiam aequali, sed tantum quatenus sine suo notabili incommodo possit. Similiter qui crimen narravit de uno quod auditores ex errore intellexerunt de alio, talis materialis detractor, si commode possit, tenetur statim ac advertit, famam restituere ex iustitia. Sed qui iniuste alium diffamavit, crimen eius verum manifestando, tenetur restituere integre damnum quod inde secutum est, si crimen occultum maneret.

**86.** — 7. **Causae excusantes.**

Excusaris a restituenda fama: *a*) si plane sis impotens. Si autem nequis restituere totum, teneris quoad partem quam potes; *b*) si crimen occultum quod dixisti, vel simile, alia ratione fiat publicum; *c*) si auditores non credant; *d*) si fama aliis modis iam recuperata sit, ut infamati purgatione, vitae probitate, testimonio prudentum; *e*) si prudenter iudicetur iamdudum rem, saltem probabiliter (v. g. si per multum tempus nulla de ea mentio facta fuerit) oblivione deletam; quo casu maxima prudentia opus est quatenus periculosius esset retractare renovando memoriam; *f*) si adsit timor gravissimi damni temporalis respective maioris quam

famae; *g*) si fama restituenda sit minoris valoris quam fama detractoris, quia aliter non servaretur aequalitas; et in hoc casu sufficit infamatum laudare; *h*) si infamatus sponte, expresse vel tacite, remiserit, modo tamen eius infamia non redundaverit in alios, ut familiam, statum, etc. Attamen ex charitate damnum resarcire aliquando teneris, si possis absque gravi incommodo; *i*) excusatur qui diffamatus est a diffamato, et alter non vult suam obligationem adimplere.

**87.** — 8. **Quid de contumelia.**

*a*) *Prudenter agere*. Certum est quod si honor publice sit ablatus per contumeliam, publice etiam restitui debet coram illis qui dehonorationi praesentes fuerunt, vel saltem per modum quo satisfactio de facili ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem ut satisfactio fiat per aliam personam quae nomine dehonorantis veniam petat. Quando contumelia fuit occulta, debetur etiam satisfactio; quia in omni contumelia adhuc occulta praeter iniuriam adest damnum honoris iniuste laesi. Ea autem satisfactio pro quacumque contumelia requiritur quae censetur sufficiens ad manifestandam aestimationem iuxta conditionem personae offensae. Si enim dehonorans fuerit superior, sufficiet si honorabiliter dehonoratum salutet, invitet, benevolentiam ostendat, etc. Secus si dehonorans fuerit aequalis vel inferior; tunc maior satisfactio requiritur, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat, qui modus quidem aptior est ad contumeliam compensandam. Ceterum talis petitio veniae non est necessaria nisi quando aliter satisfieri nequeat; ideo numquam tenetur praelatus veniam petere a subdito, herus a famulo, vir ab uxore, nobilis a plebeio.

*b*) *Quid expediat.* Pro maioribus contumeliis satisfactio aliquid maius exigit quam veniae petitionem. Ceterum, quoad praxim, advertendum multoties expedire ut Confessarius omittat monere poenitentem in bona fide existentem qui alium inhonoraverit, de satisfactione praestanda in pluribus casibus: *a*) si praevideat monitionem non profuturam, imo potius obfuturam, dum experientia constat quod poenitentes facile tales satisfactiones promittunt, sed difficulter in facto eas adimplent ob ruborem; *b*) si *probabiliter* putet dehonoratum magis recusare quam cupere illam publicam satisfactionem, ne memoria iniuriae acceptae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur. Tunc vero, alia quaerenda est via honorandi peculiariter offensum extraordinariis actionibus in quibus aptius contineatur petitio veniae; *c*) idem dicendum si probabile periculum sit, quod in actu satisfactionis odia inter offensum et offensorem removeantur; *d*) si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso, nempe si iste sponte offensorem adeat atque valde familiariter et iocose cum eo tractet et similia. Notandum tamen quod multi odium deponunt et dissimulant iniuriam acceptam ad evitandam notam vel aliud damnum, sed satisfactionem vere non condonant, ideoque haec facienda est.

Quod si tu offensus vindictam sumpseris et iniuria a te irrogata tuam primam offensam notabiliter excedat, teneris tu saltem secundum excessum satisfacere. Et si satisfactio a iudice imposita non fuit sufficiens ad reparandum honorem ablatum, adhuc remanet tibi obligatio illum a te offensum ad aequalitatem resarciendi.

Notandum quod contumelia est tantum peccatum veniale: 1° quando modus debitae correctionis excediturvel subditus gravius dehonoratur quam per

delictum meruit; 2° si contumelia est parva, vel si sit tantum materialis, sine intentione dehonorandi, modo non sequatur laesio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur, saltem a mortali, multi parentes cum filios vocant asinos etc. Item mulieres, pueri et infimae sortis homines conviciis se onorantes; quia cum fides iis non praestatur, non laeditur graviter honor. Ceterum «sicut licitum est, ait S. Thomas, aliquem verberare causa disciplinae, ita etiam potest aliquis alteri quem debet corrigere, verbum aliquod conviciosum dicere». Sic Christus vocavit apostolos, stultos, et Apostolus Galatas, insensatos.

### § 6. *Restitutio ob damnum in genere.*

**88.** — 1. **Principia et casus.**

Prudentia Confessarii circa restitutionem, ob damnum quocumque modo a poenitente illatum, consistit in iudicio practico utrum in casu dato adsit vere obligatio restituendi et quomodo restitui oporteat.

Quapropter quaedam frequentiora necnon quae facile oblivioni traduntur huc memorare expedit ut in promptu iugiter sint pro opportunitate et casibus.

1) *Rationes restitutionis.* Radices, seu rationes, restitutionis quae communiter a moralistis assignantur, duae sunt: prima, ex iniusta acceptione cui coniungitur radix ex iniusta damnificatione. Secunda, ex iniusta retentione cui annectitur obligatio restituendi ex contractu.

**89.** — 2) *Restitutio ex delicto.* Obligatio gravis restitutionis ob delictum oritur tantum ex culpa lata (ob gravem diligentiae omissionem) coniuncta

cum gravi culpa theologica. Nam ut conscientia oneretur obligatione, oportet ut in conscientia adfuerit delictum, et quidem grave ut ipsa teneatur ad gravem obligationem. Hinc qui damnum minime praevidet nec intendit nec praevidere potest, certo ad nihil tenetur, etsi operam daret rei illicitae, uti fur si penitus fortuito domum alienam incenderet.

Attamen si quis prudenter *dubitans* an ex sua actione damnum proximo obveniat, etsi in se committat culpam levem, sive levissimam, omittendo eam diligentiam quam tenebatur adhibere, tamen peccat graviter contra iustitiam et tenetur ad restitutionem. Secus si omnem debitam diligentiam adhibeat; quia tunc nullam culpam commisit contra iustitiam, licet ob pravum animum peccet contra charitatem. Nota, nihilominus, quod culpa venialis ex *indeliberatione* non est simpliciter delictum ex iniuria et ideo non potest parere obligationem restitutionis, sicut ex contractu, ubi non adfuit consensus plene deliberatus, non oritur obligatio. Revera non oritur obligatio sub gravi quia haec non habet proportionem cum culpa levi; nec sub levi quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi.

**90.** — 3) *Possessor bonae fidei.* Qui bona fide damnum intulit, aut possidet aliquid de quo postea melius cognovit, tenetur, ne incipiat esse possessor malae fidei et detinere alienum, id tantum et non plus restituere quod ex ea re ipsi superest, una cum eius fructibus si extent, vel quatenus inde factus est ditior, nisi dominium sibi comparaverit per legitimam praescriptionem (1).

(1) Ex iure civili italico, cuius dispositio in hac re vim habet in foro conscientiae, tum quia revera dominum transferat, tum quia

Si bona fide quis credit damnum inferre pro decem cum revera sit pro centum, non tenetur ad centum sed ad decem secundum conscientiam. Nam, iuxta omnes, ad restitutionem requiritur culpa theologica, et tanta est culpa quanta invincibiliter apprehenditur; ita ut ille qui proximo damnum infert, plus aut minus peccet, quanto plus vel minus aestimat damni valorem. Si igitur culpa sit tantum pro decem, obligatio restitutionis nequit esse pro centum, modo damnum istud non sit *saltem in confuso* animadversum vel praevisum.

**91.** — 4) *Possessor dubiae fidei.* Possessor bonae fidei superveniente dubio, si hoc dubium est aequale pro et contra, ad nihil tenetur. Si vero rationes contra possessorem sint validiores, ante diligentiam adhibendam ad veritatem assequendam, ipse tenetur rem servare; at post diligentiam, et veritate non assecuta, potest illam consumere et etiam alienare, admonito rerum emptore de dubio vertente super re. Si negligat culpabiliter diligentiam adhibere et postea non possit verus dominus amplius adinveniri, tunc peccat graviter et restituere debet non pro quantitate dubii, sed minus et forte valde minus, pro rata spei qua proximum defraudavit.

**92.** — 5) *Possessor malae fidei.* Certum est quod iniustus damnificator debet restituere secundum quantitatem tum iuris quod alter habet, tum damni quod infertur, cui aequale reddi debet, nisi aliud de damnificati mente et consensu rationabiliter praesumatur. Unde: *a*) si damnificatus habeat ius in re in qua damnum est passus, restitutio ei fa-

bono publico consulit et innumeras amovet difficultates, possessor b. f. facit suos fructus et non tenetur restituere nisi eos quos perceperit post iudicialem petitionem.

cienda est in solidum. Si autem tantum habeat ius ad rem, restitutio facienda est pro quantitate iuris, consideratis circumstantiis; quia non debetur solidus valor rei quae expectabatur, cum tantum sit in spe, et multis modis possit impediri. *b*) Ordinarie iniustus, seu malae fidei damnificator, aut possessor, tenetur non tantum restituere rem ablatam et fructus perceptos, exceptis expensis et industria, sed etiam resarcire damnum emergens et lucrum cessans, etiamsi haec damna sint ignorata, modo sint praevisa saltem confuse. *c*) Si res aliena, dum iniuste detinetur, crescat, aut si pretium eius augeatur, domino crescit ac proinde id ei praestari debet. *d*) Emens rem alienam cum dubio an sit venditoris, si postmodum facta diligentia dubium evincere non potest, tenetur, probabilius, ad rem dividendam pro qualitate dubii, cum ex una parte non faveat illi possessio incepta cum dubia fide, et ideo nequit rem sibi totam retinere; ex altera parte non videtur aequum eum teneri totam restituere, cum dubium est an res sit aliena.

**93.** — 6) *De damno in corpus humanum.* Iniustus occisor, aut mutilator, in conscientia tenetur restituere pro damnis bonorum fortunae quae ex tali occisione, vulnere, etc. directe ab eo causata sunt, iuxta prudentis arbitrium. Unde: *a*) Qui ebrius occidit alium, si ebrietas non fuit culpabilis et voluntaria, vel licet fuerit talis, si tamen homicidium vel non praeviderit, vel diligentiam debitam adhibuerit ad cavendum, non tenetur ad restitutionem: tenetur tamen, si praeviderit et non caverit. *b*). In homicidio voluntario pro expensis funeris nihil restituitur, quia illa aliquando facienda tandem fuissent, nisi forte occasione illatae mortis, v. g. extra patriam, maiores fieri oportuerit. *c*) Re-

stitui debent impensae factae in curationem et medicamenta vulnerati, vel occisi. *d*) Item lucra quae ex mutilatione vel vulneratione cessarunt, non quidem tam in solidum ut si de facto essent acquisita; sed pro maiore vel minore spe quam laesus habuerit illa acquirendi. *e*) Si laesus ante mortem remiserit, ad nihil tenetur occisor. Nota tamen quod facta remissione iniuriae, non intelligitur facta remissio damnorum. *f*) Impotens ad restituendum in uno genere bonorum, non tenetur restituere in altero inferiori, v. g. pro vulnere pecuniam. Communiter tamen auctores monent congruum esse ut Confessarius imponat poenitenti, pro poenitentia vel ex aequitate, aliquid laeso elargiendum. Tenetur aliunde ad alia damna si ei obvenerint. Ceterum, per sententiam iudicis cogitur et tenetur iniurians satisfacere pro iniuria; si occisus vel mutilatus fuerit servus vel animal, tunc etiam pro vita et membris facienda est restitutio; quia horum vita pretio aestimatur. Circa hoc autem adverte:

**94.** — 1. Homicida tenetur *heredibus necessariis*, ut filiis, parentibus et etiam uxori, restituere damnum et lucrum cessans, non tantum illud quod cessavit in vita occisi post vulnus, sed etiam post eius mortem iuxta tempus quod defunctus verisimiliter viveret attenta aetate, valetudine, etc. Sed hoc lucrum non est restituendum integrum in re, sed iuxta spem.

2. Certum est quod restituendum est heredibus *non necessariis* ob damnum bonis irrogatum per occisionem et lucrum quod amisit vulneratus tempore quo vixit: non autem ob lucrum quod cessavit a tempore mortis, cum id non fuerit debitum certe cum defuncto contractum.

3. Probabilius non tenetur homicida restituere

creditoribus occisi damnum eis illatum, etiamsi praeviderit illud, modo non intenderit, quia damnum illorum tum evenit per accidens.

4. Probabilius non teneris restituere damnum alteri obveniens ex tuo homicidio, nempe si illi crimen imputetur ex errore, licet error praevideatur, dummodo actio non influat proxime ad imputationem in tertium.

**95.** — 7) *Ob stuprum. a*) Probabiliter non tenetur violator ducere puellam, si aliter reparare damnum possit, quamvis illam violaverit cum promissione matrimonii. Imo hoc certum erit si haec promissio non habeat requisita ad sponsalia. (Cf. Can. 1017). *b*) Qui virginem per iniuriam defloravit sine promissione matrimonii, tenetur tantum rependere damnum quod ei ex tali iniuria est secutum, idque vel matrimonio vel damni aestimatione ad arbitrium prudentis. *c*) Si virgo libere consentiat, aut stuprum mansit occultum deflorans nihil tenetur ei restituere pro sola virginitate. Si vero quis vi, minis aut fraudibus violet, hic tenetur tam puellae, quam parentibus omnia damna reparare honoris et fortunae. Tenetur, imo, talis deflorator talem augere dotem, ut puella aeque bene nubat ac si violata non fuisset. Non tenetur ad hoc si puella libere consensit.

**96.** — 8) *Ob adulterium.* Adulter tenetur restituere parti innocenti i. e. uxori vel viro, omnia damna, v. g. haereditatem relictam adulterinae proli et alimenta ab eo data puero a tertio aetatis anno. Uterque tamen adulterans, nata eis prole, debent eatenus restituere quatenus possunt sine detrimento altioris boni et causatione maioris mali. Si vero adulter vi aut metu gravi consensum mu-

lieris extorserit solus ad totum damnum tenetur. Adultera consentiente debet, si potest, damnum compensare diligentius administrando rem familiarem, de cultu corporis detrahendo; si habeat bona propria plus legitimis quam spurio reliquendo, eum inducendo ut relicta haereditate vel eius parte, sibi provideat quantocius, etc. Mater tenetur revelare crimen suum: si ipsa sit perditae famae; si alioquin timeatur publicum damnum, nempe si spurius sit perditis moribus imbutus et succedere debeat regimini aut dignitati; si speraret filium spurium crediturum ei bonisque cessurum (filius autem non tenetur credere matri etiam iuranti illum esse illegitimum); item si mater posset damnum vitare se manifestando soli marito, sed raro ad hoc tenetur.

In dubio utrum proles sit mariti vel adulteri ad nihil hic tenetur. Idem dicendum est si dubitetur utrum sit ex hoc adultero potius quam ex alio; nisi forte secundus adverterit saltem implicite illius incertitudinis se causam fore vel egerit ex communi consilio.

Probabilius non tenentur adulteri opulenti mittentes prolem ad orphanotrophium impensas resarcire.

**97.** — 9) *Ob damnum spirituale.* Si quis alterum induxit ad peccatum suasione vel exemplo suo, tenetur quidem ex charitate, quoad potest, eum revocare ad meliorem statum, sed non ex iustitia. Si vero induxit fraude, dolo, iniusto metu, tenetur ad id ex iustitia. Probabiliter tenetur ex iustitia cooperari ut alter convertatur.

Qui aliquem abduxerit ab ingressu in religionem, sive vi sive fraude, etsi graviter peccaverit, non

tenetur ex iustitia ad nihil, sed ex charitate ei suadere ingressum. Si vi aut fraude impedit aut avertit aliquem a religione, tenetur ex iustitia reparare damnum, si est, monasterio, et, probabilius, etiamsi ille aversus sit novitius.

**98.** — 10) *Ob cooperationem.* Tenentur ad restitutionem omnes illi qui quoquo modo sunt causa influens et efficax damni secuti, ii etiam qui ex officio et obligatione iustitiae obligati cavere damnum, non caverunt. Notandum:

*a*) Mandans non tenetur damnum reparare si ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innotescat.

*b*) Qui iniquum dant suffragium peccant, sed non tenentur ad restitutionem cum non sint causa damni, nisi ex condicto egerint.

*c*) Palpo si non iudicet laudem vel adulationem suam ad damnum inducere neque id intendat, ad nihil tenetur.

*d*) Qui post delictum reum iuvat ad fugiendum, non concurrendo ad delictum, non tenetur restituere, modo non det illi spem refugii in posterum.

*e*) Qui privative seu negative ad damnum alterius concurrunt, tenentur restituere si ad vitandum damnum tenentur ex pacto vel officio vel stipendio. Hinc, princeps, magistratus, vel dux, tenentur ad restitutionem damnorum quae a feris, latronibus, militibus ob ipsorum culpabilem negligentiam dantur; tenentur quoque tutores, administratores bonorum etc. non impedientes damna pupillis, minoribus etc.

*f*) Non tenetur ad restitutionem qui consilium suum revocat ante executionem damni, modo simul

cum retractatione adhibita, sint motiva saltem aeque efficacia (1).

*g*) Si consilium dans ex statu, v. g. advocatus aut Confessarius, aestimatur peritus, tenetur ad restitutionem si suaserit damnum, quia tunc vere decipit. Contra tamen si noscatur ut rudis; quia tunc damni illatio magis imputatur ei qui imprudenter sequitur eius consilium, nisi cum consilio adfuerit

(1) Praesentes habeat Confessarius canones hanc materiam respicientes, nempe: Can. 2209, § 1. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant. — § 2. In debito quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat. — § 3. Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti executor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset. — § 4. Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorumdem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert. — § 5. Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi executor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit; si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem. — § 6. Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum. — § 7. Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem. — Can. 2210, § 1. Ex delicto oritur: 1. Actio poenalis ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam; 2. Actio civilis ad reparanda damna, si cui delictum damnum intulerit. — § 2. Utraque actio explicatur ad normam can. 1552-1952; et idem iudex in criminali iudicio potest ad instantiam partis laesae civilem actionem ad examen revocare et definire. — Can. 2211. Omnes qui in delictum concurrunt ad normam can. 2209, § 1-3 obligatione tenentur in solidum expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a iudice pro rata damnati.

etiam dolus, sive intentio damnificandi. Hoc tamen procedit quando agitur de damno solius petentis consilium; nam secus dicendum si agitur de damno tertii. Notandum autem, quod dans consilium noxium, tenetur demum facere quantum potest ne accidat damnum, etsi inculpabiliter egerit. Si tua suasione maius damnum alicui infertur quam alioquin illatum fuisset, teneris tantum de damni excessu.

*h*) Probabilissime excusatur a restitutione qui materialiter cooperatur ad damnum alicuius, quando scilicet alter, sine sua cooperatione, adhuc certe damnum intulisset.

*i*) Qui ex officio tenetur dare *suffragium*, si non dat et haec omissio est causa efficax damni, tenetur ad restitutionem. In aliis vero casibus, omissio suffragii non inducit obligationem restituendi. Si quis dubitat an suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum alicui inferendum, tenetur ad damnum reparandum pro rata, et si alii non restituunt, tenetur ad totum. Quod si ille qui debet ferre ultimo loco suffragium, praevidet alios absentia sua seipsos revocaturos, tunc tenetur ad restitutionem damni, si ferre suffragium negligat.

*l*) Nemo potest cooperari ad damnum alterius ut liberetur a suo, quando damnum est eiusdem ordinis; unde etiam cum periculo mortis tenetur denegare gladium occidere volenti inimicum. Si plures absque consensu, quisque per se seorsim et casu concurrant ad damnum; singuli non plus tenentur restituere quam quod quisque per se damni intulit. Cum autem dubitatur an quisque, etiam in delicto ex communi consensu et opere patrato, fuerit causa totius damni, non tenetur nisi ad partem suam. Etsi vero teneantur in solidum, raro

expedit obligare rudes ad totum cum difficulter sibi persuadeant se ad id teneri.

*m*) Si circa bonum aliquod ex libera voluntate conferendum, aliquis per vim, fraudem vel calumniam collatorem induceret ne alicui daret; aut hunc a petitione, cum habeat ius petendi, aut a consecutione talis rei per vim, fraudem, calumniam vel mendacium impediret cum etiam ius habeat ne inique impediatur: is teneretur ad compensationem damni, arbitrio viri prudentis iuxta certitudinem vel probabilitatem qua alter tale bonum alioqui assecutus fuisset censeretur vel videretur, dummodo tamen eo sit dignus: nam si indignus est, non tenetur ad restitutionem nisi famae, si eam forte laeserit. Nota quod aequiparantur vi preces importunissimae, aut metus reverentialis, maxime si ei addantur verba aspera vel torvus aspectus.

**99.** — 2. **Quibus restituendum.**

*a*) Si dominus rei est incertus et creditur inveniri inter paucos, dividenda est res pro rata probabilitatis et damni; si inter multos vel si res difficile dividatur, potest tradi pauperibus. Quando vero adhuc post diligentiam adhibitam adest aliqua spes inveniendi dominum rei, tum pauper non acquirit dominium rei.

*b*) Qui multis minutis furtis damnum intulit multis civibus, probabiliter satisfacit suae gravi obligationi si pauperibus restituat, praesertim si difficile sit alio modo restituere; excusatur etiam a veniali si restituat pauperibus, accedente aliqua rationabili causa, v. g. gravi incommodo.

*c*) Quando res aliena, spectatis circumstantiis longitudinis, temporis vel distantiae loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, non videtur possibile ut ad dominum

redeat; tunc illa fit nullius et ideo acquiritur a primo occupante (1).

*d*) Quando creditor coactus fuerit cessionem facere bonorum, debitor non ipsi restituere debet, sed ei penes quem administratio et custodia bonorum maneat. Equidem bona certa ordinarie restitui debent possessori iusto a quo accepta sunt vel cui damnum illatum est, etsi non sit immediatus dominus. Tamen si debitum sit exiguum et creditor probus sit, vel si creditor in gravi necessitate versetur, tunc potes sine peccato ei restituere.

**100.** — 3. **De circumstantiis restitutionis.**

*a*) Non est necessarium ut restitutio fiat palam, neque per ipsum debitorem, neque advertente domino.

*b*) Restitutio quamprimum fieri debet, et eo modo ac loco quo ius et interesse damnificati requirit et moraliter fieri potest sine gravissimo incommodo quod quis pateretur in re sua propria ultra debitum. Per dilationem restitutionis, ait S. Thomas, committitur peccatum iniustae detentionis (II-II, q. LXII, a. 5). Attamen, cum agatur de poenitente in bona fide, imprudenter se gereret Confessarius si eum moneret praevidens quod ille animae detrimentum sit passurus et e converso damnum creditoris non sit amovendum. Circa autem dilationem restitutionis, notandum quod diuturnitas temporis non est per se nisi circumstantia aggravans.

*c*) Certum est non necessario ordinem servari in restitutione, quando debitor omnibus solvere

(1) Iure civili italico domino semper competit actio realis ad rem suam evincendam apud actualem possessorem, cui competit regressus erga eum a quo rem habuit: salva tamen praescriptione si agatur de rebus furtivis vel emptis in nundinis.

potest; si nequit omnibus satisfacere, debet primo restituere pro obligationibus ex delicto, nempe res alienas; deinde pro obligationibus ex contractu (non tenetur praeferre creditores pauperes, saltem non in extrema necessitate, prae divitibus, creditores priores prae posterioribus); nempe expensas iudiciales et funerarias necnon stipendia (1), deinde hypothecas iuxta ordinem temporis, demum debita communia.

*d*) Inter cooperatores ad damnum, si omnes eodem gradu concurrunt, tenentur aequaliter restituere absolute suam partem; et conditionate in solidum aeque principaliter si unus, v. g. non solvat, salvo recursu contra eum qui non restituerit partem suam. Si diverso gradu concurrunt, tunc tenentur restituere hoc ordine: qui rem detinet vel consumpsit, deinde mandans vel consulens in utilitatem propriam, raptores, vel executores, cooperatores positivi, cooperatores negativi.

*e*) Quamvis probabilis sit sententia quod prius restituenda sint debita certa quam incerta; attamen etiam probabile est, quod si debitor non possit utraque restituere, restitutio fiat pro rata etiam pauperibus pro debitis incertis; quia de iure naturae pauperes succedunt in locum creditorum incertorum.

(1) Operariis debetur ex iustitia legali salarium familiale et sub gravi; ex iustitia vero commutativa probabiliter solum personale. Hoc autem est quo quis eget ad honeste et congrue vivendum; illud, nempe familiale, quo eget ipse ad se et familiam tribus vel quattuor filiis cum uxore constantem, adhibitis prudentibus subsidiis, alendam. Quocirca praestat can. 1524 legere: « *Omnes*, et praesertim clerici, religiosi ac rerum ecclesiasticarum administratores, in operum locatione debent assignare operariis honestam iustamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat ».

**101.** — 4. **De causis excusantibus.**

I. Ex parte debitoris excusant a restitutione ea quae faciunt ut creditor rationabiliter debeat esse contentus, etsi de facto non sit contentus.

Unde: *a*) Excusaris in foro conscientiae iuxta sententiam *probabilem*, a compensatione damni, si factum sit sine tua culpa theologica gravi, nempe mortali peccato, nisi aliud cum altero pactus sis, vel inde sis factus ditior; *b*) Excusaris a restitutione incertorum, si fecisti compositionem cum S. Sede; *c*) Excusaris si non possis restituere nisi cum notabiliter graviori damno tibi aut reipublicae inferendo quam ut aestimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum: tunc enim differre potes dum cesset talis impotentia (cessatio autem lucri non videtur causa iusta differendi); *d*) Excusaris probabilissime a restitutione rei qua dominus est abusurus ad peccandum; *e*) Excusaris, si non possis restituere absque periculo vitae vel notabili detrimento famae, nisi iactura famae sit minima respectu damni in bonis creditoris; *f*) Excusaris si cedas bonis; si vero redeas postea ad meliorem fortunam, teneris adhuc (cessor bonorum, si debita proveniant ex delicto, v. g. furto, potest retinere tantum quae simpliciter sunt necessaria ad victum).

**102.** — II. Respectu creditoris, excusaris a restitutione: *a*) Si is cui debet restitui, semel remiserit expresse vel tacite, sed libere; *b*) Excusaris in foro conscientiae si solvisti ei cui debebat tuus creditor; *c*) Si compensatio facta est creditori per commodum aequivalens; *d*) Excusaris si restituendo in extremam necessitatem te coniiceres, nisi dominus in aequali necessitate sit. Potes differre restitutionem si es in gravi necessitate in qua dominus non extat; *e*) Excusaris si

restituendo decessurus es e tuo statu iuste acquisito vel etiam male acquisito, sed ab omnibus ut honestus vel iustus habitus, etiamsi impossibilitas restituendi ex vitio procedat.

Bene meminerit Confessarius in materia restitutionis non esse prudentiae quod ipse recipiat rem domino restituendam, nisi necessitas, casu rarissimo, id poscat, cautelis adhibitis ne sigillum violetur, et chirographum a rei domino post restitutionem exigat. Cum Missarum celebrationem imponere debeat, onus eas celebrandi non assumat ne malae cogitationis occasionem praebeat, ut monet S. Carolus Borromaeus.

### § 7. *Restitutio in materia contractus, usurae, testamenti, etc.*

**103.** — 1. **Prudentia et scientia.**

In hac materia Confessario scientia atque prudentia quam maxime opus est: scientia ut bene principia generalia iustitiae commutativae noscat; prudentia ut titulos seu rationes legitimitatis et legalitatis discernat atque principia generalia ad casus particulares applicare valeat. Si in una vel in altera deficiat, facile in graves errores incidere potest.

Iis qui contrahunt, praeter rectum finem in intentione iustitia esse debet ut lucrum inde sequens iustum sit. Usus enim circa hoc nihil aliud quam aliqualem praesumptionem pro contractu generare potest, sed intentio non iustificat quod in se iniustum sit. Verum, quando aliquis modus contrahendi communiter a viris honestis ac timoratae conscientiae adhibetur, praesumendum est quod sit iustus, sed restat obligatio inquirendi num praesumptio veritate reapse innitatur, videlicet num contractus

rectae rationi conformis sit. Neque lex civilis sufficiens est pro omnibus casibus: « Leges humanae, ait S. Thomas, dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multae utilitates impedirentur, si omnia peccata distincte prohiberentur, poenis adhibitis. Et ideo usuras lex humana concessit, non quasi existimans eas esse secundum iustitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum » (II-II, q. LXXVIII, a. 1).

**104.** — 2. **Obligatio ex lege civili.**

Cum lex civilis statuit actus quosdam nonnisi quibusdam solemnitatibus seu formalitatibus, ut aiunt, faciendos esse sub poena nullitatis, in conscientia obligat (1); excepto tamen casu de quo Canon 1513, § 2: « In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, solemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant ». Item, obligat in conscientia lex civilis cum directe prohibet actum quemdam cui, ut magis confirmet, invalidationem seu *irritationem* addit. Si dubium oriatur an lex civilis in conscientia obliget in casu quodam,

(1) Est sententia probabilior et verior pacta quae lege humana iubentur esse infecta, robore quovis carere nullamque parere ne in foro quidem conscientiae obligationem. Revera id negari nequit nisi dicatur humanae legi defuisse, vel potestatem vel voluntatem adimendi contractibus sine praescripta forma celebritatis vim obligandi. Atqui neutrum dici potest. *Dici nequit deesse potestatem.* Nam matrimonium absente parocho celebratum, esse nullum ante sententiam iudicis, omnes fatentur ex lege Ecclesiae. Ergo potest Ecclesia actus adimere vim obligandi seu transferendi ius. Ergo et id potest in sua materia lex civilis. Praeterea concedunt omnes, vel fere, pactum quod lex iubet esse infectum, non obligare nec conferre ius post sententiam iudicis. At si datur sententiae iudicis vis adimendae obligationis, gratis imo absurde negatur legi cum iudex agat potestate a lege accepta. (Cfr. Piscetta, *Theol. Mor. elementa,* III, p. 243).

dubium ex aequitate naturali, ex theologorum communi sententia et ex praxi virorum qui timoratae sunt conscientiae, solvendum est. Ita v. g. obligat in conscientia, graduatio a lege imposita circa debita erga creditores solvenda, distributio partis legitimae circa haereditatem, donatio manualis, *brevi manu*, (invalida tamen videtur donatio absque adiunctis seu formalitatibus a lege praescriptis). Vide tamen infra n. **113.**

Habenda sunt, igitur, prae oculis, quae fert lex civilis in materia iustitiae et iuris necnon contractuum, ne conscientia gravetur. Quapropter, operae pretium ducimus exponere praecipua quae hac de re in Codicibus extant, relicta tamen, brevitatis causa, ipsa legis declaratione, saepe Confessarium ad ipsos Codices, indicato articulorum numero, remittentes. Codices autem nominamus non omnes qui in orbe terrarum vigent, sed eos quibus latina vel affinis gens hodie utitur (1).

**105.** — 1) *Quoad exercitium patriae potestatis.* Iuxta C.C.I. filii patriae potestati subditi sunt usque ad 21 annum exeuntem, vel usque ad emancipationem quae fit *iure* per initum matrimonium, vel patris facto non ante completum 18$^{um}$ aetatis annum, vel morte utriusque parentis nisi sub tutore

(1) Sequentia sigla denotant:

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| C.C.I. | Codex civilis | italicus | | c. | Codex civilis | » | columbianus |
| C.G. | » | » | gallicus | cs. | » | » | costariciensis |
| C.H. | » | » | hispanus | g. | » | » | guatimalensis |
| C.H.Ph. | » | » | philippinus | m. | » | » | mexicanus |
| I. | » | » | lusitanus | n. | » | » | nicaraguensis |
| a. | » | » | argentinus | p. | » | » | peruvianus |
| ae. | » | » | aequatorensis | pr. | » | » | paraguaiensis |
| b. | » | » | bolivianus | S. | » | » | S. Salvatoris |
| br. | » | » | brasiliensis | u. | » | » | uruquariensis |
| ch. | » | » | chilensis | v. | » | » | venezolanus. |

sint constituti. Matri, mortuo altero parente, competit patria potestas. Filiifamilias, nempe patriae potestati subditi, habent dominium directum in bona quae sibi obveniunt, pater vero habet usumfructum et administrationem, exceptis iis quae data sunt intuitu educationis vel professionis vel artis filiis tradendae, vel iis quae filiis ex labore, industria propria vel hereditate vel etiam donatione, legatis in forma a lege statuta proveniunt.

Eadem fere habent Codices: Gallicus, art. 384-389; 448-450; 476; 1304 et seq.; Hispanus, art. 159; 314; a. 327: b. 191; br. 385; p. 287, 5°; v. 247. Pater alienare aut gravare potest bona immobilia filiorum ex causa comprobata utilitatis vel necessitatis et facultate a iudice domicilii accepta: C.H. 164 et CC. l. 150; a. 331; ae. 249; br. 386; ch. 255; c. 303; es. 133; g. 297; m. 382; n. 258; p. 295; S. 302; u. 249; v. 242.

Notandum quod CC. civiles non distinguunt inter puberes et impuberes quoad exercitium patriae potestatis.

**106.** 2) *Circa obligationes coniugum.* Iure hispano tenentur sibi mutuo praestare alimenta: *a)* coniuges; *b)* ascendentes et descendentes legitimi; *c)* patres et filii legitimati ex regia concessione, et horum legitimi descendentes; *d)* patres et filii naturales legaliter recogniti et horum descendentes legitimi; *e)* patres et filii illegitimi non naturales; *f)* fratres etiam consanguinei. Haec obligatio incipit cum necessitate illius cui debetur, et illa cessante cessat. Cum C.H. concordant fere in omnibus CC. l. 171-184; a. 401-410; br. 396-405; ch. 321-337; c. 411-427; ae. 311-327; m. 205-225; n. 320-336; p. 173 seq., 244 seq.; S. 383-405; u. 118-128; v. 263-280; b. 121-128; c. 157-170;

duo postremi nihil de patribus dicunt. (Cf. Ferreres, *Comp. th. mor.* n. 473).

3) *Circa dies festos.* Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta A. S. innovari debet (Can. 1247, § 3). Sic in Gallia solum remanent festa de praecepto, Nativitatis D. N. I. C., Ascensionis, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum. In Philippinis insulis non viget festum Omnium Sanctorum et in Cuba festum Epiphaniae. Post declarationem Commissionis ad interpretationem Codicis (17 febr. 1918) festa non enumerata in can. 1247, § 1, ipso facto, ipsaque lege nullibi sunt amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci aut ex speciali concessione S. Sedis. Hinc est cur in Codice statuatur: Ecclesiastico praecepto dies festi Patronorum non subiacent (Can. 1247, § 2). Quapropter dies festi concessi in Hispania pro aliquibus regionibus manent suppressi. Tamen iterum post illam declarationem, instauratus est dies festus S. Iacobi pro universa Hispania.

**107.** — 4) *Circa obiectum dominii.* Licet homo possit *per se* habere per totam vitam dominium utile in alium hominem sc. in eius opera, tamen eiusmodi servitus lege humana prohibetur et fere undequaque detrusa est, praesertim in Hispania et in C.H.Ph. art. 1585, cum quo concordant CC. l. 1371, a. 1539 (2573); ae. 1979; b. 1181; br. 1220; ch. 1988; cl. 2046; cs. 1169; g. 1755; m. 2435; n. 1988; S. 1975; u. 1810; v. 1578.

**108.** — 5) *Circa dominium uxorum.* Codices communiter agnoscunt tamquam bona uxoris, bona dotalia, paraphernalia et communia. Permittitur in

conscientia uxori, caute et prudenter de fructibus bonorum dotalium et communium disponere, viro inscio, quin etiam invito, quum id exigit necessitas, status decentia, bonum familiae. Sed Cod. It. a. 134 exigit consensum viri, nisi hic carcere detineatur ultra annum vel ita abest ut ignoretur ubi sit (art. 135). Vide etiam C.H.Ph. 1336, 1337; 1362, 1381, 1384, 1387. Tamen Codices a., ae., c., ch., n., S., u. *non* agnoscunt bona paraphernalia, sed omnia bona uxoris ad dotem pertinent. Codex v. omnia bona uxoris patrimonium ipsius vocat. Quoad Codicem Gallicum vide art. 1549, 1551 seq., 1574-1576; 1536; 1401-1402. Ampliam facultatem paciscendi ante matrimonium concedit hic Codex, art. 1393 et 1400, necnon C.H. 1392-1431; 1315-1426; br. 256-277; m. 1965, 1976, 1977; u. 1912; v. 1361, 1362. — CC. autem ae. 1740; c. 1776; ch. 1720; S. 1706 hanc facultatem limitatam concedunt. Praeterea CC. m. 1978, seq., 2072; g. 1186, 1187; cs. 75, id permittunt etiam post contractum matrimonium, alii autem id non concedunt. Ex C. H. et m., certum est filios alterutrius legitimos alendos esse ex bonis communibus. Imo ex CC. ae. 1730; a. 1309; ch. 1740; c. 1796; n. 1740; S. 1726; u. 1739 idem constat de ascendentibus et descendentibus legitimis.

**109.** — 6) *Circa dominium auctorum.* Leges positivae nationales et internationales hac de re extant, quarum ratio habenda est et quae conscientiam onerant, cum iure naturae nitantur illudque, in nonnullis obscurum, interpretentur. Cod. It. ius proprietatis auctori vel editori, cui auctor proprietatem tradidit, assignat circa libros editos si infra triennium a die publicationis illud *ius* sibi reservaverit formis a lege praescriptis.

De iure positivo vigente in Gallia (et in plerisque aliis locis) ille, qui librum typis edidit, ius habet impediendi, ne quisquam illum praelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolae, cui auctor ius suum transmisit.

Iure hispano omnibus auctoribus ius proprietatis conceditur durante eorum vita: heredibus per octoginta annos a morte auctoris. Iure internationali Hispania pactum duplex habet per quod auctor eodem iure gaudet in extera natione (nempe cum a., ae., g., m., pr., Ph., S., necnon cum Hollandia, Stat. foed. Amer. septentr. et cum Austria), ac in patria et servat ius proprietatis ut si esset exterarum nationum subditus et durat pro operibus editis post 13 nov. 1908, totam vitam auctoris et 50 annos post eius mortem, nisi duratio in natione originis sit minor. Hoc alterum pactum habet cum Germania, Belgio, Dania, Gallia, Anglia, Italia, Iaponia, Liberia etc.

**110.** — 7) *Circa occupationem et inventionem.* Iuxta Cod. Civ. It. (art. 452), si cum in tuo solo aedificium poneres, solum vicini (scientis nec prohibentis) bona fide occupasti, ius tibi est, ut renuntieris aedificii et soli dominus, refuso damno et duplo soli occupati pretio. Item art. 450 iùs est domino soli, vel opus retinere, vel eum qui aedificavit, plantavit, vel opus fecit *mala fide*, cogere ut suis expensis opus tollat. Idem Codex, art. 715-718, circa res deperditas praescribit rem tradendam esse auctoritati civili locali, quae publicum edictum affigit et curat ut affixum maneat a die dominico ad solidum diem dominicum insequentem. Biennio ab altera promulgatione frustra elapso res eiusve pretium, si forte vendi debuit, cedit inventori. Inventae rei dominus inventori,

si hic postulaverit, solvere tenetur, praemii nomine, decimam partem pecuniae inventae vel communis pretii rei inventae. Quod si inventa pecunia reive pretium duo millia libellarum exsuperat, pro excessu huiusmodi, praemium inventori debitum erit vigesima tantum pars.

Ad animalia quod attinet, cuiusque regionis leges prae oculis habendae sunt. In Italia, cautum est ut examen apum avolantium possit dominus insequi etiam in alieno, utique refuso damno; quod si intra biduum ex quo evolaverint insequutus non fuerit, vel per biduum desierit prosequi, possit dominus fundi in quo consederint suas facere (Cod. it., 713). Cautum pariter est ut qui feras mansuefactas ceperit, suas faciat nisi earum dominus intra vigesimum diem vindicaverit (Cod., 713). Ita etiam, si pisces ex tua piscina in meam transierint, mei fiant, ni eos arte vel fraude attraxerim. Idem cautum est de columbis et cuniculis (art. 642). Thesaurus inventus eius est in cuius praedio inventus est. Nihilominus si fortuito invenisti in praedio alieno, est ex dimidio inventoris, et ex dimidio domini fundi. Si vero data opera quaesitus sit sine consensu domini, totus est domini, sed non obligat, hac parte, lex ante sententiam iudicis (art. 714).

Eaedem leges habentur in Gallia (art. 710 seq.) et in Hispania et etiam C.H.Ph. 351; et CC. a. 2584 (2550); ae. 615; br. 607 seq.; ch. 626 seq.; c. 701; cs. 498 seq.; g. 563-565; m. 759 seq.; n. 626; S. 696; u. 496; v. 513. — Item statuit ius b., 441, sed praeterea iubet ut sexta pars thesauri Statui tradatur; l. 424, tribuit in primo casu 2/3 domino, 1/3 inventori. Quoad res deperditas vide C. H. 615, 616; a. 2567-2574 (2533-2540); ae. 618-624; br. 603-606; c. 704-710; ch. 629-634; cs. 501-505; g. 566 seq.; m. 710, 727;

n. 629-634; S. 669-704; u. 700-704; v. 696-699. Vide etiam a. 2577 (2543); ae. 599; br. 598; ch. 610; c. 689; n. 610; S. 680; u. 686; l. 388; ae. 606; ch. 617; c. 693; n. 617; S. 687; a. 2675 (2541); br. 595; u. 689.

**111.** — 8) *Quoad praescriptionem*. Bene meminerit Confessarius quod praescriptio debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia « Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur » (Can. 1508). Ergo si Ecclesia recipit eam etiam pro bonis ecclesiasticis, a fortiori valet pro aliis societatis bonis.

Iuxta Cod. It. praemittendum quod qui ultra annum fuit in possessione legitima rei immobilis, vel iuris realis, vel alicuius universitatis mobilium, si in ea possessione vexetur, potest intra annum a vexatione petere ut in ea possessione conservetur (art. 694). Possessor bonae fidei suos fructus facit omnes prorsus; nec tenetur restituere nisi perceptos a die petitionis iudicialis (art. 703). Qua legis dispositione possessorem uti sine peccato posse, theologi satis communiter agnoscunt.

Circa praescriptiones notandum quod in conscientia non prodest (ut constat ex cap. 20 *de praescriptionibus*, Conc. Later. IV, anno 1215) praescriptio triginta annorum ei qui cum scientia violati iuris alieni et gravi peccato possidere coepit. Ceterum probabiliter ius civile, cum decernit in praescriptione tricennali bonae fidei defectum opponi non posse, et nullo titulo opus esse (art. 2135), non videtur voluisse reapse conferre ius etiam malae fidei, sed id solum statuere: non oportere ut in foro

civili constet de bona fide. Item notandum quod si rem a non domino emeris bona fide et, nondum lapso decennio, vitium emtionis noveris, quamquam lex tibi ius facit post decennium praescribendi, eo iure uti sine peccato probabiliter non potes. Ratio est quia «oportet ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae» (ex cap. 20 *de Praescriptionibus*). Nota quod decennium non possessori ad usucapiendum necessarium est, sed conceditur priori domino ad revocandum ad se rei dominium. Ideo praescriptio quae decennio elapso fit non est usucapio, sed praescriptio liberativa scilicet qua extinguitur priori domino ius repetendi. Nota etiam quod iuxta Cod. C. It. possessioni successoris, si is velit, possessio auctoris coniungitur (art. 693) nam una est persona heredis et auctoris eius, unaque est ipso iure possessio (art. 693, coll. 2115).

In praescriptione decennali quae solum respicit, requiritur titulus coloratus, iustus et transcriptus, excepto titulo pro legato (art. 1922, 1923); circa res mobiles opus est titulo colorato licet non iusto nec transcripto. Bene meminerit Confessarius quod praescriptiones triennales, annuae, sex mensium in Italia non valent in conscientia, ut evidens est ex C. C. It. a. 2142 ex quo coniicitur legislatorem id sibi proposuisse non ut transferret dominium, sed ut e medio auferret lites et liberaret debitores a duplici pretii solutione. Sunt enim potius praesumptiones iuris solutionis iam factae. Attamen valent in conscientia et opponi possunt cum agitur de obligatione a defuncto contracta et a successore ignorata et in casu quo debitor oblitus fuerit an solverit. Ceterum is a quo praescribitur cum possit tempore quo currit praescriptio, eam impedire, v. gr. petitione iudiciali etc., si negligat, dicendum

est rem pro derelicta habere: vix enim est ut non videatur alienare qui patitur usucapi (Leg. 28, Digest., *de verborum significatione*). Tamen potest is a quo praescribitur, etiam impleta praescriptione, rem usucaptam vel solutionem debiti praescripti petere. Lex civilis non obligat ante sententiam iudicis. Ceterum vide C.C.I. 1038, 1300, 2146, 1531, 2138-2142.

Quoad Cod. Gallicum vide a. 2226, 2229, et seq., 2230, 2262, 2271, 2279 et 2280. Nota quod ius Gallicum novum silet de praescriptione circa mobilia non furtiva nec inventa; unde controvertitur an praescribi possint in conscientia solo titulo possessionis.

Circa C.H. vide a. 442 seq. cum quo concordant ae. 706, 2482; ch. 717, 2500; c. 778, 2521; g. 524; m. 1078, 1079; n. 717, 2500; p. 548, 536, 467, 553; S. 780, 2449; u. 1180; v. 1959. Contra vero a. 4038, 4039 (4004, 4005); et b. 1524 statuunt heredem praescribere non posse. Vide etiam l. 534; ae. 881; b. 1501; br. 521; ch. 890; c. 947; cs. 481; g. 656; m. 890; S. 920; u. 1187.

**112.** — 9) *Circa usum et usufructum et servitudines*. Videsis latius in C.C.I. art. 450-477, 490, 494, 501 et seq., 516, 521-529-531-672. Codex Gall. cum iure communi concordat. Iuxta C.H. circa reparationes extraordinarias a se factas potest usufructuarius repetere a domino augmentum valoris. Ita etiam CC. l., ae., b., ch., c., cs., g., m., n., p., S., u., v. — Iure a. non tenetur usufructuarius ad extraordinarias et si eas fecerit non habet ius ad compensationem. Vide etiam C.H.Ph. 527; g. 1386, 1387; m. 940, 941; p. 1121; item C. H. Ph. 472-474 et l. 2203-2205.

**113.** — 10) *Circa restitutionem creditoribus.* Praelationes quae una lege civili creditoribus constitutae sunt, non obligare ante sententiam iudicis probabile est. Et quod attinet ad leges statuentes ordinem solutionis inter creditores, benignius etiam loquuntur Salmanticenses, qui etsi sequantur oppositam, tamen ceu non improbabilem exhibent opinionem docentium has leges, ne post iudicis quidem sententiam obligare conscientiam.

Circa Cod. Gallicum vide art. 1285 et seq., necnon art. 2101, 2102. Quoad praelationem creditorum in Hispania vide art. 1923, 1924, 1925; alibi vero l. 878-1029; a. 3909-3972 (3875-3938); ae. 2477; b. 1436-1511; br. 1554-1571; ch. 2465-2491; S. 2415-2440; u. 2342-2363; v. 1837-1845. Item pro p. 1009 seq.

Generatim leges statuunt solutionem rei faciendam esse in loco ubi haec reperiebatur tempore contractus, pecuniae vero solutionem in domicilio debitoris. Ita etiam C.H.Ph. 1171; l. 744; a. 781 (747) seq.; ae. 1577 seq.; b. 837; br. 950 seq.; ch. 1587 seq.; c. 1645 seq.; cs. 778; m. 1520 seq.; n. 1587 seq.; S. 1573 seq.; u. 1439; v. 1214, 1473. Ex iure g. 2313 et p. 2229 omnis solutio fieri debet in domicilio debitoris.

**114.** — 11) *Circa contractus.* Ius canonicum haec statuit: «Quae ius civile in territorio statuit de contractibus, tam in genere quam in specie nominatis, et innominatis, et de solutionibus, eadem recipit ius canonicum in materia ecclesiastica, nisi iuri divino adversentur vel aliud in certis quibusdam rebus ipsum ius canonicum statuat» (Canon 1529) - (1). Notandum autem:

(1) Ex iure canonico certe invalidi sunt contractus ex metu gravi eliciti ubi agitur: *a)* de matrimonio, can. 1087, § 1; *b)* de traditione

*a*) Ex Cod. C. I. certo non constat utrum nullitas obligationum, quae sint legi et bonis moribus contrariae, sit declaranda per iudicis sententiam necne.

*b*) Dolus contractum facit invalidum (a. 1115); item metus a causa libera incussus (a. 1111-1113).

*c*) Iuxta eumdem Cod. contrahendi sunt incapaces: 1) minores (sc. qui nondum 21 aetatis annum expleverint); 2) inhabilitati (art. 339), qui sc. sine adsistentia specialis curatoris nequeunt actum perficere, qui excedat simplicem administrationem; et lege possunt inhabilitari prodigi et semifatui; 3) interdicti (art. 324), qui nihil iure agere possunt et sub tutela sunt, uti minores; 4) uxores in nonnullis casibus; 5) in genere ii quibus lex vetat contractus in particulari. Item donare nequeunt (et si donent nulla est donatio, quamvis lateat sub contractu oneroso) qui testamentum facere non possunt; inhabilitati, a die quo fuerint in ius vocati ut eorum inhabilitatio decernatur; minores, etsi fuerint emancipati, nisi in casibus iure determinatis (cf. art. 1386); coniuges ad invicem, matrimonio constante.

*d*) Circa *venditionem*, venditor debet, praeter cetera, evictionem praestare contra quemlibet turbantem emptoris possessionem, de qua cf. C. C. I. art. 1482-1497.

*e*) *Transactio*, quo duo vel plures litem incc-ptam finiunt vel orituram praeveniunt habet vim sententiae irrevocabilis; at poterit esse nulla vel rescindibilis in nonnullis casibus iure recognitis

rerum Ecclesiae et renuntiatione beneficii, c. 185; *c*) de voto e professione religiosa, c. 1307, § 3 et 572, § 1, 4°; *d*) de absolutione a censuris et probabiliter de iurisdictione ecclesiastica. Vide etian can. 103, § 1 et 2.

de quibus C. C. I. a. 1773-1777 (cf. etiam Cod. I. Can., can. 1926-1932).

*f*) Si vendantur eae res quarum antea fieri solet degustatio (vinum, oleum idque genus alia) adeoque sub tacita conditione degustationis, nulla, iure civili italico, emptio-venditio intelligitur quoad emptor degustaverit et probaverit (art. 1452); ideo ante degustationem emtori a facto recedere licet. Si nihil convenerit, sumtus in re tradenda venditorem onerant: contra sumtus in re avehenda emtorem (art. 1467). Art. 1515, seq. agitur de pacto retroventionis in gratiam venditoris adiecto; quod retractus conventionalis (*riscatto convenzionale*) appellatur; si definito tempore (quod ex art. 1516 nequit esse longius quinquennio) venditor iure suo usus non sit, venditio absoluta evadit.

*g*) Quod ad *censum* attinet, licet pacisci ut nequeat redimi nisi mortuo creditore, aut nisi lapso decennio, aut, in censu qui rei immobilis cessione emtus est, tricennio (art. 1783-1784).

*h*) Circa *commodatum*, commodatarius rem commodatam more boni patrisfamilias custodire et servare debet. Non potest ea uti nisi prout convenit et, si nil convenit, prout rei natura fert (art. 1808). Quod si plures eamdem rem commodatam simul accepere, singuli obligantur in solidum (a. 1814). Porro damni quod ob rei vitia commodatarius reapse ceperit, restitutioni obnoxius est commodans qui ea noverat nec commodatarium monuit (a. 1818). De deposito, vide a. 1854.

*i*) *Societas* iure civili ital. solvitur si quis e sociis sit mortuus (nisi convenerit ut societas cum superstite socio permaneat, vel cum herede mortui) (art. 1732), vel interdictus; vel evaserit non solvendo; imo quoad societatem nullo definito tem-

pore coitam, vel in perpetuum, si quis e sociis renuntiaverit ceteris se nolle societatem prorogare, dummodo id bona fide fecerit (non esset bona fides si renuntiaret ut adveniens aliquod lucrum solus haberet), et dummodo res eo non processerit ut societati intersit societatem non dirimi. Quod ad *locationem* spectat, si infortunium contigerit, v. gr. si agrum grando vastaverit, iuris romani et italici (art. 1617, 1618) conductor potest minuta pacta mercede solvere, nisi aliorum annorum ubertate aequa detur compensatio. Si ob infortunium nulli fructus collecti sunt, aequum est totam mercedem remitti. Quod tamen a iure ital. alienum videtur (art. 1617-1618). Circa locatoris obligationes vide art. 1604.

Circa *emphyteusim*, notandum quod lex civ. it. reiicit subemphyteusim, qua nempe emphyteuta tradit praedium emphyteuticum alteri, sub onere melius efficiendi et sibi persolvendi annuum canonem.

*l*) Codex civ. it. nullam actionem praestat ad exigendum debitum causa *ludi* vel *sponsionis*, exceptis ludis qui conferunt ad exercendas corporis vires, ut ecce arma tractare, ludere pila, currere seu pedibus, seu equo, seu curru (art. 1803). In quibus si forte immodica summa certatum est, iudex victorem repellere potest.

*m*) Ex Cod. civ. it., *fideiussor* tenetur erga creditorem solummodo in defectu iuridice probati debitoris principalis; qui proinde prior excuti debet, saltem si id fideiussur poscat. Si plures sint fideiussores pro eodem debito, in solidum omnes tenentur; sed unicuique e fideiussoribus ius est petendi, ut creditor dividat actionem suam exigendo partem a singulis (art. 1912-1920).

*n*) Circa *hereditatem* vel *successionem*, repudiatio hereditatis numquam supponitur, sed express

fieri debet (art. 944). Acceptatio autem tacite fieri potest (art. 934).

De successione descendentium vide art. 743-749; de successione ascendentium art. 739-740, 750-751; de successione coniugis et fisci, art. 753-758.

*o*) Circa *testamentum* monemur conditiones impossibiles vel illicitas (v. g. non contrahendi matrimonium) non vitiare dispositionem, sed pro non adiectis haberi (art. 850).

De forma testamenti, cum interesse debeat notarius, hic de legis formis servandis curam habebit. Vide art. 777-778.

Quidquid post nominis testatoris appositionem scriptum fuerit, robore caret nisi iterum signaverit diem, mensem, annum et iterum subscripserit. Art. 775 et 804 (1).

**115.** — Quoad Codices caeterae gentis, latinae stirpis, pauca addemus. Cod. I. Gallici fere eadem habet ac Cod. Ital. circa ea quae modo expo-

(1) Item recolendum quod etsi valeat probabiliter in foro conscientiae testamentum absque formis legalibus, tamen is cui, absque testamento, lex hereditatem adsignat, potest in conscientia hoc beneficio legis frui et invalidationem testamenti postulare. Sed is ad quem ob testamentum *informe* spectat hereditas (modo constet de voluntate testatoris) potest licite eam retinere ante sententiam iudicis. Bene meminerit Confessarius quod dispositiones testamentariae ad *pias causas* valent etiamsi solemnitatibus, ut aiunt, et formis legalibus careant, dummodo certo constet de voluntate testatoris (Can. 1513, § 2). Non sufficit autem unus testis, etiamsi parochus esset.

Si testator filios vel ascendentes legitimos habeat et simul filios naturales recognitos, ii ad medietatem partis quae illis, si essent legitimi, obveniret, ius habent; sed haec pars ab eo quod de patrimonio superest accipienda est, adeo ut *legitima* descendentium vel ascendentium computetur tamquam si non adessent illi filii naturales; ii tamen ad ½ hereditatis quae illis contingeret si essent legitimi ius habent, si genitor ascendentibus vel descendentibus legitimis careat (Cod. It. 166, § 15, 18).

sita sunt. Vide tamen circa filiosfamilias, a. 338, 446, 450..., 476..., 762, 906, 1304 seq., 1125, 1311; circa contractus ex parte uxoris art. 217-219. Circa donationes, casus in quibus non plenum sortiuntur effectum, vide art. 843 et seq., 851, 852, 953, 955, 960 et seq. Ex iure Gallico coniuges generatim invicem sibi donare possunt, saltem ex parte, si adsint descendentes non autem filii (art. 1093-1098), sed semper revocari possunt (a. 1096). Circa formas testamenti vide art. 970, 971, 976, 977, 980, 1007; circa iura et obligationes heredum vide a. 873, 302. Ex iure Gallico numquam heredes privata auctoritate exhereditari possunt (a. 727, 955, 1046, 1047). Donatio mortis causa non admittitur (a. 895); valent tamen substitutiones directae, seu testamentum quo secundus instituitur legatarius defectu prioris, si legatum accipere nolit vel non possit (a. 898. Vide etiam art. 899 et legem 17 Martii 1828 circa art. 1048 et seq.).

**116.** — Iure Hispano contractus de re turpi nulli declarantur sed pretium scienter solutum repeti nequit (saltem in foro externo). Cohaerent CC. l. 669, 692; ae. 1457, 1458; b. 722, 724; br. 145; ch. 1467, 1468; c. 1524, 1525; g. 1422; m. 1304, 1306, 1669 seq.; n. 1467, 1468; p. 1243; u. 1262, 1539; S. 1453, 1454.

Ad maiorem aetatem requiruntur in Aragonia 20 anni completi; in Cathalaunia, Navarra et Cantabria, 25; in l., ae., b., br., c., cs., g., m., p., S., u., v., 21; in a., 22 et in ch. et n. 25. Contractus cum minori factus rescindi potest et pars maior reddere debet rem cum fructibus vel pretium cum reditibus. C. H. 1300-1304; l. 98, 99, 688; a. 327, 1158; ae. 248, 1437, 1676

seq.; br. 6, 147; ch. 253, 1477, 1682 seq.; c. 301, 1504, 1721 seq.; n. 256, 1078, 1682 seq.; p. 1247, 2281, 2282, 2294; S. 300, 1433; u. 1254, 1534 (cf. Ferrères, *Epitome*, p. 221).

Ex iure hispano uxor habens 21 annos potest exercere commercium facultate per publicam scripturam accepta a marito vel per consensum mariti. Omnes puberes testamentum facere possunt ex CC. ae. 255, 995; ch. 261, 1005; c. 309, 1061; S. 305, 1038; ex cs. 591 debent habere 15 annos; 18 ex p. 685.

Item iure hispano, 1262; a. 1188 (1154) seq.; u. 1239 acceptatio contractus facta per epistolam non obligat offerentem nisi postquam huic innotuerit; sed iure cs. 1010 et p. 54 cod. comm. ipsa acceptatio ex quo scripta fuit perficit contractum.

Metus reverentialis iure hispano non invalidat contractum. Cfr. etiam C.H.Ph. 1267; ae. 1446; ch. 1456; c. 1513; m. 1300; n. 1456; p. 1243; S. 1442. Cessio bonorum debitoris creditori voluntaria vel iudiciaria ab integra solutione non liberat, iure hispano, nec ae., b., ch., c., cs., g., n., p., S., u.

Iure hispano-phil. conditio potestativa, quae unice a voluntate se obligantis pendet nullum reddet contractum. Eodem iure hispano-phil. et Am. Lat., possunt facere donationes omnes qui possunt contrahere (a. 624). Donationes accipi non possunt in defraudationem legitimae; non possunt accipere coniuges inter se. C. H. 50 et a. 1941, b. 674, p. 627, u. 1631, v. 1033. Contrarium tenet cs. 78. Iure vero l. 1178 seq., ch. 1138 seq., c. 1196, m. 2114 seq., n. 1138 seq., S. 1164 seq., licet coniugibus facere donationes inter se, sed revocabiles sunt omnes ad nutum donantis. Donatio, praeterea revocari potest si conditiones appositae non

praestentur, vel si donatarius se exhibeat ingratum, iure hispano et C. H. Ph. 647, 648; et iure l. 1482 seq.; a. 1882, 1892; ae. 1416; b. 676; br. 1181; ch. 1426; c. 1483; cs. 1405; g. 731; m. 2644; n. 1246; p. 615; S. 1412; u. 1606; v. 1055.

**117.** — Iure hispano non requiritur heredis institutio ad valorem TESTAMENTI; imo si heres institutus non acceptet, ceterae clausulae iuri conformes adhuc valent. Cohaerent cum hispano quoad primam partem CC. l. 1739, 1794, 1839 et Am. Lat. et quoad alteram partem etiam a. 3744; b. 486; c. 105; m. 3335 seq.; u. 829.

Omnes fere Codices Am. Lat. permittunt suis subditis ut in extera natione iuxta ipsius leges testamenta conficere possint, ita a. 3669; ae. 1017; ch. 1027; c. 1087; m. 3565; n. 1027; p. 679; S. 1058; u. 803. Testamentorum divisionem admittunt fere omnes praedicti Codices, sed solus a. 3656, 3673, admittit testamentum holographum, et pro solis militibus etiam b. 456, 457.

Iure hispano testatores esse non possunt qui non habent 14 annos et qui non habent plenum usum rationis. Cohaerent CC. l. 1764 et Am. Lat. Discrimina tamen haec habentur: inhabiles sunt ex cs. qui decimum quintum aetatis annum nondum attigerunt; ex br. et v. qui 16; ex a. et p. qui 18; ex ae., b., ch., c., m., n., S., u. qui impuberes sunt.

Eodem iure hispano heredes legitimi non excludunt alios heredes necessarios a sua legitima portione.

Quolibet iure et etiam hispano qui accipit hereditatem beneficio inventarii neutro foro obligatur ad debita excedentia vires hereditatis; si autem absque beneficio illo, obligabitur in foro externo

iure hispano a. 1003, 1023 et l. 1720; a. 3392 seq.; ae. 1237-1242; b. 543 seq., 558 seq.; ch. 1247-1252; c. 1304-1309; p. 750 seq.; S. 1271-1275; u. 1036 seq., 1053 seq.; v. 897, 922. Iure hispano codicillus non existit sed omnes ultimae voluntates easdem solemnitates exigunt: art. 672 et CC. a. 3654; ae. 990, 992; b. 659 seq.; ch. 1000, 1002; c. 1056, 1058; n. 1000, 1002; p. 856; S. 1033, 1035; u. 759. Item, iure hispano, donatio mortis causa aequiparatur legato ac proinde legibus legati regitur. Cohaerent CC. l. 1457; ae. 1126; 1129; b. 688; ch. 1136, 1139; c. 1195; n. 1136, 1139; p. 628; S. 1063; u. 1588.

Locatarius expulsus ab emptore rei locatae poterit iure hispano compellere locatorem ut damnum sibi illatum sarciat et emptorem ut sibi permittat colligere fructus illius anni. C. H. 1571. Circa censum emphyteuticum vide art. 1605, 1638, 1644, 1650, 1652, 1803, 1806. Iure hispano non existit hypotheca iudicialis, sed eius locum tenet *adnotatio praeventiva* in regesto proprietatis facta ex mandato iudicis, vi cuius confertur praelatio creditorum.

**118.** — 3. **De lucro ex mutuo percepto.**

Circa lucrum ex mutuo percepto vel usuram, ponderanda est theoria quae docet valorem pecuniae usu non consumi, imo sortem ea utentis adauget. Quapropter haud bene dicitur: dare pecuniam ad usuram; non est enim usura aequum lucrum ob damnum emergens et lucrum cessans. Modus autem licitae usurae desumitur ex aptitudine pecuniae ad fructus gignendos hoc definito loco ac tempore, adeo ut, inspectis rerum adiunctis, non modo septem sed etiam decem pro centum ha-

beri possit ut quid honestum et aequum. Hodie vero, respectu habito ad societatis civilis statum, praeter titulos extrinsecos: *damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, poena non factae suo tempore solutionis,* admittitur honesta foeneratio ex titulo legis civilis, qui videtur esse intrinsecus quatenus sit nova species contractus onerosi, vulgo *prestito ad interesse.* Quamobrem si accedant alii tituli extrinseci exigi potest aliquid amplius ultra foenus legale. Ad rem can. 1543: « Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum *de lucro legali* pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam *de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur* ».

Idem dicendum si quis, praecisione facta a lege, in praestatione pecuniae pro rerum, locorum atque personarum adiunctis, octo et amplius pro centum exigit. Cum sit hodie maius pretium rerum fungibilium, aequum est, ait D'Annibale, ut, proportione facta, foenus ipsarum augeatur. Imo, si pactum previum adsit, saltem implicite, exigi possunt fructus de fructibus, tempore ipsorum elapso.

Cum agatur de foenore haud immoderato, omnibus inspectis circumstantiis, Confessarius non tenetur poenitentem interrogare in bona fide constantem vel, si agatur de Confessario poenitente, utrum doceat aut permittat illud lucrum immoderatum; nam talis interrogatio non exigitur in responsione sancti Officii (17 ian. 1838) et in alia episcopo Rennes. et theol. Gousset data.

Si vero poenitens in mala fide extat, ad restitutionem non est obligandus sed ad conversionem evehendus nempe ut a peccato abscedat monendus

est. S. Alphonsus enim circa ea verba quae hac de re S. Sedes protulit nempe tales *non esse inquietandos*, ait quod ipsa *non meram tolerantiam sed positivam permissionem significant* (IV, 765). Nihilominus in contractibus huiusmodi quibus pecunia foenore datur inspiciendae sunt circumstantiae quae eos illicitos saepe efficiunt quatenus iustitiae adversentur.

Ad restitutionem adigi debet: qui contractum usurarium fecit absque titulo etiamsi hic aderat, sed de illo postea recordatus est; item qui hereditatem usurarii accepit ex parte quam accepit; qui causa est ut usurae fiant; item creditor usurarii exigens usuras a mutuatariis sui debitoris ut sibi compenset (cf. S. Alph., 773-785). Non oritur obligatio restitutionis ex receptione donorum ex parte mutuatarii, nec ex praestatione pecuniae foenore moderato mala fide facta nempe ea opinione non posse illud exigi; neque ex praestatione foenore moderato alicui vere pauperi, licet charitas violetur; neque ex cooperatione usurae in eo circa quod mutuatarius non est invitus, neque ex cooperatione in eo quod peccatum usurae praesupponit (attamen ad restitutionem tenetur qui usurae directe operam dat, v. g. obligationes proprio nomine signando vel mutuatarium ad usuram acceptandam cogendo) - (1).

(1) Foenus legale etiam pro Italia est quinque pro centum (5 %) in materia civili, sex pro centum (6 %) in materia commerciali. Foenus conventionale pro peculiaribus personae, rerum et loci adiunctis statuitur. In Hispania foenus legale est quinque pro centum. Lege hispana (23 iul. 1908) vi carent contractus mutuationis in quibus aut foenus multum excedat taxam legalem, aut mutuatario imponantur conditiones iniquae, ita ut (in utroque casu) consentiat propter angustias rei familiaris, vel inexperientiam. Si contractus fuit ante legem, restituit capitale et interesse (foenus) moderatum, et si immoderatum iam dedit, repetere non potest. In Gallia, lege 3 sept. 1807, statutum est 5 % in re civili, 6 % in re

**119.** — 4. **Contractus speciales.**

Fideles arcendi sunt a contractu quo constituitur census redimibilis etiam per voluntatem censualistae (creditoris vel emptoris) propter intentionem usurariam latentem. Meminerit Confessarius non esse obligationem censum solvendi si fundus in quo est constitutus amittitur, etiamsi censuarius (debitor) alia bona hypothecata modo generali in ea obligatione haberet. Probabile est censum redimibilem non posse redimi in foro conscientiae a censuario absque consensu creditoris, quamquam Cod. Iur. It. id permittat *non obstante quovis pacto in contrarium*, nam hoc in conscientia validum est et ad finem legis sufficit pro foro externo actum invalidare.

In contractibus societatis iniustum est pactum quo empta re venali, restituitur illico pecunia ei qui dedit et inter se quod superest dividunt socii; tolerari potest ut illi pars minor in lucro adsignetur.

Opinio quaedam valde probabilis dicit licitum contractum quem dicunt *a riporto* seu cum retractu conventionali, quia obligatio retrovenditionis ipsi reservatur qui immediate e contractu lucrum percipit; non autem licitus contractus qui dicitur mohatra, quo retrovenditio mercis statim ab emptore pecunia prompta, infimo pretio, facienda est. Est enim contractus usurarius ut constat ex prop. 40 d. ab Innoc. XI.

Sindacati, quos vocant, illiciti sunt si pecuniae

commerciali. Ad excessum restituendum damnatur qui receperit. Vide etiam art. 1154 *Cod. Civ.*

Circa foenus legale, statuunt etiam alii Codices: l. 1640, 5 %; 6 % ex ae. 2194; br. 1062, 1063; ch. 2207; c. 2232; m. 2296; n. 2207; p. 1821; 9 % ex S. 2164; u. 2181; 3 % ex v. 1720. Unicus C. ae. 2193 prohibet ut aliud lucrum maius in pactum deducatur.

vim ingentem parant per bursae ludos eo fine ut decies vel vicies valorem operationum industrialium, in sindacatos colligatorum, augeant ad excutiendos in antecessum lucros ex coalitione speratos per emissionem nominum (titoli) (cf. *Civ. Catt.* ser. 18, vol. VIII, p. 391).

**120.** — 5. **Restitutio ob damnum in bona Ecclesiae (1).**

*Extra Italiam. a) Alienatio vel usurpatio.* Videat Confessarius cum peccata audit de usurpatione

(1) Quae sequuntur, hodie in Italia ex *Concordato* ita solvuntur: *In esecuzione del* Concordato *la Congregazione della Sacra Penitenzieria ha inviato agli Ordinari d'Italia il seguente documento:*

« *Dopo la promulgazione delle cosidette leggi eversive del patrimonio ecclesiastico nel Regno d'Italia, molti, come è noto, in diversi modi, vennero in possesso dei beni della Chiesa usurpati e li convertirono in proprio uso.*

« *Alcuni detentori di tali beni hanno provvisto alla propria coscienza, impetrando dalla Santa Sede la condonazione e l'assoluzione; molti altri invece non si accordarono colla Chiesa e perciò rimasero fino ad oggi e rimangono soggetti alle pene ecclesiastiche incorse per questo motivo, nonchè all'obbligo di restituire e di riparare i danni.*

« *Per venire in soccorso alla misera condizione di queste persone, il Sommo Pontefice nell'articolo* 28 *del Concordato stipulato fra la Santa Sede e il Regno d'Italia, spinto da affetto paterno, si è degnato di manifestare la Sua volontà di condonare le sacrileghe usurpazioni e il possesso dei beni ecclesiastici e per conseguenza di largire ai detentori di tali beni la remissione delle pene ecclesiastiche, giusta una norma da stabilire in una speciale istruzione, che sarebbe stata inviata agli Ordinari.*

« *Perciò la Sacra Penitenzieria, per espresso mandato del Sommo Pontefice, decise di ordinare e dichiarare conforme al volere del Santo Padre, quanto segue:*

1. *A nome e per autorità del Sommo Pontefice, la Sacra Penitenzieria dichiara solennemente che il Santo Padre benignamente concede a quanti ingiustamente detengono beni ecclesiastici una piena condonazione, eccettuati soltanto i possessori di edifici sacri, per i quali gli Ordinari provvederanno a norma dell'istruzione della Sacra Congregazione del Concilio.*

2. *Gli Ordinari designeranno alcuni confessori, distinti per pietà*

vel alienatione bonorum Ecclesiae an poenitens in censuram incurrerit de qua can. 2345: *Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia.*

*e dottrina ai quali debbano presentarsi i penitenti possessori di beni della Chiesa, che, avendo fruito del beneficio della condonazione, desiderano provvedere alla propria coscienza coll'assoluzione dalla colpa e dalla pena incorsa. Ai confessori scelti dagli Ordinari questa Sacra Penitenzieria concede tutte le facoltà necessarie ed opportune perchè possano convenientemente adempiere l'incarico loro affidato.*

3. *Il confessore assolva nel foro sacramentale i penitenti, che gli si presentano convenientemente disposti, dalle colpe e dalle pene da cui sono vincolati, imponendo loro però una congrua salutare penitenza, ed anche una qualche elargizione a giudizio del confessore stesso, in favore di cause pie, da rimettersi sollecitamente o direttamente dai penitenti o per mezzo del confessore al rispettivo Ordinario, ingiungendo loro inoltre di restituire immediatamente allo stesso Ordinario i Vasi Sacri e le Suppellettili preziose che ritenessero presso di sè e che fossero appartenute un tempo ai sacri edifizi.*

4. *Ai penitenti così assolti il confessore ricordi e spieghi il grande beneficio della condonazione elargita dal Capo Supremo della Chiesa, conforme alla surriferita dichiarazione della Sacra Penitenzieria, in forza della quale non solo acquistano la libera e piena proprietà dei beni della Chiesa da loro posseduti, ma ancora dopo pienamente liberati da tutti gli oneri contratti in causa o per occasione del possesso degli stessi e anche da quelli che potessero su tali beni gravare per qualsiasi ragione.*

« *Però per quanto in modo speciale si riferisca ad oneri di Messe od altri consimili suffragi, sebbene anche questi vengano rimessi, supplendo il Santo Padre col tesoro della Chiesa, il confessore tuttavia, a nome dello stesso Santo Padre esorti vivamente il penitente a dare anche egli qualche cosa almeno per una volta a seconda della sua pietà e religione.*

5. *Il confessore consegnerà allo stesso penitente una dichiarazione scritta dell'assoluzione impartita in foro interno e della sincera promessa fatta dal penitente di eseguire fedelmente quanto gli fu prescritto: su presentazione di questa dichiarazione il Superiore lo dichiarerà assolto anche in foro esterno. Il penitente poi potrà chiedere e tenere presso di sè una copia autentica di questo documento per tranquillità propria e dei proprii parenti.*

« *Gli Ordinari dell'uno e dell'altro Clero, residenti nel Regno d'Italia e nelle sue Colonie, non omettano di comunicare e spiegare queste disposizioni, date dalla Sacra Penitenzieria* ».

Qui quocumque modo usurpator vel detentor horum bonorum vel iurium est, absolvi potest si haec fecerit: Ordinario loci vel ab eo delegato declarationem, a se subscriptam coram duobus testibus, tradere, qua obligatione suscipit, tam nomine proprio quam heredum suorum, retinendi ea bona ad nutum Ecclesiae (si est venditor eorum bonorum remittat lucrum perceptum e contractu) et S. Sedis voluntati obediendi, ea servandi atque curandi, obligationes annexas adimplendi et ex fructibus ipsorum bonorum personis quibus pertinent de iure subveniendi, detracta singulis annis ea pecunia quam entia abolita vel non abolita sed ad *conversionem*, ut aiunt, submissa, a gubernio civili recipiunt titulo stipendii vel *conversionis* (S. Poenit. 23 Mai. 1873). Idem dicendum de eo qui praedicta bona ecclesiastica emere velit. Haec autem in Italia praedictam solutionem per Concordatum obtinuerunt; at vigent pro iis gentibus seu nationibus quae Concordato cum Ecclesia non gaudent.

Retro-venditor horum bonorum tenetur insuper scandalum tollere, emptores hortari ut cum Ecclesia paciscantur, et eius voluntati sese remittant. Idem pro eo qui in emphyteusim a gubernio bona ecclesiastica accepit vel canonem annualem redemit iuxta legem vel alia iura ecclesiastica haud redimenda. Qui vero redemit census vel iura ecclesiastica quae redimi possunt, absolvi potest dummodo Ordinario loci remittat residuum, si minus solvit gubernio, ut pro piis locis, quibus erant ii census vel iura, impendatur.

In casibus huiusmodi prudentiae est Ordinarium adire et modos atque pacta secundum Ecclesiae canones statuere.

Ob S. Poenit. concessionem (22 Iul. 1884), qui bona ecclesiastica redemit, retinere ea potest sicut

propria et alienare si Ordinario vel personae vel enti morali ab eo designato, iustum pretium determinandum restituat, detractis sumptibus quae occurrerunt ad *revindicationem*. Imo, ei qui auctoritati ecclesiasticae remittit prorsus liberum *iuspatronatum* et collectionem horum bonorum, pars illius pretii condonatur ad arbitrium Ordinarii (S. Poenit. 1 Oct. 1884). Si legata et onera celebrandi Missas super ea bona constituta sint, ab earum cura et obligatione liberari potest detentor remittens pecuniam quae fructificans quinque pro centum summam singulis annis efficiat sufficientem ad ea onera adimplenda; si vero pecunia solvitur chartis *Debiti publici*, hae computandae sunt secundum valorem effectivum in die solutionis. Cum haec omnia poenitens fecerit, absolvi poterit ab omnibus censuris et poenis ecclesiasticis et sanctionem recipere cuiusvis alienationis quae antea absque debitis permissionibus fecerat. Ad obtinendos hos favores Ordinarius adeundus est. Tenetur ad restitutionem is quoque qui etsi non sit detentor vel usurpator bonorum Ecclesiae, nihilominus lucrum ex eis percepit vel cooperatus est ut ea bona in possessionem caderent illius qui obligationes erga Ecclesiam non adimpleret (1).

(1) De his omnibus vide tamen Cod. I. C., can. 1529 et ss., quos sequi necesse est.

Circa ea quae statuta sunt relate ad Galliam d. 21 Sept. 1907 et 16 Ian. 1909 cfr. *Supplem. V edit. summulae* Card. D'Annibale, et apud Lehmkuhl et Noldin *Condonationes a S. Sede concessae per Concordata elapso saeculo inita.*

In Hispania, emptores bonorum ecclesiasticorum ante 4 Apr. 1860 qui a Gubernio servatis praescriptionibus civilibus emerunt bona ecclesiastica, ea servare possunt tuta conscientia. Et quidem sine ullo onere si tali modo emerunt; vel cum oneribus piis si *non ut libera* ab illis emerunt: tamen possunt haec onera redimere apud Ordinarium. Si quis emit a Gubernio post 4 Apr. 1860 bona eccle-

**121.** — *b*) *Compositio.* Sciat Confessarius quod S. Poenitentiaria per specialem et expressam auctoritatem Apostolicam, indulto 24 Ian. 1890, declarato et aucto per aliud indultum 15 Apr. 1892, Ordinariis facultatem annualem admittendi ad *compositionem* possessores bonorum Ecclesiae concedit, quin necesse sit pro singulis casibus ad S. Sedem recurrere (dummodo summa triginta millia libellarum non excedat); item, facultatem admittendi ad *compositionem* eos qui deinceps emere, vendere, redimere, liberare ea bona usurpata vel sese ab oneribus piis liberare velint. Cf. can. 1529 et seq.

Tempore quadragesimali vel paschali aut quando sacrae missiones, ut aiunt, nempe exercitia spiritualia ad populum dentur, si quis *compositionem* facere nequeat, absolvi poterit a Confessario ad hoc facultate munito, dummodo serio promittat se Ordinarium aditurum infra duos menses a die absolutionis receptae, ut compositionem faciat; interim vero scandalum removeat. Ordinarius potest, ex concessione, praedictis temporibus tantum, confessarios delegare ut poenitentes huiusmodi absolvant; extra ea tempora pro singulis casibus facultas petenda est ipsi Ordinario.

**122.** — *c*) *Hypotheca super bona ecclesiastica.* Absolvi potest a censuris, debitis facultatibus ad Episcopos datis a S. Poenitentiaria, is qui contra praescriptum can. 1538, hypothecam bonis ecclesiasticis imposuit, declaratione subscripta qua sese obligat iure suo non uti priusquam licentiam a S. Sede obtinuerit, atque ea bona quam primum

siastica iam debito modo permutata, tutus in conscientia esse potest. Si quis emit a Gubernio bona excepta a tali permutatione peccat, iniuste agit et ad restitutionem tenetur (cfr. Ferreres, *Comp. th. mor.*, n. 885, 888).

ab hypotheca liberare vel saltem actionem hypothecariam impedire. Concessio haec autem non respicit creditores hypothecarios (S. Poenit., 31 Dec. 1888 et 1 Mai. 1889). Ius canonicum de oppignorandis vel hypothecae nomine obligandis bonis ecclesiasticis idem statuit quod de aere alieno contrahendo.

*d) Operae piae.* Potest Ordinarius licentiam dare quamvis operam piam administrandi, quae a gubernio e iurisdictione episcopali subtracta sit, dummodo administrator usurpationi, praesertim iureiurando, non adhaereat, ab Ordinario dependeat et scandalum, si adsit, removeat. Administrator potest esse sacerdos (S. Poenit., 13 Sept. 1895). Qui liberavit bona alicuius oratorii iudicio Ordinarii stare debet ut onera pia, quantum fieri possit, salventur (S. Poenit., 21 Mart. 1890). Cf. Cod. I. Can., can. 1532-1543.

*e) Decimae.* In locis ubi adhuc decimae solvi solent, solvendae sunt: « laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur » (can. 1502). At, si parochus a gubernio civili supplementum redditi ut compensationem aequam pro decimis suppressis receperit, fideles qui nolint decimas solvere non sunt inquietandi, modo parati sint stare Ecclesiae sententiae (S. Poenit., 4 Mai. 1897 et 7 Mart. 1899). Parochus autem retinere non potest compensationem gubernii et decimas, sed quod eam excedat Ordinario remittere debet ut personis vel piis locis a gubernio damnificatis distribuat.

**123.** — *f) Legata.* Heredes qui in bona fide a magistratibus civilibus reductionem circa pia legata obtinent, in bona fide relinquendi et absolvendi sunt. — Legatum cuidam relictum sub clausula ut si ille moriatur absque liberis, legatum tertio trans-

eat, assignari potest monasterio in quo moritur ut religiosus, nam eius heres est. — Testator legatum pium condere potest et onus heredi proprio vel enti morali iuridice recognito tradere; oneratus vero adigi potest ex lege ad onera adimplenda. Monendi sunt fideles ut si legata pia condere velint, ea enti morali ecclesiastico adsignent inter ea quae a lege adprobantur, v. g. episcopo vel parocho pro tempore, capitulo cathedralis in persona sui praesidis vel substituti, vel associationi piae iuridice a gubernio recognitae. Si velint condere novam operam piam independentem, expedit ut alicui probo ac perito viro eam tradant et, quantum fieri possit, per actus inter vivos potius quam per testamentum.

Cum sub quadam legislatione civili constitui non possit proprie dicta *cappellania,* obligatio relinqui potest heredi cum pignore hypothecario in favorem parochi, celebrandi secundum redditum determinandum, certum Missarum numerum.

§ 8. *De Prudentia circa confessiones generales.*

**124.** — 1. **Regula generalis.**

Iuxta consilium et sententiam S. Leonardi aliorumque sanctorum, observanda est regula generalis non permittendi confessionem generalem ei qui iam, saltem semel, fecit non abhinc multos annos, vitam emendavit nec quidquam habet quod in mala fide, eum teneat circa confessiones iam peractas. Bonum tamen erit hortari ad confitenda peccata admissa post confessionem generalem, ad uberiorem animae fructum consequendum, ad pacem atque spiritualem vitam in fervore charitatis augendam. Si vero in tali occasione expediat ut anima afflicta aliquid exponat ad sui ipsius quietem, caute procedendum

ne scrupulosae conscientiae plagae aperiantur. Prudentis, igitur, Confessarii est in casibus particularibus bene discernere num expediat permittere ut de vita praeterita quaedam iterum repraesententur tribunali Poenitentiae.

**125.** — 2. **Summa utilitas.**

Ceterum, generalis confessio per se est summe utilis. Ipsa est, ait Salesius, quae ad salutarem vitae anteactae confusionem provocat atque ad admirationem erga Dei misericordiam, ad amorem ob eius bonitatem animum vehementer accendit. Quinimo, ipse Deus acceptam sibi esse confessionem generalem demonstrat ut evenit cum S. Margaritae a Cortona poscenti ut filia ab eo vocaretur respondit se hoc nomine eam appellaturum postquam confessionem generalem peregerit. Quod ita contigit, nam beata Dei serva audivit illico haec verba: *Filia mea Margarita, remittuntur tibi omnia peccata tua.*

Quamplures sancti tamquam primum eorum sanctitatis fundamentum confessionem generalem posuerunt. S. Ignatius a Loiola in suis *Exercitiis spiritualibus* hortatur omnes qui perfectam conversionem concupiscunt, ut ante omnia confessionem generalem faciant. Hanc alterum Baptismum animam purificans ac tempus redimens vocat S. Ioannes Chrysostomus.

Confessio generalis non est prohibenda iis qui numquam eam peregerunt, nam ut semel saltem confiteantur simul omnia admissa omnes spiritus magistri hortantur, item suggerenda iis qui in quodam vitio habitualiter vixerunt et interdum confessi sunt parva aut nulla emendatione sequente.

**126.** — 3. **Summe necessaria.**

Generalis confessio est procul dubio unicum remedium quod sanare possit conscientias per multos annos peccatis oneratas quae numquam Confessario manifestata sunt, vel sine dolore exposita vel absque proposito vitam emendandi. De confessionibus sacrilegis loquuntur fere omnes illi viri apostolici qui missiones seu exercitia spiritualia habitualiter ad populum habuerunt. Sufficeret legere quae suggerit S. Leonardus hac de re ut Confessarii solliciti et prudentes sint ne, eorum incuria vel imperitia, quam plurimas animas in via perditionis prosequantur. En autem quomodo loquitur P. Mach S. I. (1805-1885) celeber missionarius catholicae Hispaniae in suo libro per totam Europam propagato cui titulus: *El tesoro del sacerdote*: «Quam recte dicebat Sancta Theresia cuidam e nostris missionariis: Pater, predica semper contra confessiones sacrilegas; nam Deus revelavit mihi maiorem christianorum partem damnari ob male factas confessiones!

« Illos quoque qui vitam piam ducunt hortantur magistri spiritualis vitae ut revisionem faciant a die ultimae confessionis generalis; quid dicendum si timor adsit ne peccata lateant quae confiteri quis nolit? Quot animae in haec diaboli laquea incidunt, occultantes peccata praesertim in illis pagis aut locis in quibus fere numquam Confessarius de longinquo veniat, vel Confessarii qui adsunt habitualiter, aegre ferunt suos poenitentes alios adire! Si etiam ubi non regnat haec turpitudo quamplurimae animae aegre in confessione sincere sese gerunt, quid erit illuc ubi illae Confessariorum nugae sint in honore? Paucas missiones invenio, de iis a me datis, in quibus, facta summa confessionum quas audivi, reperiri non potui quinque, sex, se-

ptem, quandoque octo vel novem, ex decem, confessiones generales *necessarias*. Perpendant Patres Confessores qualem libertatem poenitentibus praebere debeant; animo reputent Parochi qua sollicitudine, saltem quinto quoque anno, suis fidelibus *missiones sacras*, quam dicunt, offerre, praesertim appropinquante paschali tempore, populo valde explicantes necessitatem Confessario omnia peccata aperiendi» (P. II, c. II).

Neque reputes peccata reticeri a viris vel mulieribus, non autem a pueris vel iuvenibus; quinimo saepe saepius ab istis confessio male peragitur. « Ad resarciendas iuventutis ignorantias, ait P. Van Kerkhove, S. I. in suo *Manuale Missionis*, et plurimos defectus, qui in confessione fiunt a iuvenibus, saluberrimum iudico, in aetate adulta, quando iam vigent sensus et intelligentia huius Sacramenti, aliquam facere confessionem generalem ab exordio vitae suae, cum debito studio et sollicitudine. Periculosum est eam negligere, ait S. Franciscus Salesius (P. I., *Introd. à la vie dévote*, c. VI). Idem S. Carolus Borromaeus et alii... *Ad minimam suspicionem de necessitate confessionis generalis* (hic non agitur de scrupulosis), quam suscitat poenitens, statim inquirere debet Confessarius, ait S. Gregorius, et saepe *nidum* deteget. Imo industriam ponere debet, ait S. Carol. Borromaeus, in eo prudenter examinando » (pag. 48) - (1).

(1) Haec audire praestat quae S. Leonardus in *Prima istruzione sulla confessione* habet: « *Quante volte ho avuto ai miei piedi persone, che si sono trovate due o tre volte in fine di vita e tuttavia nemmeno s'inducevano in quel pericolo manifesto di dannazione a confessare i loro peccati, a vincere quel rossore che loro chiudeva la bocca. Altri avevano intrapresi lunghi pellegrinaggi o di Loreto o di Roma, a fine di confessarsi di qualche peccato più enorme; eppure dopo esser giunti colà, non han avuto l'animo di confessarsi, ritornandosene a casa con*

**127.** — 4. **Quae sint difficultates.**

Omnes difficultates circa confessionem generalem ad duas praecipuas reducuntur: una circa conscientiae discussionem seu examen; altera circa peccatorum numerum. Ut autem utraque superetur, expedit a sexto decalogi praecepto incipere examen quatenus cum peccatum contra sextum saepe quacumque aetate ab usu rationis committi soleat, si aliam methodum adoptare quis velit, eadem peccata iterum confiteri debeat.

*la coscienza macchiata. Oh gran disgrazia di queste persone sì timorose! Alcuni pongono in questione se sia maggiore il numero delle donne o degli uomini che si salvano, e per lo più conchiudono a favor delle donne, attesochè essendo la via del paradiso l'osservanza dei comandamenti di Dio, mentre si trovano più donne che osservino i comandamenti e si guardino dal peccato mortale, conviene dire che più donne che uomini saranno salve. Soggiungono però questi Dottori che la più parte di quelle donne che vanno dannate, vi vadano per tacere a cagione della vergogna qualche grave peccato; e ancora io da principio mi figuravo che questo lasciarsi vincere dalla vergogna fosse proprio delle donne e dei giovanetti; ma l'esperienza mi ha fatto conoscere il contrario; mentre in molte missioni è stato maggiore assai il numero degli uomini che nel confessarsi ho scoperto che tacevano maliziosamente i loro peccati, che non è stato il numero delle donne; onde ho concluso tra me che questa materia abbraccia molto e che conviene frequentemente replicarla. Alcuni sono così timidi, che possono per questo caso rassomigliarsi alle cerve, delle quali si dice che essendo difficilissime al parto, non partoriscono se non quando tuona, perchè uno spavento maggiore fa superare una difficoltà minore; così questi più del dovere timidi, se non odono dei casi spaventosi, non si inducono mai a confessare certi peccati più vergognosi. Oh quanto bene fa una sola missione, quanto giovano questi strepiti, questi tuoni, che adoprano i missionari, e da alcuni si riprovano! Se sapeste quante anime con questi mezzi si cavano dalla bocca del lupo infernale! se lo sapeste! Pertanto essendo io risoluto di non lasciare indietro cosa alcuna che conosca essere proporzionata a promuovere il vostro bene, ogni mattina al principio di ogni istruzione vi apporterò un esempio di quelli i quali si sono dannati per tacere i peccati al confessore: acciocchè se mai tra di voi si ritrovi alcuno di questi meschini, si risvegli in questi santi giorni, e venga sinceramente a confessare la sua colpa ».*

Circa numerum peccatorum, suggeratur poenitenti ut dicat certum numerum si sciat, quin singulis vicibus interrogationem confessarii expectet. Si nesciat numerum certum, probabilem dicat, tot vices circiter vel saltem temporis durationem et lapsus frequentiam; si quando vero confusio conscientiae ne hoc quidem permittat, dicat an habitum in illo peccato fecerit et quoties in hebdomade, in mense in illud prolapsus sit.

**128.** — 5. **Normae practicae.**

Meminerit Confessarius quod si, confessione peracta, poenitens cognoverit numerum notabiliter maiorem esse numero approximativo dicto, tenetur, iuxta communem sententiam, hunc notabilem excessum declarare (probabiliter saltem, non adest obligatio confitendi peccatum quod accusatum fuit ut dubium et nunc apparet certum).

Tenetur poenitens confiteri circumstantias notabiliter aggravantes si iisdem annexa sit censura aut reservatio, ut Confessarius sciat an et quomodo absolvere debeat necne. Poenitens interrogatus de hoc respondere debet, v. g. si percussio fuit levis vel gravis, si percutiens mulierem haec abortum passa sit.

Qui confessus est peccatum grave et involuntarie omisit circumstantiam necessariam, sufficit ut in proxima confessione circumstantiam illam aperiat, si tamen explicari possit absque confessione iterata actus principalis; alias haec facienda esset.

Non est tamen peccatum speciale differre confessionem peccati quod quis oblitus sit, etiam usque ad Paschale tempus, dummodo ad Sacramentum Poenitentiae interea non accesserit.

Si in fine confessionis Confessarius non recordatur, ne in confuso quidem, peccatorum poeni-

tentis, hic tenetur denuo ea confiteri, quia absolutio, quae est sententia, dari nequit quin causa aliquo saltem modo cognoscatur.

Si confessio generalis ob merum consilium et ad maiorem utilitatem fiat, non oportet in accusatione vel in interrogationibus ea uti diligentia et praecisione quam necesse est habere cum ex obligatione facienda sit.

Si peracta a poenitente confessione sacrilega, huius sacrilegii oblitus postea fuerit, ut multis contingit, praesertim iuvenibus, et postea alias confessiones bene et in bona fide fecerit, has omnes repetere non tenetur, sed tantum eam vel eas confessiones male factas denuo, quantum fieri possit, iterare debet. Imo, iuxta Gousset (II, 444) non est prudentiae proponere confessionem generalem poenitenti cuius praecedentes confessiones invalidae fuerunt, si ipse non dubitat de validitate et timeatur ne in animi angorem gravem labatur si moneatur. Supponitur tamen ipsum actu bene dispositum esse et Confessarium omne quod prudentia suggerit fecisse ut super praeteritas confessiones revertatur.

In dubio utrum poenitens in confessionibus anteactis necessarium peccatorum dolorem habuerit, non adest obligatio illas iterandi.

Ut autem Confessarius in animi tranquillitate poenitentem relinquat, ipsum moneat ut si ob involuntariam oblivionem aliquod peccatum omiserit, confiteri hoc poterit alia confessione ipsi vel alteri Confessario, illud confitens ut oblitum.

**129.** — 6. **Monita salutaria.**

Beatus Ioseph Cafasso dicere solebat tertia horae parte expediri posse confessionem generalem poenitentis qui abhinc triginta et amplius annos num-

quam confessus sit peccata sua eaque gravia et valde numerosa; dimidiam horam cuicumque poenitenti sufficere, seipsum autem numquam amplius quam duas tertias horae partes in confessionem generalem longam audiendam et explendam insumpsisse. Cum autem plerique hoc credere non possent, ab ipso invitati ut fictam confessionem et quidem valde difficilem et per se inextricabilem componerent, eam absolvit breviori tempore quam quod ipse postulasset.

Secretum autem istius facilitatis et brevitatis ipse fatebatur dicens: Quo magis Confessarius scit theologiam Moralem eo celerius confessioni finem imponit. Ipse autem optime scientia hac callebat, unde raro contigit illi ut consilium aliis a se datum sequeretur, nempe differre sententiam in sacro tribunali cum de quaestionibus difficilibus ageretur. Ceterum, vir Dei verba inutilia in confessionibus audiendis vitabat, nec rationem reddebat circa monita vel consilia quae poenitentibus danda prudenter censebat. Rationes, aiebat, in schola dantur, sed poenitentibus respondere oportet obedientiam quae nititur ratione non esse Deo acceptam. Vos scitis, monebat discipulos, quod non est longus sermo nec ratiocinatio subtilis quae de corde et animo triumphare possit, sed plerumque brevis sententia, verbum penetrans et efficax.

Circa confessionem generalem, ut Confessarius cognoscat utrum permittenda sit annon cum non sit de necessitate facienda, ipse Beatus Dei vir monet ut inspiciatur finis ob quam poenitens eam postulat, necnon circumstantias a quibus motus est. Si vero confessio de re turpi facienda esset aut ob scrupulum quaesita, prorsus non esset permittenda; item si causa esset animi inconstantia aut mentis levitas. Numquam permittebat confessionem

generalem poenitenti cui Confessarius ordinarius eam vetasset; cum vero eam propriis poenitentibus denegaret ipsos monebat ut si quando alium confessarium arcesserent de illa prohibitione eum certiorem facerent.

Instruens autem neo-Confessarios, docebat methodum breviorem ad confessionem generalem explendam eam esse qua Confessarius interrogat iam ab initio; si vero agatur de vita aut tempore valde diutino, in tres partes dividere eam docet, idest quoad pueritiam, iuventutem, statum matrimonialem. Si tempus non sufficit, absolutionem differre oportet, aiebat, iam tamen peracta confessione, ut poenitens in se ipsum melius revertatur et tranquillitatem maiorem consequatur; si vero differri non possit, quaedam temporis momenta illico poenitenti adhuc coram Confessario genuflexo concedenda sunt, num aliquod peccatum oblitus sit.

Cui autem confessio generalis utilis esset, sed de ea ipse poenitens non cogitaret, vir Dei a longe utilitatem illam ostendebat et paulatim desiderium excitabat. Si examen conscientiae te angit, aiebat poenitenti, noli timere; confessarius te adiuvabit. Et circa hanc vocem « confessarius » multum in suis instructionibus ad neo-confessarios insistebat dicens magnam esse imprudentiam substituere illi utcumque vocem personalem « ego ».

CAPUT III.

## ACTUS CONFESSARII

—

### Articulus I.

### Benigne et caute excipere.

**130.** — 1. «**Charitas benigna est**».

Charitatis est peccatores benigne excipere ad imitationem Salvatoris qui cum peccatoribus et publicanis conversatus est ut a peccato eos retraheret; unde et Apostolus omnia omnibus, exemplo Magistri divini accepto, factus est ut omnes Christo lucrifaceret. Qua charitate excepit Mariam Magdalenam laudavitque propositum ac animi constantiam Salvator inter murmurantes, cum ipsa *irruit importuna convivio*, ut ait S. Gregorius! (*Hom.* 23 *in Evang.*).

Necesse admodum est poenitentes semper magna cum charitate et absque taedio excipere, alioquin nec bonum operari, nec meritum consequi de labore potest Confessarius: si panem dederis tristis, ait S. Augustinus, et panem et meritum perdidisti (*in Ps.* 42). Verba aeterni Iudicis: *Esurivi et non dedisti mihi manducare*, terribiliora erunt illis Confessariis qui animas famelicas satiare renuerunt, praesertim si illis in gratiam Dei reverti opus erat.

Vera charitas semper prompta est, quia cum bona voluntate, iuxta D. Augustinum, identificatur: Ipsa est charitas quae etiam dicitur bona voluntas (*in Ps.* 36). Iure meritoque Ritualis Romanus iniungit ut Confessarius «ad audiendam confessionem vocatus promptum facilemque se praebeat». Sunt casus circa quos difficultas aut retardatio ad excipiendam confessionem effectus vere lacrimandos parit, etiamsi de articulo mortis non agatur. Cum particulare nomen quod Confessario poenitens tribuit sit *Pater*, oportet ut ardorem habeat constantem, intensum, sollicitum, liberalem ac patientem prout decet paternitatem quae ex Deo est: *a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur* (Eph. III, 15); eo magis quod huius paterni amoris nos constituit vicarios Salvator, ut ait S. Ambrosius: *vicarios amoris Christi.*

Semper opportunum est quod S. Carolus Borromaeus Confessariis dicebat: «Aequo animo audiant confessiones, nec poenitentes inconfessos dimittant ex labore quem fugiunt; nec aegre eos audire quoquo modo significent, sed e contra efficiant ut poenitentibus innotescat sibi gratissimos esse pro eorum salute labores». Ipse autem forte ex digno S. Ambrosii dicto monitionem hauserat: «Dominus Iesus non excludit, neque abiicit quemquam; meritoque tales discipulos elegit qui dominicae voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent» (Lib. I *de Poenit.*, c. 1).

De Beato Cafasso legitur quod semper cum domi et ab exercitiis Communitatis liberus esset, promptus erat ad audiendas confessiones virorum et sacerdotum et quoties campanula ad hoc eum vocabat, ita prompte accurrebat ut vas aquae, dum biberet, illico deponeret. Et si quando servus ob charitatem in eum morbo laborantem non daret si-

gnum, severe a Dei servo reprehendebatur statim ac noverat. Charitas, aiebat ipse, semper ad audiendum quemvis postulantem, promptum facit bonum Confessarium (1).

**131.** — 2. **« Aemulor enim vos ».**

Qui verum animarum zelum habet, salutem aeternam tam villici quam regis, tam mulierculae quam nobilis foeminae operatur, dicensque omnibus libertate evangelica quod oportet, omnibus rationem aequaliter praebet: *Aemulor enim vos Dei aemulatione* (I Cor. XI, 2). *Nam pro omnibus mortuus est Christus* (II Cor. V, 15), propter quod non est acceptio personarum, nec apud Deum, nec apud suum ministrum, ne illi Apostolus dicat: *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est* (I Cor. VIII, 11). Proditio esset, aiebat B. Ioseph Cafasso, proprii ministerii, negligere animas illorum qui humilis sunt conditionis ut colantur matronae et divites, et mittere ad confessionale servum qui inspiciat an pauperes sint necne. Ipse autem suis monitis fidelis, viros mulieribus praeferebat quia, dicebat, ita maius bonum operari potest (2).

(1) Praestat hic can. 892 afferre: § 1: Parochi aliique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii rationabiliter petant. § 2. Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex charitate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes.

(2) « Confessarius, ait S. Alphonsus, non adeo mulierum confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *bizocas;* et cum postea vident ad se accedere homines aut foeminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis et molestiis, et qui aegre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos... Hoc non est audire confessiones ut Deo placeamus, sed potius ut genio ser-

Terribilis est Confessariis sententia S. Gregorii, scilicet, eos qui talentum a Deo acceptum negligant et officia propria adimplere non curent, rationem reddituros de omissione illa et de animarum perditione, quibus prodesse potuissent: Qui prodesse proximorum saluti refugiunt, ex tantis procul dubio rei sunt quantis prodesse potuerunt (apud S. Th., II-II, q. CXXXIII, a. 1).

Tempus nostrum cum Domini sit, insumendum est secundum eius voluntatem quin expediat parcere nobismetipsis cum poenitentes laborem sacri ministerii expostulant. Quando autem audire confessiones horis quieti vel corporis valetudini contrariis oporteat, meminerit Confessarius sententiae Chrysostomi: « Nulla res Deo gratior est quam ut vitam tuam ad commune commodum conferas » (Hom. 79 in Matth.). Servus qui domino famulatur, aiebat B. Cafasso, semper paratus est ad nutum eius absque temporis vel loci exceptione.

Vere de Confessariis dicenda sunt illa Ps. 122, 2

viamus; quare nescio quale meritum apud Deum habituri sint confessarii illi qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, immo et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis; sed assero quod probi confessarii qui tantum ut Deo placeant confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt S. Philippus Nerius, S. Ioannes a Cruce, S. Petrus de Alcantara, aliique), quando cernunt aliquam animam indigentem, praeferunt eam animabus devotis quibus audiendis auxiliandisque, quando confessarius vult, tempus non deerit » (*Hom. Ap.*, tract. ult., n. 55). « Evitet Confessarius partialem se ostendere cum aliquo poenitente. Quidam ad aliquam animi benevolentiam nimis adiiciunt; cum illa omnem curam, tempus et laborem insumunt. Non negandum quod aliqua anima maiori indigebit assistentia quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhaesio, quae efficit ut parcior cura de aliis poenitentibus habeatur. Ideo expedit, quod confessarius personae illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant » (*l. c.*, n. 43).

verba: *Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Non est zeli veracis, nec verae charitatis, nec verae humilitatis servi Dei et animarum, eligere horas illis importunas ut peccata confiteantur et animae angorem vel poenas in virtute sectanda manifestent. Ceterum, saepe aliquod verbum sufficit ut illae quietem denuo inveniant et spiritualem fervorem sequantur.

**132.** — 3. **Motus divinus.**

Cum *ars artium sit regimen animarum,* lumine superno et speciali Dei auxilio opus est, ut iam dictum est. Quapropter, imprudentiae est absque Providentiae Dei delegatione, praeter delegationem ab Ordinario (et a Superioribus pro religiosis), animae cuiusdam directionem proprio motu suscipere. « Sacerdos, ait S. Thomas, operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei. Unde si quis, *praeter motum illum divinum,* uti sua potestate praesumeret, non consequeretur et in culpam incurreret » (P. III, q. LXIV, a. 8).

Egregius magister animarum Olier absolute necessarium esse dicebat cuivis Confessario vel Directori, ad animas sancte dirigendas et seipsum in recta via servandum in tam periculoso ministerio, ut a seipso se ei non ingerat, etiamsi consensu superiorum; illosque ad munus illud sibi conferendum non inducat, sed ordinem ac Dei voluntatem per eos sponte manifestandam expectet.

Nec minus praestat ut nihil agat Confessarius ad animas, praesertim si iam ipsae Directorem vel Confessarium habeant, ne indirecte quidem, ad se adtrahendas. Alias in idem periculum incideret, respectu animarum huiusmodi, quod incurrunt qui vocatione vel capacitate ad aliquod officium, quod

suscipiunt, carent. Regimen animarum, aiebat modo laudatus Olier, est ars artium, scientiarum scientia, difficillimum omnium officiorum Ecclesiae, a sanctis viris timore semper inspectum. Quamobrem, temeritatis haud tolerandae esset illud ingredi vel aggredi priusquam Deus, providentiae suae modis, nobis committeret. Ceterum, ministerium est hoc quod explere non possumus absque Dei gratia speciali, quam dare non tenetur iis quos non vocat ad illud in casibus particularibus vel ad illud simpliciter, sicut dominus non tenetur servo auxiliari in iis quae ille contra mentem ac ordinem suum gerit. Parvus directionis spiritualis fructus, aiebat, ex hac procedit defectione, de qua stricte in Dei iudicio ratio est reddenda. Cum non receperimus munus animas illas ducendi in viis eius, saepe contingit ut ipsae misere pereant in manibus nostris vel languescant miserabilius. Hinc etiam ruina haud paucorum Confessariorum, qui etsi magnis talentis ditati, in hoc sacrum ministerium a seipsis ingressi sunt quin iussum Magistri divini expectarent (Cf. *Esprit*, p. 211).

Imo, etiam cum a Deo ad regendas animas in via virtutis vocemur et a nobis ipsis in sacrum ministerium introgressi non simus, oportet ut caveamus ne alias prae aliis praeferamus, sed in perfecta indifferentia Domino nostro nosmetipsos offerentes, oremus ut non permittat ad nos venire alias animas praeter illas quas Ipse profectum facturas, in spiritu, praevidet per nostrum ministerium. Si timendum est circa directionem animarum, in generale, non susceptam viis consuetis, aeque timere debet Confessarius ad suum confessionale adtrahere animam quam Deus non misit ad eum, praesertim si privilegiis ditata sit.

Saepe desiderium dirigendi animas quamplures,

non est ex Deo, sed ex spiritu proprio, ex illo quod S. Alphonsus vocat *genium*.

**133. — 4. Austeritas moderata.**

Benigne ac paterne poenitentem excipiendo, Confessarius quamplurimas vitat molestias et haud parvam culpabilitatem circa confessionis integritatem ex parte poenitentis. Nam rubor solet saepe, imo saepissime, integritatem impedire; qua de causa S. Thomas monet: « Ne subtrahatur aliquid de his quae manifestanda sunt, sit confessarius dulcis, affabilis, suavis atque benignus, ut confitentes alliciat » (In 4 sent., d. XVII, q. III, a. 4). Ita se gerens, poterit aeque et bene gerere personam iudicis et medici ut monet Codex I. Can.: « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat » (can. 888, § 1).

Recordetur Confessarius Iesum non venisse animas perdere, sed salvare; et ad salvandum non gladio aut ira, sed benignitate et vita sua usus est. Vincula sua, vincula charitatis, funiculi Adam, ut onus suum leve, iugum suum suave sit. Si velit Confessarius allicere animas, Iesu illas devincere, ostendat benignitatem, expandat charitatem. Fortis est ut mors dilectio: omnia vincit, rudiores domat. Videant oves ipsum ex puro salutis earum desiderio, ex animo materno, omnia erga ipsas agere, et illi ultro se tradent. Sciat haec sentire in se et dicere sincero ex corde cum D. Paulo: *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi!* (Phil., I, 8). *Os nostrum patet ad vos; cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus*

*vestris; tamquam filiis dico: dilatamini et vos. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis! Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?*

Meminerit Confessarius, illos vere doctores esse, qui, cum per rigorem disciplinae sint patres, per pietatem matres esse noverint. Sit ergo ovium Domini benigna mater, non simulatione oris, sed cordis sinceritate, sed operum exhibitione. Audiat in corde suo Iesum velut loquentem: Esto fili, pastor suavis et mitis, ut non vituperetur ministerium tuum, esto mansuetus ad omnes. Aequo corde et animo, nobilem et ignobilem, divitem et pauperem amanter suscipe; consilium et auxilium praebe; importunos, non severius, sed benigne tracta: ego venientes ad me non repuli, sed clementer excepi, et beneficiis cumulavi, parvulos admisi, turbas importune irruentes domum, afflictos et pauperes consolatus sum: aegros visitavi et sanavi: proditoris osculum non recusavi. Disce a me habere viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Ne quemquam tristius quam opus est aspicias, ne ullum verbum durius emittas: vince in bono malum.

**134.** — 5. **Non austeritas sed gravitas.**

Numquam satis Confessariis commendari potest ea prudens sese gerendi ratio quae expedit erga mulieres ut cautelis quam maximis procedantur. Attamen illud monitum quod dari solet a quibusdam, Confessarium, videlicet, erga eas semper severum, austerum ac rudem esse debere, male exponitur et male intelligitur, adeo ut haud conforme prudentiae evadat. Inter mulieres, enim, sunt quamplurimae ad reticenda peccata maxime proclives; quapropter non asperitate verborum, sed benignitate charitatis ipsae animo sublevandae sunt. En mo-

nitum iustum S. Bernardi: « Memento quod sapiens monet: " Filiae tibi sunt? Noli faciem tuam hilarem eis ostendere „. Nec austeritatem tamen suadeo tibi, sed gravitatem: illa infirmiores fugat, haec reprimit leviores » (*De Consid.*, lib. IV, c. VI) - (1). Qui sollicita mente Evangelium perlegit facile observare potest Salvatorem semper erga mulieres maxima usum esse circumspectione, sed numquam a se repulisse. Semper ea cautela sese gessit ut farisaei, inimici eius acerrimi, cum toties et in tantis eum accusarent saepe, numquam cogitaverunt se posse praetextum aliquod hac de re invenire.

Sequantur Confessarii quae suggerit S. Gregorius: « Tales sese exhibeant, quibus subiecti occulta quoque sua prodere non erubescant; ut cum tentationum fructus parvuli tolerant ad pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant; et hoc quod se inquinari pulsantis culpae sordibus praevident, exhortationis eius solatio, ac lacrymis orationis lavent » (*Pastor.*, p. II, c. v).

(1) De Beato Cafasso legitur: *La modestia inculcata da lui non escludeva tuttavia « quel sembiante piacevole e candido », quell'ilarità che secondo il suo insegnamento doveva sempre irradiare da ogni fronte sacerdotale. Non credete, egli diceva, che per essere modesti convenga essere tristi e malinconici, chè anzi un sembiante sereno e tranquillo è effetto di questa virtù. Ricordo, attesta un antico Convittore, ch'ei diceva di camminare con gravità sì, ma non mai con austerità, e portando a preferenza un contegno ed aria di bontà e giovialità per ispirare confidenza negli altri.*

*Ciò detto il servo di Dio entrava in un argomento, ch'ei diceva « quanto mai doloroso a trattare », le relazioni cioè dei sacerdoti con le persone d'altro sesso. Donna e sacerdote, egli diceva al riguardo, hanno da essere distanti l'una dall'altro come i due poli, se non tanto di persona almeno di cuore e di volontà. Non si stia ad addurre pretesti di parentela, convenienze, urbanità, buoni fini, sante istruzioni, vita intemerata, condotta irreprensibile, nemmen l'ombra di pericolo; nessuno le vuol sentire queste scuse. Sacre Carte, Santi Padri, Dottori, tutti gridano, minacciano, piangono sulla rovina inevitabile del sacerdote che non si guarda e non fanno che dire: « Guai, guai al Sacerdote che si fida, che non fugge: egli è perduto »* (*l. c.*, p. 153).

**135.** — 6. **Casus specialis.**

Austeritas necessaria est cum Confessarius animadvertit aut mulierem incipere aliquod animi implicatum habere, aut seipsum nimio zelo inconsiderato erga eam animari.

Etsi sint quam plurimae rationes ad credendum omnia recto calle pergere, tamen secure illuc non est quiescendum nam *frigidus latet anguis in herba.* Credendum est ergo potius tot infelicibus eventibus quos haud pauci passi sunt et sanctorum auctoritati qui semper reprehenderunt et damnaverunt has teneritudines ut perniciosissimas. En quomodo loquitur S. Hieronymus: «Nonnumquam evenit ut primum a nobis in aliquam foeminam sit sancta dilectio; et cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim sanitas charitatis languore pallescat et infirmare incipiat et ad extremam mortem ferat. Caveant ergo tam iuvenes quam senes, ne per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quae illos pertrahat in gehennam» (*In Ep. ad Tit.*, c. II).

Nec minus severe loquitur S. Thomas: «Talis affectio multos spirituales decipit: spiritualis devotio paulatim convertitur in carnalem affectum: non tamen hoc statim perpetiuntur; quia sagittarius a principio non mittit sagittas venenatas, sed solum aliqualiter vulnerantes et amorem augmentantes. Fratres carissimi, sciat unusquisque quod venenosa affectio, sub colore spiritus acquisita, summe impedit puritatem confessionis. Propter quod sequamur consilium beati Hieronymi dicentis: Cave; quia si mulier potuit vincere eum qui iam erat in paradiso, non mirum si eos impediat qui nondum ad paradisum pervenerunt. Item beatus Augustinus dicit: Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus est habendus. Nec tamen quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendae. Quo enim sanctiores fuerint, eo

magis alliciunt et sub praetextu blandi sermonis immiscet se viscum impiissimae libidinis: crede mihi, expertus sum, in Christo loquor, non mentior; cedros Libani, id est, contemplationis altissimae homines, sub hac specie corruisse reperi » (*Opusc.* 64, c. XX).

Si sancti timuerunt, magis timere debet qui ad sanctitatem adhuc non pervenit; nam, ut ait S. Gregorius, incautae praesumptionis est quod fortis pavet, minus validum non timere (*Lib.* 7 *Reg. ep.* 29).

**136.** — 7. **« Charitas patiens est ».**

Ut Confessarius officio suo iam ab initio confessionis bene fungi possit, poenitentis ruditatem, ignorantiam, duritiem cervicis, aliosque defectus tolerare debet adeo ut, iuxta D. Bernardi consilium, pastorum munus animabus non tantum fortibus sed et debilibus prosit (1). Ad imitationem illorum

(1) *Qualora venga uno a confessarsi,* aiebat ad alumnos B. Cafasso, *senza intenzioni di far davvero, il Confessore non lo rigetti per questo, ma lo prenda alle buone e guardi di cavargli i peccati quasi senza che se ne accorga con dirgli che se presentemente non ha voglia di confessarsi, questo poi è già un tanto di fatto per un'altra volta, quando ne avrà voglia. E, se la cosa riesce, conchiudeva, terminata la narrazione si eccitano al pentimento e tutto sarà terminato. Parecchie volte, conferma con la sua grande autorità monsignor vescovo di Claudiopoli, sentii da lui l'insegnamento di stringere con interrogazioni la persona come se avesse tutta la volontà di confessarsi, ancorchè questa presentatasi al confessionale dichiarasse essere venuta solo per avere l'attestato di Confessione affin di contrarre matrimonio o di soddisfare alle esigenze del padrone e simili. Egli aveva prima per costoro una buona parola allo scopo di farsi promettere che sarebbero poi tornati presto per veramente confessarsi. Ed appena risposto dall'altro che sì, come naturalmente succede, subito passava con pacatezza alle interrogazioni. E, se la cosa riusciva, giunto a quel punto, in cui la Confessione gli sembrava come finita... integrata la Confessione, se occorreva, lo disponeva al pentimento e mandava in pace con Dio... Quel buon atto, diceva il Beato, con cui si lasciano tirare a dichiarare i loro peccati, concilia loro la grazia del Signore* (*Vita,* aut. cit., Vol. I, p. 310).

qui sanctitate, scientia et prudentia, erga sacrum Poenitentiae ministerium aestimationem in populo auxerunt, huic ministerio toto corde et animo incumbat, nihil quod inferius sit, illi praeferens, totumque tempus ac omnem facilitatem poenitentibus praebens secundum quod prudentia et rerum adiuncta permiserint. De quodam sancto confessario, etsi variis multisque irretitus laboribus, ut de Sancto Francisco Salesio, legitur ipsum semper promptum fuisse ad confessiones audiendas non tantum in diebus praenotatis, sed quocumque die ac quavis hora poenitentes eum adire vellent; imo, omne negotium quamvis sanctum relinquebat vel differebat, ut recitationem divini Officii, Missae celebrationem etsi iam sacris vestibus indutus, mensam etiam convitatis circumdatam, quamvis de hoc sui quererentur.

Cum Confessarius animadvertit poenitentem rubore vel timore confessionem aegre vel male peragere, ad imitationem Salesii studeat animum firmare verbis aptis ad fiduciam communicandam, adeo ut videat in Confessario patrem benevolum et misericordem agnoscat (1). Omnibus nota est eius magna

(1) En quomodo S. Ioanna Franc. de Chantal in *depositione* in causa Beatif. et Canon. S. Franc. Salesii, hunc eximium Confessarium pingit: *Dico che il nostro Beato Fondatore fu affatto incomparabile nella carità esercitata nel confessionale e nello zelo che vi adoperava... Allorchè si accorgeva che qualcuno provava difficoltà a farsi intendere, o per rossore o per timore, con tutti i mezzi cercava di aprirgli il cuore e aumentarne la confidenza: Non sono io il vostro padre? — E lo ripeteva finchè non gli fosse risposto un sì. Ed allora soggiungeva: ma non volete dunque dirmi tutto? Dio aspetta che apriate il vostro cuore; e sta con le braccia aperte per accogliervi. Non vedete che qua io tengo il luogo di Dio: come dunque avete vergogna di me? Del resto io son peccatore come voi, e se anche aveste fatto tutti i peccati del mondo, non me ne stupirei punto nè poco.*

*Aiutava anzi con una dolcezza senza pari a spiegare i peccati, allorchè scorgeva che per ignoranza o per rossore, si provava pena a spie-*

charitas erga animas et notum gaudium quod experiebatur cum propter eas sese impenderet usque ad defatigationem, quin desisteret priusquam illis pacem, tranquillitatem vel Dei gratiam restitueret. Saepe etiam coram poenitentibus, ante eum genu flexis, deflebat eorum peccata et adeo cor eius confundebatur cum corde eorum ut nemo aliquid eum celare ausus esset.

Pro quibusdam poenitentibus qui fatentur se non audere peccatum aliquod confiteri, B. Ioseph Cafasso docet non expedire generatim ad eos alliciendos et sublevandos animo ut eis rationes de communi fragilitate exponantur, in quibus et ipsi sacerdotes irretiuntur, ne aestimatio Sacerdotii minuatur. Quandoque poenitentem huiusmodi monebat bonum illi esse alium adire Confessarium cui facilius peccata confiteretur.

De S. Philippo Nerio legimus quod soleret summo mane ad locum confessionibus audiendis destinatum se sistere usque ad celebrationem Missae, nempe circiter meridiem, expectans prope confessionale si forte non adessent poenitentes, in oratione. Hunc sese gerendi modum non immutavit quidem ob morbos advenientes nisi medici iussu; atque eum compatientibus ob defatigationem in sacro ministerio obeundo lepide respondere solitus erat se potius gaudere quam pati in huiusmodi labore. Omnem

*garli... E con tale zelo ch'egli aveva di purificare le anime con delle confessioni chiare, strappò certe male passioni, che altri avrebbe potuto lasciare tenendo altro metodo... Dio solo può conoscere l'infinito numero di anime, che furono guadagnate a Dio per mezzo del suo beato servo. Quando venivasi a sapere che passava per la città o che andava alla campagna, in casa di qualche amico, dappertutto bisognava si prestasse ad ascoltare delle confessioni generali; e, com'egli soleva dire, a lui riservavasi il fondo delle coscienze e ciò che ad altri non si sarebbe detto se non con grande difficoltà. E tutto questo è vero, notorio e pubblico* (*Opere di S. Giov. Chantal*, t. III, p. 204-208).

operam contulit ut filii sui spirituales fervorem spiritu conceptum nec amitterent nec minuerent, sub praetextu quod eum adire non possent.

**137.** — 8. **Conscientiae libertas.**

Proclivis esse non debet Confessarius ad assumendam sibi directionem illorum qui iam Confessarium suum habitualiter adeunt et volubilitate magis quam necessitate alium arcessunt. Attamen, si videat proprios poenitentes ad alios Confessarios ire, caveat ne signo, verbo, vocis tono, modo sese gerendi grave vel male id se ferre significet neve ab eis motivum vel causam postulet aut investiget. Alioquin confidentiam penitus apud eos amitteret cum se viderent libertate coarctari; sed, contra, si Confessarius laetum se ostendit de huius libertatis usu, magis ei fidunt et fiducialius animam ei committunt. Hoc autem ipsum non dispensat ab obligatione efficiendi prudentia et discretione ut ipsi non indigeant umquam alios confessarios adire (1).

Hac de re praestat haec S. Thomae afferre: « Peccaret sacerdos si non esset facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis laqueum

(1) Tamen haec animadvertenda: « Caveat Confessarius, ait S. Alphonsus, ne his suis poenitentibus spiritualibus, praesertim foeminis, prohibeat accedere ad alium confessarium; et cum adverat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; imo ipsis imponat ut aliquando apud alios confiteantur; praeterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat ne si ad alium accedat, qui eius conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter Confessarius, ne sollicitum se ostendat, se velle alicuius animae directionem suscipere » (*Homo Apost.*, tr. ult., n. 43).

iniiciunt et per consequens sibi ipsis » (In IV Sent., D. XVII, q. III, a. 3; q. v, Sol. 4 ad 6).

P. Mach, in opere citato: *Thesaurum sacerdotis* (P. II), narrat factum quod satis demonstrat quousque decipi potest Confessarius a poenitente qui dicit in eo totam fiduciam habere: « Pater, dicebat mihi, moniales hae nonnisi in me fiduciam habent et alteri confiteri non audent. Haec mihi dicebat quidam monialium Confessarius iam vita functus; et quae totam in eo fiduciam reposuerat (ut aiebat), acu cruorem gingivulis eliciens et quasi imo pectore extractum ore expuens, sese ieiuniis etiam ecclesiasticis eximebat; quin imo, sacram Hostiam ore educens, quis scit quot et quam nefanda commiserit! Et « *quinquies* » in hebdomada, coelesti se Pane reficiens, omnia heu! per tredecim annos *bono* illi confessario reticuerat ». Alia autem similia exstant plura. Sunt qui malitia et sunt qui rubore peccata reticent Confessario ordinario.

Hinc est cur Ecclesia libertatem conscientiae magis ac magis promovet. Nec tamen credat Confessarius libertatem tuendam esse tantum in monasteriis. Si zelus est vobis pro salute animarum vestrae paroeciae, aiebat P. Lejeune ad neo-parochos, interdum confessarios extraordinarios ad illas adducite sicut praescribitur pro monialibus; nam constat quod multi qui peccatum aliquod turpe commiserint, numquam sacerdotibus paroeciae confitentur. Iam autem S. Alphonsus scribebat: « Cum in regione notabiles audiuntur perturbationes, quibus parochus consulere nequit, *tenetur* ille conari ut *Missio* advocetur, nisi aliud reperiatur expediens, quo illis prospiciatur. Et semper expediens erit interdiu confessarios externos arcessere pro animabus erubescentibus, praesertim si in suum oppidum non solet concionator quadragesimalis adve-

nire. Ille autem parochus, qui Missiones respuit, non mediocrem suae probitatis suspicionem ingerit » (*Monita ad Parochos*, IV).

**138.** — 9. **Libertas et prudentia.**

Dum autem Confessarius libertatem conscientiae tueri studet, videat quomodo prudenter se gerere possit in casibus peculiaribus ex quibus cognoscit Confessarium alium advenientis nunc ad se poenitentis, ob imprudentiam vel scientiae aut zeli defectum errasse. Exceptis erroribus vere gravibus, Confessarius cui nunc poenitens confitetur, caveat a reprehensione in alterum, memor quod et ipse illius aestimationem minuit: Honorem esse non deputo, ait S. Gregorius, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco (Lib. 7, *Regest., epist.* 30).

Saepe autem contingit ut Confessarius male cogitationem suam verbis exponat, maleque haec intellegatur. Unde, regula prudentiae, charitatis et dignitatis est ut in bonam partem totum accipiatur et caveatur ne Confessario detrahatur. Etiamsi enim error evidens sit, corrigi potest quin cuius sit cognoscatur. Neque tamen opus est ut errans vel male se gerens Confessarius laudetur contra conscientiam, nam de illo tacere sufficit (nisi tamen agatur de sollicitatione), cum de poenitentis animo non de eius Confessario iudicium ferendum sit.

In eo quod est obiectum controversiae oportet maiori prudentia procedere antequam opinio aliena damnetur, nisi agatur de vitando scandali effectu. Quandoque vero evenit ut Confessarii errori occurri non possit quin indirecte reprehensione dignus censeatur; sed etiam tunc prudentiae charitas socianda est. Ita v. g. instruere oportet poenitentem aestimantem se non obbligari ad vitandam occasionem,

quia Confessarius suus, in quo confidit, ad hoc numquam eum adstrinxerit.

**139.** — 10. **Inconstantiae non faveat.**

*a*) *Causae mutationis.* Etsi autem Confessarius omnes novos advenientes poenitentes benigne excipere et quandoque uni vel alteri imponere vel suggerere debeat ut Confessarium sibi eligat, tamen caveat ne illico et festinanter procedat. Prudentia enim magna opus est ne inconstantiae faveatur vel tentationi esca subministretur. « Directionem, ait S. Alphonsus, non suscipiat (confessarius), alicuius qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docent S. Philippus Nerius, S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromaeus, et alii; ex hoc enim saepe dissipationes, perturbationes et quandoque etiam scandala oriuntur. Advertatque, ad mutandum confessarium non satis esse, quod poenitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere; ut enim ait S. Theresia, saepe haec est daemonis tentatio. Unde S. Franciscus Salesius sic docet: " Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra, neque expedit in hoc esse invariabile, si legitimae causae mutationis supervenient „. Ceterum, dicit S. Theresia iustam esse posse causam mutandi confessarium defectum bonitatis, ita inquiens: " Si confessarius proclivis alicui vanitati apparet, mutetur; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet „. Praeterea, poterit esse iusta causa alium arcessendi confessarium defectus doctrinae; de hoc tamen certam habere oportet praesumptionem. De caetero, ait S. Theresia, quod de dubiis, bene potest poenitens alios doctos directores consulere, imo aliquando hoc omnino expedit » (*Homo Apost.*, tract. ult.).

*b*) *Constantia.* Neque credas tamen directionem spiritualem assidue ab eodem semper Confessario vel directore quaeri non oportere vel parvipendi posse. Si enim, iuxta communem sanctorum opinionem, directio spiritualis non est « imperativum cathegoricum » quoddam, minime vero est consultus quidam platonicus. Libera electio directoris prudentis, sancti et docti, iuxta regulas ordinarias facta, illi ius proprium sui officii confert. Anima poenitentis manet utique semper arbitra hoc sensu quod semper libera est alium eligere et ipsa est quae statuit illi obediendi, sed director arbiter et ipse est quatenus obedientiam exigere potest et casus sibi subiectos, etiamsi vitae tantum spiritualis, auctoritative solvere. Postquam Confessarii seu directoris electionem quis fecerit prudenter et mature, discutere illius actus aut monita aut verba, vel credere quod modum eius sese gerendi erga poenitentem sub istius iurisdictione et iudicio constituatur, nefas admodum est.

*c*) *Libertas praeferenda.* « Expedit, ait S. Franciscus Salesius, patrem spiritualem habere, cuius auctoritas praeferenda semper ed in omnibus et per omnia voluntati propriae » (*Lettre à la B. de Chantal,* 24 *juin* 1604).

Nihilominus apprime notandum quod iuxta huius experti vitae spiritualis magistri sententiam, libertas in eo quod est consilii, praeferenda est in spiritu obedientiae: « Si vous aimez bien fort l'obéis- « sance et soumission, je veux que s'il vous vient « une occasion juste ou charitable de laisser vos « exercices, ce vous soit une espèce d'obéissance, « et que ce manquement soit supplé par l'amour » (Ib., 14 oct. 1604). Quantumcumque autem indulgens sit Salesius circa consiliorum suorum executionem, non tamen poenitentis discussioni ea tra-

dit (1). Alioquin incessanter confessarium alium quaerere deberent poenitentes ex quo dubium vel repugnantiam aliquam in eum animo conciperent. Ceterum sufficit vinculum obedientiae statuere inter directorem et directum, quin necesse sit ut pro omnibus vitae spiritualis circumstantiis, iudicium eius exquiratur vel expectetur. Ut arbiter, generatim Confessarius non subintrat nisi in rem notabilem, ex qua spiritualis vita bene vel male procedere possit. Extra obedientiae limites restat magnum libertatis exercitium, adeo ut numquam poenitens, Directore invento, se rationem Deo amplius non redditurum credere possit (2).

(1) Cum haec sit fere omnium sanctorum sententia, ni totus fallor, cum grano salis accipienda sunt haec Can. Beaudenom: *La direction n'exige pas nécessairement l'obéissance. Elle est un conseil éclairé dont on doit faire cas selon la prudence, par conséquent selon la valeur des conseils demandés et de celui qui les donne. On peut s'en écarter si, de bonne foi, on ne le trouve pas très justes ou très applicables. Ce serait bien reposant de n'avoir pas la responsabilité de cet examen, mais c'est seulement « par exception » et dans une mesure toujours limitée qu'on doit s'en rapporter aveuglement à l'obéissance. Une obéissance habituelle de jugement tendrait plutôt à nous diminuer...* (quid ergo dicendum de obedientia religiosa?). *A mon avis, la direction n'est pas l'impératif catégorique, s'imposant par un droit qui lui serait propre, mais pouvant néanmoins s'imposer comme une lumière* (valde parum equidem!). *L'âme reste l'arbitre* (valde periculosum vel saltem otiosum esset directorem adire). *Si elle croit devoir se conformer au conseil reçu, parce qu'il fixe les incertitudes de son esprit,* (tunc ipse poenitens esset iudex) *elle l'accueille alors comme venant de Dieu* (hoc autem illuminismo viam pandit), *en lui transmettant sa pensée* (Lettres de direction, p. 244).

(2) *M. Henri Bremond nous a finement analysé naguère les rapports de M.me de Maintenon avec ses directeurs: « Ainsi disposée, écrit-il, on s'explique sans peine que ses directeurs aient tenu tant de place dans sa vie. Choisir c'est difficile, le prêtre, c'est-à-dire Dieu choisira pour elle..... Remarquons néanmoins avec quel air de n'y pas toucher, elle fausse imperceptiblement pour sa commodité personnelle les idées chrétiennes sur la direction. Non, le directeur n'a pas pour mission de prendre sur lui toutes les responsabilités des personnes qu'il conduit. S'il nous sauve d'un certain nombre d'embarras, du moins nous*

**140.** — 11. **Casus particularis.**

Quando, omnibus circumstantiis inspectis, necessarium admodum sit ut poenitens Confessarium suum, quem adire solebat, amplius non arcessat, alter Confessarius si non potest poenitentem ad hoc inducere absque aliquo verbo reprehensionis in illum sacerdotem, prudens sit ut quod dicendum non est omittat et quod non est omittendum male dicat. Licet enim, ait S. Basilius, aliquid mali de aliquo dicere quando necessitas poscit ut alterius periculo consulatur (*Reg., brev., interrog.* 25). Si verba per quae fama alterius diminuitur, ait S. Thomas, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, *debitis circumstantiis observatis*, non est peccatum, nec potest dici detractio (II-II, q. LXXIII, a. 2).

Hoc praecipue dicendum si Confessarius relinquendus, de iis esset qui, ut ait Greg. XV, poenitentiae sacramento abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat et ex coelesti medico infernalis veneficus; ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur (Bulla *Universi*).

Notandum quod casus hic non respicit tantum sollicitationem, sed omne quod poenitentem a Deo avertat et ad amorem ipsius Confessarii humano sensu et modo alliciat. Neque hos casus tantum respicere oportet ut, cum prudentia id suggesserit, Confessarium, novus hic noster poenitens, derelinquere debeat. Caveat tamen Confessarius qui hoc monitum vel consilium vel iussum, pro rerum adiunctis, dandum decernat, ne ad se venire novum poenitentem invitet, sed generatim ut alium Confessarium sibi eligat eum hortetur vel illi pro casu conscientiae iubeat.

*laisse-t-il, et toute vive notre conscience...* ». Cfr. *Le Correspondant*, 25 avril 1919 (Francis Vincent, *S. François de Sales direct. d'âmes*, p. 420).

**141.** — 12. **Falsi poenitentes.**

Sciant neo-confessarii haud raro varios urbis, praesertim magnae, confessionales in ecclesiis *mulierculas oneratas peccatis*, quae haud confiteri cogitant nec desiderant, quorum nec eas poenitet, saepe inspicere ac frequentare, confessionem simulantes, ex imo corde gemere se ostendentes, imo lacrimas artificiose effundere se videri cupientes ut inexpertum aut facilis cordis confessarium ad finem intentum alliciant. Interdum autem quaedam confessionem quamdam illico construunt ut in fine eleemosynam maiorem obtinere a patre pietate pleno possint, quin cogitent de sacrilegio vel huius periculo saltem, vitando. Etiamsi autem bene confessae sint peccata, dubitare potest de confessionis peractae bonitate et liceitate Confessarius si cognoverit, saltem circa finem, motivum principalem fuisse pecuniam speratam.

Tamquam regulam generalem, hanc sequatur, praesertim iunior Confessarius, scilicet nemini pecuniam dare occasione vel praetextu confessionis, iisque eam postulantibus clare et prompte respondere non esse confundendas res sacras nempe confessionem cum pecunia, confessarium cum eleemosynario (1).

(1) In vita B. Cafasso, descripta ab Aloysio di Robilant, vol. I, pag. 305 legitur: *Con i penitenti caparbi concorrevano a mettere alla prova la pazienza del Servo di Dio gl'indiscreti, quelli cioè che, nel confessarsi lo richiedevano di qualche elemosina, se pur non si presentavano al confessionale esclusivamente per quello. Su questo punto egli era inflessibile. « Chi vuol comportarsi bene nel ministero della Confessione, egli diceva ai suoi alunni, non dia mai nemmeno un soldo ai penitenti, e per nessuna ragione non si lasci impietosire; risponda che siamo in confessionale per tutt'altri motivi ». « Ricordo, conferma un antico Convittore, come il Servo di Dio ci soleva dire in Conferenze che appena ci accorgevamo che qualcuno venisse a noi per denaro, dicessimo loro francamente: Siete venuto per confessarvi o per*

Sunt et aliae mulieres, ut referunt experti, quae nonnisi ob naturalem inclinationem quemdam Con-

*limosine? Se per confessarvi, parliamo di peccati e di cose spirituali; se per limosine, qui non è il luogo..... E se mai rispondesse che i preti son soliti a soccorrere con preghiere, si riprenda col dire una preghiera ben fatta essere un buon soccorso ». « Una donna, si confessò da me nella chiesa di san Francesco mentr'ero Convittore, attesta un egregio canonico; e dopo le miserie spirituali me ne espose delle materiali non senza qualche velleità di suicidio, domandandomi una limosina. Ed io commosso a quel racconto sentii rincrescimento di non poterla soccorrere, ma le promisi di parlarne a don Cafasso per ottenere da lui qualche cosa in suo favore. E don Cafasso mi disse: Posto che ha già fatto sperare il soccorso io lo concedo (e mi diede uno scudo); ma si ricordi che sarà l'ultima volta che Ella promette limosine a quelli che si confessano, e che queste cinque lire sono gettate nel Po. Qualche tempo dopo volle infatti la Provvidenza che io venissi a scoprire aver pienamente don Cafasso indovinato, giacchè, essendo stato nominato vicecurato della Metropolitana dopo pochi giorni, senza sapere ch'io era lo stesso ch'ella aveva ingannato in san Francesco, la medesima persona si presentò al mio nuovo confessionale a ripetere l'identica storia ».*

*« Ultimi, sebbene non certo i meno molesti tra i figli spirituali del Servo di Dio, dobbiamo, come per tutti i grandi confessori, registrare i penitenti pettegoli, quelli cioè, che nel proprio direttore, col sacerdote considerano l'uomo. Se i loro sentimenti si limitavano ad una semplice simpatia, ben spiegabile verso chi tanto loro faceva del bene, don Cafasso diceva in Conferenza esser queste fantasie da non doversene tener conto. Epperò, se qualcuno l'avesse lasciata trapelare, proibiva di parlarne anche in una Confessione generale, o tutt'al più permetteva che uno se ne accusasse come di pensieri oziosi in genere. Ed in tali casi, diceva ai suoi preti, avvertasi di parlare poco ma franco, passando tosto ad altro. E, se la persona non è contenta, si cerchi un altro Confessore. Qualora poi un penitente ci chiedesse in Confessione notizie della nostra salute, diceva ancora il Servo di Dio, o è persona di tutta conoscenza e di provata virtù, ed allora si può rispondere. O è di virtù sospetta, ed allora si dissimuli. O è viziosa, e allora si risponda che, quando viene a confessarsi pensi per lei.*

*« Se poi dai complimenti passano agli elogi, facendoci per esempio proteste di non lasciarci mai, perchè così buoni confessori o simili, continuava il Servo di Dio: Oh che buon confessore sono io! — bisogna rispondere — che tanto tempo lavoro intorno a lei ed ottengo così pochi frutti. Finalmente, se dal complimento ed elogio procedevano ancora di un passo, allora egli non esitava a far chiudere immediatamente lo sportello, dicendo tutt'al più all'indiscreto: Vada ed impari a conoscere cos'è un sacerdote ».*

fessarium eligunt et assidue adeunt. Sunt et aliae quae sub praetextu in via perfectionis proficiendi confessionale cum locutorio identificare volunt ibique omnia quae vix cuidam plebeio in platea dici possunt exponere non dubitarent si Confessarius permitteret. Sunt et aliae quae, quomodo tempus terant nesciunt, unde et Confessarium adeunt sperantes ab eo longas praedicationes audire secundum, nota, suum ipsarum genium; unde querentur si brevi Confessarius eas dimittet ut debet et fas est, nec recedent nisi ut prope sistant ad videndum utrum pater spiritualis acceptionem personarum faciat alias prae aliis per longius tempus eas ad confessionale retinentes; nam opinantur ipsum eas detinere illisque plura et mirabilia narrare aut eas benevolentia aliis praeferre. Quot miseriae humanae, id est, muliebres, sunt sub sole, dicebat quidam vir Dei de his bene expertus, qui etiam bene noverat unde lites, unde zelotypiae sensus inter viles femellas, unde in Confessarios calumniae et in sacrum ministerium blasphemiae ortum habeant.

Hic autem non omittenda monitio, praesertim iuniori confessario, ut caveat a mulieribus hysteria laborantibus et mente revolvat quae doctus medicus Capllmann ait, cuius verba summatim referimus: Hysteria, non immerito Proteus inter morbos dictus, est malum quod singulari quadam nervorum sensibilium irritabilitate totam hominis naturam commutat, vim percipiendi perturbat, voluntatem debilitat, ac denique iudicium et actionem in omnibus rebus ita impedit, ut libido et fortuitae animi affectiones summum imperium exerceant, non raro, *simulato religionis fervore*, usque ad nymphomaniam.

Caveat clericus ne fallatur rebus nonnumquam valde miris, neve fraude decipiatur ab istis in-

firmis valde *callidis vereque pervicacibus ad ea quae sibi proposuerunt, assequenda.* Nec ad clericum ullatenus spectat cura hystericorum, etiam quando perversae eorum cogitationes ad fervorem religiosum referuntur; et ipse ad utilitatem suam persuasum habeat, non esse melius remedium ad finem faciendum his miris eventis, quam ea prorsus parvipendere.

## Articulus II.

## Patienter et discrete auscultare.

**142.** — 1. **Devotus foemineus sexus.**

*a*) *Patientia cum merito.* Quia ex necessitate, ait P. Caietanus Bergomiensis, auscultandae sunt etiam confessiones mulierum, nam pro omnibus institutum est Sacramentum, oportet huius necessitatis memores esse ad auscultandas et adiuvandas eas quantum postulat sola necessitas, pariterque recordari quod extra casum necessitatis omnis alia confidentia otiosa periculo non caret. Laudandum sane quod in variis circumstantiis patienter audiantur ut bene earum bono consulatur; sed semper ita agendum ut patientiae meritum apud Deum reportari possit, hoc prae oculis mentis habentes, nempe meritum patientiae amitti cum ex genio, ut aiunt, ea exerceri incipit. Attamen haec B. Iosephi Cafasso perpendere expedit. Grave est poenitentibus, ait ipse, Confessarium videre festinantem vel toedio affectum cum eos audit, adeo ut ipsis nec respirationis tempus concedat ne confessio protrahatur; quapropter evenit ut discipuli, id est, poenitentes, fiant magistri, imo ut Confessarium ad patientiam hortentur et reducant, illique suggerant

cogitare quam magnum sit praemium in caelo quod ei Deus praeparat.

Quamquam, prosequitur B. Cafasso, simplicitas sit qualitas necessaria bonae confessionis, Confessarius tamen non debet eam procurare cum poenitentis damno vel saltem cum periculo eum a sacramenti frequentatione arcendi.

*b) Erga loquaces.* Interroganti Confessario cuidam quomodo se gereret erga poenitentem loquacem qui quod haud necesse sit dicat, imo quaedam confessioni impertinentia addat, ipse respondere non dubitabat: Si agatur de sermone contra modestiam vel charitatem erga alterum, praesertim si iste sit notus Confessario, tolerari non debet; si vero verba tantum superflua dicat, expedit patienter sustinere ne amittamus confidentiam eius qui nos adit.

Sunt de poenitentibus quidam ignorantes et rudes valde, dicebat ipse ad suos alumnos, alii autem qui doctiores Confessario se iactant, alii vero timore, inquietudine, angoribus animi agitati quin tamen quietari cupiant, alii duritie ac obstinatione singulares. Est qui contradicat; est qui eadem semper repetat; est qui vix loquatur adeo ut aegre Confessarius ab eo aliquid audiat; est qui furore illico excandescat; est et qui languidus infinitas particulares circumstantias enarrare velit. Charitas autem omnia sustinet. Ipse B. Cafasso cum iisdem varie sese gerebat: tacebat, loquebatur, dissimulabat, respondebat, promptum vel tardum sese praebebat, fortis vel dulcis videbatur pro circumstantiis et poenitentis dispositionibus (1).

(1) *Non contento di prestarsi indifferentemente per qualsiasi persona che il richiedesse, il Servo di Dio, con la medesima carità e disposizione di animo, tutti ascoltava. Quante volte, egli diceva, una parola, un tratto meno caritatevole sfuggito ad un povero confessore nell'accogliere un penitente, può avere conseguenze funeste! Quindi in tale*

Communis experientia docet cum quibusdam mulierculis confessionale adeuntibus non esse parvum laborem et tempus quod insumere oporteat et admodum parvum et prorsus nullum fructum speran-

*circostanza, più che in qualsiasi altra, egli cercava nel suo cuore infiammato d'amore espressioni atte ad ispirare confidenza e tranquillare chi a lui ricorreva. « Coraggio, o caro, egli diceva ad uno; chè questa volta la finiremo col demonio. — Che bel momento! Con una parola poter comprare il Paradiso! affermava ad un altro. — Oh! se fosse venuto più presto! Ah! se verrete qualche volta, vedrete che giorni tranquilli, che vivere quieto! — Sì, coraggio, ripeto, per poco che facciate, il resto lo faccio io, il più lo metterà il Signore. Guardate; quanto vi è di meglio in cielo ed in terra tutto sarà per voi, solo che lasciate la colpa; la quiete, la pace, le benedizioni del Signore, la grazia sua in vita e finalmente una morte santa, il Paradiso ».*

*Queste espressioni venivano accompagnate da una giovialità e cortesia di forme di vario grado, secondochè si trattava di sacerdoti, di uomini o di donne. Con queste ultime, fedele alla massima che con tanta insistenza inculcava ai suoi Convittori, per non contravvenire ad un dovere maggiore si moderava nei termini e si asteneva assolutamente da ogni gentilezza di tratto, che riservava agli uomini, ai quali: « Venga, diceva, in qualunque tempo, in qualunque luogo, che l'ascolterò sempre con gran piacere ».*

*Coi sacerdoti queste dimostrazioni di cortesia e di contentezza aumentavano ancora. Nel trattare col Clero, attesta infatti un testimonio oculare, mostrava sempre tale un'ilarità che era una delizia il parlargli ed abboccarsi con lui. Quando io andava a confessarmi, conferma un suo penitente, benchè stanco ed occupatissimo egli mi riceveva sempre con santa ilarità in modo che m'ispirava gran confidenza* (*l. citato*, pag. 297-298).

Ad sacerdotes quod attinet benigne utique recipiat eos Confessarius sed caveat ne fortitudine careat. « In excipiendis sacerdotum confessionibus, ait S. Alphonsus, sit suavis atque urbanus; sed contra sit fortis in correctionibus debitis adhibendis, aut in deneganda absolutione, cum iudicii ratio sic exigit. Potissimum hac fortitudine agendum est cum sacerdotibus, qui in gravia peccata relapsi, quin se unquam emendaverint, ausi sunt tamen celebrare, aucupando absolutionem ab aliquo confessariorum qui hoc funguntur officio et laborant ut damnentur. Hi sacerdotes pravis habitibus detenti, palam solent in sacristia confiteri, ut absolutionem, quae eis deneganda esset, extorqueant sub praetextu scandali quod eveniret (quemadmodum illi exponunt) si a celebrando desistere deberent » (*Homo Apost.*, app. IV).

dum. Quapropter S. Antoninus reprehendit eos Confessarios « qui quotidie audiunt mulierculas et faciunt eis longas praedicationes; unde amittunt multum temporis, et scandalum communiter sequitur in ipsis et in populis » (P. III, tit. XVII, c. XIX).

Quibusdam poenitentibus expedit, cum necessaria ab eis dicta sint, ut eis dicatur, secundum S. Thomae doctrinam, confessionale nec locutorium esse nec locum in quo loqui ob animi passionem vel iram fas esse possit, sed tantum tribunal ad se accusandum, ad peccata deflenda et virtutem melius adipiscendam.

**143.** — 2. **Regula necessaria.**

Confessarius teneat pro regula quod ita loqui debet ut si verba sua postea publici iuris a poenitente facta forent, erubescere non deberet. Poenitentes certo retinent Confessarium loqui non posse de iis quae audivit in confessione, sed certus esse debet Confessarius poenitentes loqui magna cum facilitate, loquacitate ac imprudentia de omnibus quae in confessione audierunt (1). Experientia quo-

(1) *Dovete essere fermo nella determinazione che vi ho consigliata,* scribebat cuidam poenitenti S. Franciscus Salesius, *che quello che dicesi nel secreto della penitenza è tanto sacro che non si deve dire fuori di essa. E chiunque domandasse se avete detto, ciò che avete detto, col suggello santissimo della confessione, gli potete rispondere di no arditamente e senza pericolo di doppiezza; chè in ciò non vi ha alcuna difficoltà. Nell'avvenire dunque siate fermo ed abbiate per interamente taciuto ciò che è coperto dal velo sacramentale; ed intanto non vi mettete punto nello scrupolo, perocchè non avete recato alcuna offesa dicendolo, quantunque per avventura avreste fatto meglio celandolo, a causa della venerazione in che si deve tenere il sacramento; la quale deve essere sì grande che fuori di essa nulla si manifesti di quello che vi si è detto* (*Vita,* II, pag. 653).

*Noi,* ait ipse S. Doctor, *abbiamo reciproca obbligazione coi confessori nell'atto della confessione, di tenere celato quel che ci avranno detto, eccetto che non fosse qualche cosa di santa edificazione; e fuori della confessione non bisogna parlarne* (*Tratten.* XVIII).

tidie docet ex parte poenitentis revelari haud raro omne quod in laudem vel dedecus Confessarii cedit.

Habitualiter, igitur, Confessarius sequatur regulam non dicendi nisi ea quae si nota fiant omnibus, sibi nec cuivis displiceant. Alioquin, culpa non illi qui refert tribuenda, sed potius ei qui talia dixit quae dicenda non erant; nam si dicta non fuissent, nec referta essent (1).

**144.** — 3. « **Custodi cor tuum** ».

*a*) *Nihil superfluum.* Nisi sacrum Poenitentiae ministerium praecedat, comitetur et sequatur cordis custodia, facile admodum erit ut Confessarius plus dicat quam necesse sit poenitentibus. Convenit ut interdum, tempore propitio, in actu confessionis, brevi oratione, Deum oret ne secreta, imperceptibili deceptione cuiusdam passionis ruat et ne ut moderatum, necessarium, modestum pingat daemon eloquium suum quod revera superfluum ac inutile sit, quodque tale agnoscunt circumstantes poenitentes expectantes atque murmurantes inter se. In hoc autem ipsi ordinarie loquendo absque iure procedunt imo iniuste quatenus damnant vel murmurant absque cognitione. Saepe contingit ut quam-

(1) De B. Iosepho Cafasso legitur: *Non parlava molto in confessionale. Ei cominciava dal non mai dare ai penitenti ragione delle conclusioni, ammonimenti e consigli che loro suggeriva.* « *Le ragioni, egli diceva in Conferenza, si danno in iscuola, ed ai penitenti, se ci richiedono del motivo del nostro procedere, è bene rispondere come l'obbedienza del perchè non è quella che più piaccia a Dio* ». *Le parole ch'ei credeva poi di rivolgere loro erano brevi e facili, come attesta chi a lui soleva confessarsi; ma quel poco ch'egli diceva era chiaro, esatto, classico, preciso, e per modo adattato al bisogno che restava molto impresso; ed un lungo ragionamento non avrebbe ottenuto miglior effetto.* « *Voi lo sapete, egli diceva ai giovani sacerdoti, non è già una predica lunga, un ragionamento anche profondo che sia per far trionfare in tali casi, ma per lo più un pensiero, un riflesso, una parola toccante e commovente* » (*Vita*, l. c., p. 302).

quam Confessarius omnem conferat sollicitudinem ne confessio longius protrahatur, attamen quidam poenitentes, etiam de illis qui sacramenta frequentant, nunc adeo tentati sunt, nunc tam subtiles, inquieti ac turbationi subiecti nisi omnia dicant, ut tempus maius ex necessitate exigant. Hoc in casu male se gereret Confessarius si timore susurronum suo officio iudicis, patris ac medici deesset; tamen sollicitior esse debet ut absque poenitentium damno, brevis et potius gravis in loquendo cum iisdem, praesertim si alterius sexus, evadat.

*b*) *Cave ab igne.* Bene meminerit Confessarius mulieres etiam in confessionali confitentes, periculum permanens sibi constituere, ideoque caute ei cum ipsis procedendum atque loquendum est. Nam ab earum rerum congressu, ait S. Basilius, longissime fugiendum est, cum primis quaecumque in conspectu nobis adductae, refricata libidinum memoria, rationis vim in nobis perturbant, atque confundunt, bellaque et sollicitos angores in animo creant... Quocirca fugiendae in primis cum mulieribus collocutiones, neque ad eas umquam accedendum nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat et aliter facere non possimus. Atque, ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est, adeo ut quam ocissime nulla mora ab istis nos extricemus (*Const. monast.*, c. III). Cum proximat stipula, explicat S. Hieronymus, incendit ignem; flammigero igne percutit femina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium (*epist. ad Ocean.*).

*c*) *Subtile periculum.* Quale praemium sanctitatis expectat, ait S. Cyprianus, qui non solum blasphemiam sanctitatis ab infidelibus provocat, sed etiam fidelibus perniciosum praebet exemplum, ut

infirmi sub praetextu dilectionis subtiliter fornicentur et pudicis impudentissimae castitatis praebeat magisterium, destruens quod Paulus Apostolus comminatur: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* (*De singul. Cleric.*).

Malas suspiciones Confessarius prudens praevenire debet ut eas vitare possit caute loquendo et agendo. « Tantum certe oportet, ait S. Chrysostomus, imo vero longe maius studium adhibere, ut malas opiniones, non solum, dum erumpunt, divellamus arceamusque sed et procul unde erumpere possint, prospiciamus; atque adeo causas ipsas e quibus enascantur, longo ante tempore interimamus: non etiam dum coalescant et in vulgi ore versentur ac divulgentur, expectemus; tum enim haud proclive fuerit illas delere, sed admodum difficile: fortasse etiam nulla eas arte tum extinguere valeas; neque vero tum res noxa careat, propterea quod hoc ipsum fiat, quo tempore multorum conscientiam iam laeseris » (*De sacerd.*, l. VI, c. IX).

## Articulus III.

## Prudenter interrogare.

**145. — 1. Obligatio interrogandi.**

Sacramenti Poenitentiae minister tenetur integritatem ipsius tueri ac procurare, secundum praescriptum a Rituali: *Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.*

Obligatio respicit hos casus tantum; pro aliis

utilis non necessaria, nec, igitur, obligatoria interrogatio (1).

Attamen « si consideratis conditione poenitentis, moribus, scientia et longitudine aut brevitate temporis et aliis circumstantiis, probabiliter ac prudenter iudicet confessarius poenitentem integre esse confessum, non teneri ad interrogandum aliquid; quia nulla est talis obligatio, cum in his rebus non sit maior evidentia requirenda, sed ea probabilitas, quae ad alia negotia humana gravia existimari solet sufficiens. Quin potius in huiusmodi eventu, iudicari posset quaelibet interrogatio otiosa et onerosa poenitenti, quae omnia vitanda sunt » (Suarez, *de Poenit.*, d. 32, sect. 3).

Hinc sufficeret sequi quod monet S. Bonaventura: « Si confitens etiam peccata consueta nesciat confiteri, ut fere communiter omnes rurenses, potest et debet confessor interrogare secundum illud Ezechielis: *Fili hominis, fode parietem* (c. VIII, 8).

(1) « Difficultas est an confessarius obligationem habeat poenitentem interrogandi circa alia peccata quae non dicit; an vero possit esse contentus iis quae dicit ex se, non quaerendo de aliis. Ioannes Medina hoc docuit... Eam tamen sententiam reiiciunt alii Theologi cum Magistro, Thoma ibidem, Antonino, etc... quos affert et sequitur Suarez... Ratio autem a priori desumitur ex officio confessarii, qui iudex est proferens sententiam non solum circa peccata quae audit, sed circa personam, quam dum sacramentaliter absolvit iudicat illam debere reconciliari cum Deo et quantum ex se reconciliat. Ad hoc autem oportet quod cognoscat plene totum statum conscientiae poenitentis, ad videndum an sit aliquid quod obest eiusmodi reconciliationi. Quare quoties videt non plene manifestari ab ipso poenitente, debet ille ex officio inquirere » (Cardinalis De Lugo, *De Poenitentia*, d. XIII, sect. 2, n. 16-19).

« Et ratio est, ait Suarez, quia integritas confessionis necessaria est ut homo sit capax absolutionis... Et confirmatur quia iudex non debet sententiam ferre, non satis cognita causa; et medicus si aegrotus nesciat aegritudinem suam satis aperire, debet inquirere donec sufficientem notitiam habeat ad medicinam adhibendam » (*De Poenitentia*, d. XXXII, sect. 3, n. 3 et 4).

Augustinus, *de vera et falsa poenitentia* (cap. xx), circa finem ait: « Diligens igitur inquisitor et subtilis investigator *sapienter et quasi astute interroget a peccatore,* quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates eius non dubitet investigare, et locum et tempus, et caetera, quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, discretionem in varietate, doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne forte perdat iudiciariam potestatem » (*Confess.*, p. I, cap. II).

Circa autem illa Ezechielis verba, S. Gregorius commentatur: « Et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire? Quem cum fodisset, apparuit ostium: quia, cum cordis duritia vel studiosis percuntationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quaedam ianua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur, cogitationum interiora videantur » (*Reg. pastor.*, p. II, c. x, alias c. xxi).

Obligatio autem interrogandi, scientiam qua interrogari possit evidenter praesupponit. Unde ait Magister sententiarum: « Caveat spiritualis iudex, ut sicut non commisit crimen nequitiae, ita non careat munere scientiae. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debet iudicare. Iudiciaria enim potestas postulat, ut quod debet iudicare discernat » (*Sent.*, l. IV, c. xix) (1).

(1) Etsi B. Ioseph Cafasso valde caute in tractanda cum discipulis materia de sexto procederet et sola necessaria exponeret, tamen, ut refert testis quidam, *egli la trattava assai ampiamente; io non mi accorsi mai che nel dar istruzioni sulla materia* de sexto *ei fosse deficiente, sebbene tacesse di certe cose più rare. Egli aveva troppo paura che, « per mancanza di cognizioni », nella pratica il Confessore scambiasse poi una cosa per l'altra, o che troppo impacciato si fermasse*

**146.** — 2. **Modus interrogandi.**

Circa modum interrogandi haec S. Thomae tenenda: « Dicendum quod sacerdos *debet* perscrutari conscientiam peccatoris in confessione; quasi medicus vulnus et iudex causam; quia frequenter, quae prae confusione taceret, interrogatus revelat... In interrogationibus faciendis tria sunt attendenda: Primo, ut quilibet peccator interrogetur de peccatis quae consuescunt in hominibus illius conditionis abundare. Secundo, ut non fiat explicita interrogatio nisi de illis quae omnibus manifesta sunt; de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longinquo fieri interrogatio ut, si commisit, dicat, et, si non commisit, non addiscat. Tertio, ut de peccatis praecipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias; quia huiusmodi delectabilia, quanto magis in speciali considerantur, magis concupiscentiam nata sunt movere. Et ideo potest contingere ut confessor talia quaerens et sibi et confitenti noceat, et sic quandoque deficiant in suo scrutinio scrutantes iniquitatem » (In IV Sent., lib. IV, d. XIX).

Quapropter Codex Iur. Can. praescribit confessario: « Caveat omnino ne complicis nomen inquirat, ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget » (can. 888, § 2).

Recolat Confessarius quae de difficultate sui officii dicta sunt cap. I, art. 2 et videat quam caute

*morosamente a ricercare dal penitente le cose con pericolo proprio o del penitente stesso, o per lo meno con pericolo che il medesimo sospettasse curiosità nel Confessore, e quindi per questa o per quella ragione ne seguisse scapito nella gravità e santità, con cui deve amministrarsi il Sacramento* (*Vita*, l. c., p. 63).

procedere debeat in interrogationibus faciendis et quam necessariae hae sint (1).

**147.** — 3. **Regulae practicae.**

« Quando Confessarius aliter exquirere non posset species peccatorum quam per indecentes interrogationes, tunc ex doctrina communi quae docet quod ob gravissimas rationes (et haec est quam maxima) licet omittere aliquod peccatum, et tantum servare integritatem formalem, deberet illas interrogationes omittere » (S. Alph., 622; Giord., c. I, 149). A fortiori omittendae sunt interrogatio-

(1) Praestat haec addere ut scripta sunt: — *Il rossore impedisce tanti di questi buoni contadini dal confessare ai loro sacerdoti tutti i peccati commessi, il che li tiene in uno stato di dannazione* (S. Vincenzo de Paoli, *Vita*, Abelly, c. VIII). — *Chi ha un po' d'esperienza non ignora punto che questa maledetta vergogna popola l'inferno di dannati* (S. Alf., *Istruzione ai Missionari*). — *L'esperienza ci ha troppo chiaramente dimostrato che i più dei cristiani si dannano per i difetti essenziali delle loro ordinarie confessioni* (P. Brydaine, *Vita*, scritta dall'Ab. Carron, p. 134). — *Predicate spesso contro le confessioni sacrileghe, perocchè Dio mi ha rivelato che la maggior parte dei cristiani si dannano a motivo delle confessioni mal fatte* (S. Teresa, citata dal Segneri e dal Mach). En autem quae narrat hic P. Mach in *Tesoro del Sacerdote* (P. II, c. VI, ed. Marietti): — *Ho trovato persone che avendo ricevuto e tre e cinque volte gli ultimi Sacramenti, persuase che morivano e si dannavano, neppur allora avevano avuto coraggio di dire al confessore i loro peccati! Tre volte venne una giovane a confessarsi da me; una volta fece quattro ore di cammino a piedi, ed un giorno sino a dieci, ogni volta dichiarandomi nuovi peccati taciuti per vergogna. Chi può immaginarsi quello che feci per ispirarle confidenza! E ben sembrava averla mentre, benchè avesse molti altri confessori e missionarii a sua disposizione, veniva da me con tanto travaglio, e si sentiva animo per dirmi piangendo che nuovamente mi aveva ingannato. Poichè tre volte di seguito mi occultò dei peccati, tanto si era impossessata di lei la vergogna: Iddio sa se non mi abbia ingannato anche la quarta volta. Non meravigliarti, amato lettore, se giungo in quest'opera a simili rivelazioni; credo che lo esiga il bene delle anime, e pochi avranno maggiore libertà di farlo senza ledere il sigillo sacramentale, avendo io avuta la consolazione di esercitare questo ministero in cinque regni e più che mille parrocchie.*

nes tum circa circumstantias aggravantes in casibus similibus, tum circa modum quo admissae fuerint foeditates. Attamen si Confessarius noverit poenitentem ob omissam interrogationem de re quam fateri erubescit, inquieta conscientia discessurum esse, tunc ipsum moneat non esse necessarium ultra progredi in interrogationibus vel in peccatorum expositione (1). Quid vero si ipse poenitens fateri ea obscena velit et reapse indignis verbis ea fateatur? Confessarius, ait S. Franciscus Salesius, non illico manifestet se id indigne ferre, nec aliquid dicat, sed expleta confessione, verbis benignis illum doceat modum confitendi. Si vero, ait ipse S. Doctor, ob peccata contra sextum quae confitetur, excusationes, praetextus, enarrationes addat, patienter se gerat et expectet usque ad finem; tunc interroget ad claram peccatorum cognitionem habendam, illi industriose ostendens defectus ac superfluitatem confessionis ab eo factae.

Quoad timores, inquietudines animi aliaque quae Confessarius experiri possit audiendo obscena quaeque, haec S. Philippi Nerii ad B. Iuvenalem An-

(1) De Beato Ioseph Cafasso legitur: *In confessionale come succede a chi cammina sopra un terreno scottante, egli procurava di fermarsi il meno possibile, intorno a questa materia, dicendo essere difficile che un sacerdote s'abbia a pentire d'aver fatto presto parlando di tali colpe. Per riuscire spiccio egli ricorreva a tutte le sentenze che potevano giustificare una reticenza, e a tutte le industrie del suo illuminato candore. Si tratteneva solo alquanto sugli obblighi: chè in questi, come egli diceva, giovava andar più adagio.*

*Trattandosi di penitenti oppressi solo da angustie e non da colpe e che d'altronde già avevano per esse una regola da lui o da altri confessori, non permetteva più che ne parlassero in tutte le Confessioni, ma li rimandava alle istruzioni avute. Accusandosi poi taluno di veri peccati, per non lasciarlo spaziare in un tal fango, ciò che molto probabilmente quegli avrebbe fatto con espressioni indecenti, prendeva esso stesso la parola e lo interrogava in modo ch'egli non avesse più che da rispondere.*

cina sufficiunt: « Noli scrupulum colere de eo quod tibi occurrit, nam et aliis idem contingit; cave tantum ne potius ea audire velis prae aliis peccatis, neque curiosus sis ut scias amplius quam quod oportet scire ad remedium applicandum, neque descendas ad particularia praeter ea quae sufficiant ad cognoscendam qualitatem vel speciem peccatorum. De coetero, commenda te Deo qui deesse non sinit auxilium suum plus quam ordinarium in huiusmodi ministerio, quamdiu tamen exercetur cum amore et cautelis » (*Vita*, II, p. 13) (1).

**148.** — 4. **Quis interrogandus sit.**

Tamquam regula generalis oportet poenitentem hortari et adiuvare ut ex seipso accusationem faciat; ex hoc videri potest si praeparationem fecerit necne, si sit timoratae vel laxae conscientiae et quanam via sit incedendum ad interrogationes faciendas (2).

(1) « Hic iuvat animadvertere, ait S. Alphonsus, quod si confessarius in excipiendis confessionibus sensuales tentationes pati solet, modo illis non assentiatur, et voluntarie eis causam non praebeat, nihil debet pavore concuti, nec propterea debet ab excipiendis confessionibus abstinere; nam hoc intendit daemon eum deturbando huiusmodi tentationibus, ipsum a bono quod operatur, removere. Antequam confessionarium ingrediatur, protestetur se nullis suggestionibus velle assentiri, se commendet Mariae SS. et postea in confessionario mentem ad Deum elevet; et cum vehementius vexatur, se vertat versus aliquam imaginem devotam, et illi se commendet. Ceterum, satis erit illi qui est timoratae conscientiae, invigilare ad non praestandum consensum illis suggestionibus, aut motibus sensualibus, quos patitur, ut iam dictum est, tr. 3, n. 40 » (*Homo Apost.*, App. V, n. 3).

(2) *Lasci prima che il penitente dica tutti i peccati dei quali si ricorda: il che fatto e trovando, come per lo più suol accadere, ch'egli abbia bisogno di essere interrogato, lo interroghi, avvertendo in particolare di domandare sempre il numero dei peccati mortali commessi, di modo che, sebbene il penitente non li saprà precisamente riferire, nondimeno gli faccia dire poco più o meno quel numero che possa essere più appressolla verità* » (S. Carolus Borromaeus, *Avvisi*).

Rudes tamen et ignorantes iam ab initio interrogandi sunt praesertim si confessio generalis peragenda sit. Dimittere huiusmodi poenitentes ut melius conscientiae examen instituant, esset, ait iuste P. Segneri (*Conf., istr.*, c. II), intolerabilis error quatenus quamtumcumque agant examen illud numquam exequi poterunt melius quam quod cum Confessario facere possunt; ne dicamus quod dimissio illa periculum parit ne revertantur amplius ob difficultatem exaggeratam examinis vel ob incommodum revertendi; unde diu in peccato remanent. Forsitan, ait S. Alph., quidam Confessarius dicet: Si non revertentur, peius pro eis! Sed, ait ipse, num haec est christiana, imo sacerdotalis charitas?

Errorem esse docet ipse, rudes dimittere « ut diligentius sese examinent, sed teneri Confessarium eos examinare, interrogando eos iuxta ordinem praeceptorum Decalogi, non autem de omnibus peccatis quae ipsi committere potuerunt, sed tantum de magis usualibus, quae ab huiusmodi hominibus committi solent » (*H. A.*, l. c., n. 18) (1).

(1) Idem S. Doctor ait: « Cautissimus sit in interrogando de materia turpi, praesertim puellas et pueros, ne quod ignorant, ista addiscant, aut saltem ad curiositatem excitentur. Ex alia parte non omittat exquirere ab eis an in hac materia aliquid deliquerint quod rubore celaverint. Et circa hoc non sibi satis habeat illos perfunctorie et in generali interrogare utrum in conscientia habeant aliquod peccatum ex rubore omissum; nam a quibusdam nimirum a rudibus, pecudum custodibus, puellis et iuvenculis opus est semel atque iterum solerter expiscari aliquod peccatum quod reticent argutias et circumlocutiones adhibendo. Hoc maxime efficiendum ut eis animus praebeatur, et dicatur ne timeant, quia ipse absolvet eos ab omnibus peccatis et quod si omnes conscientiae sinus aperient, deinde maximam pacem et consolationem conscientiae assequentur. Haec diligentia praesertim cum moribundis adhibeatur. Et non abs re erit si idem efficietur cum puellis quae devotionem profitentur: quot ex istis reperiuntur sacrilegiis gravatae, ob aliquod peccatum quod retinuerunt! Sed potissimum astutiis utendum cum pueris et puellis qui spirituales non sunt... » (*Ibid.*, n. 3).

Item S. Leonardus, de ignorantia eorum ait: « Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis res fidei doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est eos breviter docere mysteria principalia, efficiendo pariter ut secum efforment actus fidei, spei, charitatis, et contritionis, obligando tamen eos ut in posterum perfecte instrui se faciant circa cetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti ».

**149.** — 5. **Quid interrogandum.**

Interrogandi sunt poenitentes praesertim: *a*) In his circa quae iuste praesumi potest ipsos ob ignorantiam aut aetatem aut educationem etc., non bene peccata confiteri. Interrogatio autem facienda est — secundum poenitentis qualitatem et statum — si omittatur circumstantia essentialis etiamsi adsit motivum opinandi eam omissam esse voluntarie, praesertim si necesse sit scire num habitualiter peccet circa idem, cum damnata sit ab Innocentio XI haec propositio: « *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem* » (prop. 58).

In hoc autem non expedit sequi probabile speculativum, id est, utrum Confessarius interrogare debeat circa peccati consuetudinem, sed id quod est practice tutum; tuta autem est sententia S. Thomae reiicientis opinionem contrariam eo « quod non possit plene recidivantis morbo remedium adhiberi » (In 4 sent. d. XXII, q. 1).

**150.** — *b*) S. Alphonsus monet saepe expedire hanc interrogationem opportune et prudenter facere: « An umquam olim rubore suffectus in confessione aliquod peccatum reticuerit? Hac interro-

gatione, ut plurimum, curet sciscitari rudes et mulierculas, *qui vero frequentant sacramenta*, dicendo eis: Forsan aliquis vitae anteactae scrupulus te mordet? Cura nunc bene confiteri; dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tua depone... Hac interrogatione, aiebat diligens operarius, a se multas animas a confessionibus sacrilegis fuisse liberatas » (*Praxis*, n. 22) (1).

Omittere has interrogationes cum necesse sit vel probabilitas adsit gravis aliquid occultum detegendi, vel animas in peccato relinquendi, idem est ac clave scientiae non uti, sicut monet Gersonius: « Nihil interrogabo, scit peccata sua, dicat illa, si vult. Sic dimittit inscios, sic verecundos latere facit in peccatis suis, non utens clave scientiae, quae data est ad aperiendum, cum discretione tamen, secretas animi plagas » (Tract. 18 *super Magnificat*, Pars II).

**151.** — *c*) Praeterea, interrogare oportet circa ea quae poenitens haud timoratae conscientiae reticet non oblivione nec verecundia, sed ob laxam conscientiam, sub praetextu scrupulum vitandi.

*d*) Item interrogare circa officia proprii status: « Quae gravis interrogandi obligatio, ait Scavini, urget, etiam quoad obligationem status ipsius poenitentis, in quo quidem deficiunt non pauci confessarii » (*Th. Mor.*, t. IV, n. 133).

**152.** — *e*) Nec raro occurrit quod poenitens dubium habeat de re gravi, de qua eum interro-

(1) « Probabiliter excusat Roncaglia (Cap. 3, qu. I, R. 2) a confessione materialiter integra, si haec sit valde prolixa cum gravi nota poenitentis, dum urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, et *non suppetat tempus*. Caeterum minime quidem est excusandus is de quo, ob prolixitatem confessionis, facile alii suspicarentur ipsum multis esse culpis gravatum » (S. Alphonsus, *Theol. Mor.*, lib. VI, n. 485).

gare oporteat; nam, ut docet S. Thomas, « qui aliquid committit in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discrimini se committens; et similiter periculose committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri: non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui et iudicium sacerdotis expectare » (In IV, dist. XXI, q. II, a. 3). Haec altera pars, ut patet, conscientiam practice dubiam respicit cum qua non licet operari; sed licet operari cum conscientia speculative dubia, cum sc. per principia reflexa dubium deponitur et formatur conscientia certa, v. g. non teneri quis confiteri peccatum quod probabiliter non est grave).

**153.** — *f*) Interrogare oportet poenitentem circa peccatorum dolorem si prudenter dubitari potest de eo, non solum cum de peccatis gravibus, sed etiam quando de solis venialibus agitur. Catechismus Romanus docet: « Si, audita confessione, iudicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defecisse, absolvi potest » (*De sacra Poenit.*, n. 60). Suarez autem respondenti credere docet, una cum aliis: Et quando (confessarius) non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare poenitentem an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur (*De Poenit.*, c. XXXII, sect. 2, n. 1-2). Cf. S. Alph., 461.

**154.** — 6. **Detractio vitanda.**

Haud raro Confessarius vitare debet in confessione detractionis periculum quod incurri potest per interrogationes. Audiatur S. Bonaventura: « Peccata aliena sunt quandoque nostris admixta ita quod sine illis non potest bene culpa propria expli-

cari et tunc confiteri ea licitum est. Unde si a persona religiosa mulier cognita est, sufficit quod in generalitate sua stet, quia satis apparet culpa. Si vero descendat ad personam singularem, increpanda est persona confitens. Similiter nec debet confessor curiose inquirere de persona; sed si occurrit ut ei possit prodesse, extra forum confessionis audiatur; nam talia frequenter sunt occasio frangendi sigillum confessionis ubi est maximum periculum. Si vero peccatum non potest explicari sine explicatione personae determinatae, ut si mulier inordinate a viro cognita est, tunc si dicat de marito, non peccat, pro eo quod non potest aliter confiteri propriam culpam, et tunc non debet attendi accusatio aliena sed propria. *Confessores autem qui ramusculos in confessionibus inquirunt et audiunt de aliis malum et sustinent*, vix aut numquam a peccato detractionis excusari possunt, et nesciunt mederi animabus, dum patiuntur eos qui veniunt ad medicinam, alios accusando, sibi infligere vulnus grave » (In 4, dist. XVI, q. III, et v). Et concordat cum S. Thoma: « Nullus debet exprimere in confessione personam cum qua peccavit, nisi aliter non possit exprimere speciem sui peccati. Debet enim homo in confessione famam alterius custodire, quantum potest, sed suam conscientiam magis purgare debet » (In 4, dist. XXVI, q. III).

**155.** — 7. **Interrogatio de re turpi.**

Circa interrogationes de sexto haud conforme prudentiae hodiedum erit totum *catalogum* exhaurire (1). Quapropter praecipua quaedam ex S. Alphonso excerpimus:

(1) Denuo hic afferre praestat can. 888, § 2: « Caveat omnino ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Deca-

*a*) De cogitationibus quas confessi sint poenitentes sumendus est numerus certus si haberi potest (1); sin autem, exquiratur quoties in die vel hebdomada vel in mense cogitationibus consenserint. Interrogentur, si necesse sit, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas: nam tunc illa media, etsi indifferentia, a malitia interna informantur et ideo explicanda ut peccata externa sive opera incepta.

Si confiteantur verba obscena, interrogentur coram quibus et quoties ita locuti sint, ratione scandali, an coram viris aut foeminis uxoratis vel non, pueris vel adultis. Facilius enim scandalizantur puellae et pueri quam adulti, praesertim qui in hoc vitio sunt habituati. Num verba protulerint ex ira vel ioco; nam ex ira difficilius aderit complacentia et scandalum. Si iactaverint se de aliquo peccato, tria peccata frequenter occurrunt, scilicet ingens scandalum audientium, iactantia de malo commisso

logi praeceptum, quemquam detineat et praesertim ne iuniores de his quae ignorant imprudenter interroget ».

In hac materia, iuxta communem sententiam, melius est in pluribus deficere circa integritatem, quam in uno superabundare, unde in dubio standum est pro negativo.

(1) Meminerit Confessarius unde repetenda sit distinctio specifica peccatorum, nempe ex obiectis consideratis *formaliter*, seu qua divinae legi repugnant. Obiecta autem divinae legi repugnant et constituunt, consequenter, peccata specie diversa: 1. si adversantur virtuti diversae; 2. si uni eidemque virtuti quidem opponuntur sed modo contrario, id est per excessum et per defectum; 3. si uni eidemque virtuti opponuntur modo diverso, seu diversis eiusdem virtutis officiis. Distinctio autem numerica desumenda ex communi aestimatione; ergo: 1. sunt plura numero peccata, ubi plures sunt species peccati; tametsi actus unus physice sit, et circa obiectum, materialiter unum; 2. actus physice plures circa obiecta item plura et diversa constituunt plura peccata. Si uno actu attingantur plura obiecta non habentia malitiam specie diversam, controvertitur. Alii tenent unum esse peccatum, alii plura. Omnes sententiae graves et probabiles sunt, sed prima in praxi praeferenda videtur.

et complacentia de peccato narrato; ideoque interrogandi sunt de quo peccato in specie se iactarint.

Circa *opera* quae confitentur, interrogentur quoties peccatum consummatum, et quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato. Num peccato multum ante consenserint; nam tunc actus interni interrumpuntur.

Et tunc expedit formare iudicium toties multiplicata esse peccata quot morulae somni, distractionis, etc., adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus si malum propositum fuerit conceptum per duos vel tres dies ante consummationem peccati, et intra illud tempus non fuerit retractatum.

Circa autem *peccata coniugum* respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo Confessarius non tenetur nec decet interrogare, si necesse sit, nisi uxores, modestiori modo quo possit, an illud reddiderint, puta an fuerint obedientes viris in omnibus; de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit.

Relinquendi sunt in bona fide, si fructus non speretur, coniuges qui sine scrupulo inordinationes committunt in usu matrimonii, maxime si copula maritalis inter illos impossibilis evasit; item rustici, qui communiter loquendo nesciunt malitiam adulterii, cum praevideatur monitio parum profutura, sed tantum effectura ut poenitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistat (S. Alph., *Homo Ap.*, XVI; Scav. III, 497) (1).

(1) Circa usum coniugii haec haud praetermittenda occurrunt quae ad S. Congr. Sancti Officii proposita sunt:

*Dubium I.* An tolerari possit confessarios *sponte sua* docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promiscue omnibus poenitentibus, qui timent ne prole numerosiore graventur?

*Dubium II.* An carpendus sit confessarius, qui, omnibus remediis ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum

## Articulus IV.

## Causas medice perscrutari.

**156.** — 1. **Malitia et fragilitas.**

Necesse est ut Confessarius sciat utrum culpa ex malitia an ex fragilitate procedat. Dicitur malitia quaedam voluntatis permanens et quasi habitualis mala dispositio. Potest et debet, igitur, statui ut principium certissimum quod si quis peccat abs-

frustra tentatis, *docet* exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda?

*Dubium III.* An carpendus sit confessarius qui in circumstantiis sub II., copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam *suadet*, vel poenitenti interroganti num hic modus licitus sit, *respondet simpliciter* « licere » absque ulla restrictione seu explicatione?

Harlemi, die 1 Decembris 1922.

*Ill.me ac Rev.me Domine,*

In generali consessu habito feria IV, die 22 elapsi novembris, proposita fuerunt tria dubia ab Amplitudine tua nomine Episcopatus Neerlandiae ad hanc Supremam Congregationem Sancti Officii transmissa.

Et E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales, quaestione diligenter perpensa, praehabitoque DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Ad I. dubium: *Negative.*

Ad II. et III.: *Affirmative.*

In sequenti vero feria V, die 23 dicti mensis, Sanctissimus D. N. Pius div. prov. Papa XI in solita audientia R. P. D. Assessori huius Sancti Officii impertita, relatam sibi Em.rum Patrum resolutionem approbavit.

Haec pro meo munere Amplitudini tuae significans, prospera cuncta atque felicia Tibi a Domino adprecor.

Amplitudini Tuae Rev.mae
Addict.mus
R. Card. MERRY DEL VAL.

Ill.mo et Rev.mo
Domino Episcopo
HARLEMEN.

que praeventione alicuius tentationis vel absque gravi occasione vel passione oborta, sed ex propria spontanea voluntate, ex malitia peccat. Peccatum, contra, est fragilitatis effectus cum voluntas praevenitur vel excitatur a quadam gravi tentatione vel occasione non quaesita et graviter movens voluntatem. Peccatum, ait S. Thomas, quod est ex passione debet dici ex infirmitate (*Sum. th.*, *l. c.*, q. LXXVII, a. 3).

Peccatum commissum ob ignorantiam vincibilem est item ex fragilitate quia « dicitur ex certa malitia vel industria peccare, quasi scienter malum eligens. Tunc solum ex certa malitia aliquis peccat, quando ipsa voluntas ex se ipsa movetur ad malum » (Id. *l. c.*). Itaque, generaliter loquendo, quisquis peccat etiam ob ignorantiam non directe volitam, ex fragilitate peccat. Propterea, si poenitens intra tempus conveniens, v. g. quindecim dies circiter, prolapsus sit in eadem peccata semel aut bis ex vera fragilitate, facta habitualiter tentationi resistentia et mediis fideliter adhibitis, emendatus haberi debet et ex hac parte absolvendus. Attamen, frequens lapsus est haud dubium ad peccatum inclinationis ideoque malitiae indicium et non tantum fragilitatis, id est, mutatae atque debilis voluntatis. « Unum peccatum, ait S. Thomas, per se consideratum, non demonstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando est cum pluribus aliis consideratum: quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis vel magnam corruptionem eiusdem » (*Suppl.*, q. IX, a. 2 ad 1).

Tenenda est ut principium certissimum, ab ipso S. Doctore admissum ac demonstratum, haec propositio: Qui peccat ex consuetudine, ex vera ma-

litia peccat quia ob voluntariam inclinationem operatur. « Unde manifestum, ait ipse, quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex malitia » (P. II, q. LXXVIII, a. 1).

Notandum tamen quod sunt plures perturbationes nervorum atque aliae animi et corporis aegrotationes, quae non minus quam concupiscentia antecedens aut metus, minuunt vel etiam tollunt omnino libertatem ac proinde voluntarium; quae prae oculis habere debet Confessarius ut cognoscat an et quatenus peccatum minuatur. Multoties tamen iudicium certum efformare non valebit.

**157.** — 2. **Habitus et debilitas.**

Distinguendus est habitus peccati et status debilitatis in qua deget anima, quae nuper e peccato egressa est. Debilitas haec, seu indispositio, dici non potest verus habitus etiamsi adhuc ad peccatum inclinet. Ita S. Thomas: « Nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae. Remanent tamen debilitatae ita quod homini non dominentur. Et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post Baptismum » (P. III, q. LXVIII, a. 4 et 5) (1).

Ad hanc tamen debilitatem sustentandam sufficit gratia sacramentalis quae, quamtumvis tenuis sit, animam adeo adiuvat ut quamcumque tentationem superare possit. Ita docet ipse S. Doctor:

(1) Hac de causa Sporer ait quod « redire cum iisdem peccatis de se non est signum deesse verum propositum... certe non magis quam si rediret cum aliis novis diversis peccatis ». Cum agitur de malitia, irrisor Sacramenti dicendus est non solum qui actu peccat eodem genere, sed etiam qui peccat alio genere peccati, quatenus a vero poenitente excludi debet tam eumdem quam diversum peccandi modum (Cfr. P. III, Q. 84, a. 10).

« Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae et vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri et argenti » (P. III, q. LXX, art. 4).

Credi igitur non potest quod peccator iustificatus per bonam confessionem tam debilis maneat ut eadem facilitate qua antea in peccatum grave labatur.

Etsi autem lapsus recidivus in peccatum ex fragilitate antecedentem voluntatem non destruat, neque propositum falsum fuisse manifestet, tamen quando agitur de peccato ex malitia notandum quod « non est perfecta voluntas nisi opportunitate data, ait S. Thomas, operetur... Bonum propositum manifestatur per operationem. Propositum autem per aliquam deliberationem cum sit actus voluntatis deliberatae » (*Ibid.*, q. LXXXVIII, a. 1).

**158.** — 3. **Iudicium invaliditatis.**

Habendae sunt ut invalidae confessiones poenitentis qui in iisdem habitibus permanet absque ulla mutatione, plus minusve in eadem peccata prolabens; ita ut, etsi saepe confiteatur, saepe peccatum committit; etsi autem non peccet frequenter, si tamen labitur semper vel fere semper non ob gravem tentationis impetum, sed ex electione voluntatis, tentationi facile cedens vel voluntarie gravibus occasionibus sese exponens, haud bene poenituit nec bene confessus est.

Si in praeteritis confessionibus adfuerit quidem aliqua emendatio, sed non notabilis, et, inspectis lapsibus, constet hos non ex fragilitate, sed ex malitia processisse, tunc confessiones illae sunt saltem suspectae et dubiae.

Si per quoddam temporis spatium magis minusve longum, mensium vel alicuius anni, inter unam et aliam confessionem, poenitens in peccatum quadam vice tantum reciderit et semper vel fere semper quia graviter tentatus, vel prolapsus sit eo quod incaute in quodam gravi periculo vel occasione graviter alliciente versaverit, non est obligandus ad eas confessiones praeteritas iterandas, praesertim si, interrogatus vel examinatus videatur diligens circa confessionem (1).

Si quis statim vel paulo post unam vel plures confessiones, lapsus est plena advertentia in grave peccatum, quin tentationi aliquo modo obsisteret nec occasionem oblatam respueret, sed voluntarie et plena cognitione occasioni proximae se exposuit, et, culpa cognita, de ea notabilem displicentiam non habuit; tunc adest grave motivum dubitandi de validitate illius vel aliarum confessionum post quas eodem modo reciderit.

Sed contra, si peracta confessione, v. g. generali et postea particulari, poenitens per notabile tempus, nempe per duos vel tres menses, magis

(1) *La consuetudine prava*, dicebat B. Cafasso, post S. Alphonsum, *non è segno d'indisposizione, poichè sebbene un abito cattivo renda il peccatore più propenso al peccato, esso non induce tuttavia presunzione di mancanza di volontà. Ci possono essere quindi col medesimo vere disposizioni; epperò, qualora seriamente il penitente promettesse l'emenda, nè il confessore abbia da altra circostanza ad eccepire, questi lo può assolvere: e, se s'ingannasse, il torto non sarebbe suo ma del penitente che finge. Similmente, col cardinale De Lugo ritenendo che requisito alla penitenza è il proposito presente e non l'emendazione futura, affermava ancora che nemmeno la ricaduta poteva essere segno dell'indisposizione del penitente, e quindi anche nei recidivi spiegava esservi disposizioni sufficienti, qualora presentassero qualcuno di quei segni straordinarii, che Sant'Alfonso enumera con tanta caritatevole abbondanza, e che il B. Cafasso, sapeva con sante industrie così efficacemente suscitare in chi per avventura ne fosse privo* (*Vita cit.*, p. 322). Vid. infra Art. IX, n. 3.

minusve, firmus et constans permanserit, tentationibus resistens etiamsi gravibus, occasiones fugiens, culpam nempe gravem non committens, et postea in peccatum denuo lapsus sit et habitus etiam et consuetudines reassumpserit; tamen ut valida habenda est confessio illa, praesertim si, examine facto circa poenitentis praeparationem, constet ipsum diligenter ad eam se praeparasse (1).

Quotiescumque non adest grave motivum dubitandi de validitate alicuius confessionis vel plurium confessionum, validae habendae sunt.

**159.** — 4. **Iudicare ex allatis.**

Confessarius iudex est poenitentis in iis tantum quae iste ei, saltem interrogationibus respondendo, fatetur. Non potest nec ordinarie debet uti notitia quam de eo per aliam viam habet. Tamen, in casu quo extra confessionem cognoverit aliquid quod sit confessionis materia et a poenitente non recordetur, hac cognitione potest eum adiuvare prudenter per interrogationem dum accusationem peccatorum facit, praesertim quando agitur de facto notorio.

Facilis esse non debet Confessarius ad recipienda monita, postea in confessione poenitenti cuidam communicanda tamquam motu proprio ea faceret; nam gravi cum dedecore in sacrum ministerium gravis imprudentia oriri facile poterit; etenim nefas

(1) Quod autem aliquis postea peccat (eodem vel alio genere peccati) vel actu vel proposito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit; numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem (S. Th., P. IV, Q. 84, a. 10). « De quo proposito, ait Suarez, credendum est poenitenti non obstante quacumque frequentia et inconstantia eius, quia sicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum, et ipse est sui accusator, defensor et testis » (Lib. 3, *De relig.*, c. 8, n. 6).

est ut ob fines mundanos confessione quis abutatur. Cum poenitens genua flectit ut peccata sua confiteatur, Confessarium ut Dei vices gerentem considerat et verba eius excipit si qua talis loquatur.

Quemadmodum post confessionem Confessarius ignorare debet ut homo quae audivit, ita ante confessionem, vel ipsa durante, obliviscatur omne quod audivit extra confessionem circa poenitentem. Ne ipsi quidem credatur si famam alienam tangat: « In confessione, ait S. Thomas, est credendum peccatori confitenti et pro se et contra se, sed contra alium nullo modo est credendum, alioquin daretur multis occasio fictae confessionis et fraudolentae infamationis » (Opusc. 12, q. VI).

## Articulus V.

## Misericordi animo disponere.

**160.** — 1. **Officium Confessarii.**

Interrogationibus adhibitis atque morbi origine ac gravitate cognitis, Confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas; curet praesertim ut disponat poenitentem ad dolorem vel ad exequenda ea quae, ex audita confessione, ei iniungere debet.

Quamvis enim ipse tamquam pater debeat cum charitate poenitentes auscultare, tamen ut medicus et iudex tenetur, quantum opus est, eos disponere monendo et hortando, eos maxime qui multis mortalibus gravati ad poenitentiae sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si poenitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit magistratus, princeps, sacerdos, parochus aut praelatus, si de quodam suo munere sine

minimo animi sensu se accusaret. Nec Confessarius tunc debet attendere ad alios poenitentes qui ipsum circumstant; nam, ut aiebat S. Franciscus Xaverius, melius est paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas et sine fructu.

Hic advertere oportet quam perperam agant illi Confessarii qui, si poenitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se eum abire iubent. Sciant istiusmodi confessarii validis niti rationibus sententiam illorum DD. qui volunt sub rigorosa charitatis obligatione pro viribus teneri confessarium poenitentem, licet accedat indispositus, ad absolutionem disponere; consideranda ei proponat, v. g. iniuriam maximam qua Deum suis sceleribus afficit, periculum imminens eius damnationis etc. Et parum refert quod alii expectent, aut inconfessi discedant. Confessarius enim de hoc tantum qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die iudicii rationem reddere debet.

S. Alphonsus confessarios monitos esse vult perpaucos esse illos poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse si dumtaxat huiusmodi poenitentes interrogant, et, nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiantur. Sed longe aliter agunt boni Confessarii: hi enim in primis laborant ut poenitentes qui lethalibus tenentur, verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant, eis proponendo prius motiva attritionis, et deinde verae contritionis, ut super his vere doleant de peccatis commissis (1). Ipse

(1) De indispositis aiebat B. Ioseph Cafasso: « *Se diciamo loro che vadano e si dispongano e poi facciano ritorno altra volta, come si usa da tanti, siamo sicuri che realmente ritornino? Ed anche ritor-*

S. Doctor, verba Benedicti Papae XIV memorat nempe quod monita Confessarii efficaciora sunt quam sermones alicuius optimi praedicatoris, quatenus hic nescit circumstantias particulares; Confessarius autem noscens omnia, monita sua adaptare ad casus et remedia morbo applicare valet.

**161.** — 2. « **Derelinquat viam suam** ».

Quivis Confessarius, observat Frassinetti, qui praxim fecerit circa confessiones in confessionario, negare non potest multos ad sacramentum Poenitentiae accedere quin de dolore ob peccata admissa cogitaverint. Saepissime confessarium adeunt quia Pascha est vel quia dies est communionis generalis in parochia, vel quia circumstantiae hoc ferunt. Confessarius, igitur, ne credat omnes rite accedere, ne illae quidem animae piae, parum reflexivae vel instructae de doloris necessitate; et eis vitare faciat confessiones invalidas, quandoque sacrilegas, vel in sacramentum irreverentes. Caveat tamen

*nando, il tempo avrà loro dato quelle disposizioni che non avevano? Sarà difficile. Dunque, converrà dir loro che ritornino la terza volta; e saranno sempre i medesimi. Che non vi sia obbligo per un confessore, egli soggiungeva, quando si trova con penitenti tali, di cercar ogni mezzo per indurli, per convertirli prima di rimandarli? Io credo di sì, tosto rispondeva. E come volete che uno non sia obbligato a parlare, a soccorrere il prossimo, quando si trova sull'orlo della rovina, e lo si può fare con tutta comodità? Se si potesse tacere in questi casi, non so in quali si dovrebbe parlare. — Ma la necessità altrui è volontaria, replicavano gli avversari, quindi potrebbe cavarsene e pentirsi da sè. — Questo non toglie l'obbligazione in Morale; e voi lo sapete, egli replicava, pigliandoli in contraddizione, che v'è obbligo di correggere il prossimo in peccato, ed il peccato nella persona è sempre volontario. —Ma non so, se mi ascolterà. — Almeno se ne faccia la prova, tanto più che la Confessione, quando fosse spontanea sarebbe già un buon indizio, ed in qualunque caso è la migliore occasione che possa presentarsi per tentar di guadagnare un nostro fratello; epperò chi non facesse uno sforzo per approfittarne avrebbe poi sempre una spina al cuore* » (*Vita, l. c.*, p. 317).

ne longas praedicationes faciat, sed motiva magis excitantia exponat ex corde (1).

Damnata fuit haec propositio: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Ratio manifesta est: agitur de sacramento et de obtinenda a Deo gratia; haec autem supernaturalis est, quapropter etiam medium, nempe poenitentia seu dolor, supernaturale in sua origine et in suis motivis esse debet. Propterea iam in veteri Testamento haec legimus: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum et miserebitur eius* (Is. LV, 7); *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse* (Is. c. I, 16); *facite vobis cor novum et spiritum novum* (Ezech., XVIII, 31).

Iusserat Deus in V. Testamento ut sacerdos lebras attente examinaret: *Videbit, intuebitur, observabit, considerabit, contemplabitur eum* (Levit., I, vers. 13) ut sciret quae esset contagii causa. Monitum hoc ad nos, ait S. Hieronymus, nam leprosos spirituales tractandum nobis est oculo vigilanti atque cauto ne conscientia nostra maculetur. Periculum nobis praebent omnes peccatores in vitio habituati et in peccatum saepe recidivi, absque ulla emendatione; omnes ii qui permanent in occasione proxima peccandi opere vel cogitatione vel verbo, itemque ii qui in occasione proxima non voluntarie degunt, sed remedia ad peccatum vitandum negligunt; omnes ii qui restitutioni tenentur ob damnum

(1) De B. Ioseph Cafasso legitur: *Ammirabile la sua concisione nel suggerire mezzi e sentimenti opportuni ed acconci a commuovere il penitente. Soleva egli dire ad allievi che facevano per esperimento lunghe esortazioni nei casi proposti*: « *Non faccia prediche! Che vuol che porti via questo poveretto* (*ipotetico*) *dalle sue lunghe esortazioni ascetiche?* » (*Vita*, l. c., p. 67).

in bona fortunae vel in famam illatum nec eam peragere curant; omnes qui odium in corde erga inimicos servant quin signa communis benevolentiae eis dare queant nec eis reconciliari ex animo; omnes item qui conscientia laborant ob confessiones et communiones sacrilegas quin generalem confessionem instituere cogitent.

Multi de iis Confessarium adeunt variis ex causis et vae illi si munere suo male fungatur (1).

**162.** — 3. **Dispositionis signa.**

Credi potest poenitentem rite esse dispositum ad absolutionem, etsi recidivus, cum praesefert signa maioris doloris quam antea, vel si ad Confessarium accedat non ex consuetudine, sed ut Poenitentiae sacramento tamquam remedio utatur quin Confessarium suum derelinquat; vel etiam si magnum emendationis desiderium manifestat oratque ut poenitentia praeservativa sibi imponatur; item, si constet ipsum monita recepta secutum esse et diligentiam ne caderet adhibuisse; vel si videtur incipere in viam emendationis incedere et melius per eam

(1) Sunt qui confitentur tantum perfunctorie ob peractae confessionis libellum obtinendum ad matrimonium ineundum. De his aiebat B. Cafasso: « *Se si confessano, si facciano (i biglietti); se no, no. Non so con che coscienza si possa rilasciare un tale attestato, continuava, se non vi sia stata la Confessione; giacchè, così facendo non si procura per niente il bene di chi a noi ricorre, il quale riderà alle nostre spalle e non penserà più a confessarsi, mentre in caso diverso forse vi si sarebbe acconciato* ». *Egli spiegava tuttavia non richiedersi per il medesimo la Confessione intera, ma bastare il principio di essa con la disposizione anche d'un solo peccato.* « *Ove poi il Confessore presuma che la persona ne abbia bisogno, egli continuava, lo esibisca. E, se questa dice di venir altra volta a prenderlo, si faccia dire il nome per ricordarsi e sapere come regolarsi, ove venisse richiesto da chi non si è confessato* ». *Aggiungeva ancora non essere lecito porre una data fuori di quella del giorno, e doversi compilare in modo da non lasciare nessun vuoto che potesse venir riempito con un falso* (*Vita*, l. c., p. 312)..

progredi desiderare. Ad hunc finem multum prodest Sacramenti gratia, nam praeter gratiam sanctificantem, sacramentum Poenitentiae gratiam fortificantem confert qua anima in bono proposito solidatur et in infirmitatibus suis sustentatur.

Bene meminerit Confessarius quod signa illa prorsus extraordinaria sint necesse non est, quinimo, iuxta Suarez, absolvi potest poenitens iis signis extraordinariis carens etsi praevideatur mox prolapsurus (1), sed actu poenitens.

Debet, itaque, Confessarius omnem navare operam ut poenitentes suos idoneos efficiat ad consequendam gratiam Sacramenti, quae magis quam alia remedia illis prodesse poterit (2). Hoc etiam

(1) *Riepilogando in poco quel tanto che sì sapientemente insegna il Suarez, sì pratico dell'umana debolezza, è manifesto com'egli « anche senza segni straordinari di pentimento, non ritenga indisposto il recidivo »; che può assolversi anche con la previsione della ricaduta, e, che per qualche giorno talvolta « può essere » utilmente privato dell'assoluzione, affinchè anche in questa maniera possa avere uno stimolo maggiore ad emendarsi ».* (Mons. Geraldini, *La quiete del confessore*, p. 91). Suarez tamen monet negandam esse absolutionem ei qui occasionem proximam derelinquere et ei qui restitutionem facere non vult.

(2) Haec Catech. Romani afferre praestat: « Quare... hoc primum sacerdotes in poenitente diligenter observabunt, si veram peccatorum suorum contritionem habeant, certumque illi sit, ac deliberatum in posterum a peccatis abstinere. Quod si ita animo affectum esse animadverterint, moneant, et vehementer hortentur, ut pro tanto, et tam singulari beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque coelestis gratiae praesidium petere numquam desinat... Sin autem Sacerdos intellexerit, eum, qui velit confiteri, adeo peccata sua non dolere, ut vere contritus dicendus sit, conetur magno contritionis desiderio eum afficere, ut deinde huius praeclari doni cupiditate incensus, illud a Dei misericordia petere, et efflagitare in animum inducat.

« In primis autem reprimenda est quorumdam superbiam, qui scelera sua excusatione aliqua vel defendere, vel minora facere nituntur. Nam, exempli causa, cum aliquis fatetur, se ira vehementius commotum fuisse, statim huius perturbationis causam in alium

ut certum habeat quod desiderium ipsum in gratiam Dei revertendi nonnisi a Deo venire possit; quapropter quod Deus mittit benigne excipiat et bene munere suo fungatur: Ipsam poenitendi affectionem, ait S. Leo Papa, ex Dei credimus inspiratione conceptam (*Epist.* 82 *ad Theod.*) (1).

Cum adsit spes emendationis, imitari debet Confessarius clementiam divinam quae, ut ait S. Ioannes Chrysostomus, « quamlibet brevi tempore gestam non respuit poenitentiam; et non tardat neque differt, sed accelerat, suscipit et libenter complectitur » (*De poenit.*, d. 3).

**163.** — 4. **De medio attritionis.**

Pro huiusmodi poenitentibus saepe unicum medium ad eos circa absolutionem disponendos est attritio. Haec autem esse potest insufficiens ad remissionem peccati obtinendam in sacramento Poenitentiae; sed adveniente deinde attritione sufficienti obtinetur remissio vi sacramenti prius suscepti sine effectu. Hoc tamen contingit si defectus necessariae attritionis sit inculpabilis, vel leviter culpabilis; nam tunc iuxta sententiam probabilem, sacramentum est validum licet informe. Re-

confert, a quo prius sibi iniuriam factam esse queritur. Monendus itaque est, hoc elati animi, et hominis peccati sui magnitudinem vel despicientis, vel plane ignorantis, signum esse: tum vero eiusmodi excusationis genus, ad augendum potius, quam minuendum peccatum pertinere; nam qui ita factum suum probare contendit, hoc videtur profiteri, se tunc patientia usurum esse, cum a nemine iniuria laedetur; quo quidem nihil homine christiano indignius esse potest » (P. II, n. 258).

(1) *La ragione che esclude positivamente le attuali indisposizioni nel recidivo che si accusasse di essersi, stante la sua abitudine, indegnamente confessato altre volte, esclude altresì qualunque dubbio sulle disposizioni del medesimo, anche quando si temesse che indotto si fosse ad accostarsi al tribunale di penitenza per riguardi umani* (Mons. Geraldini, *op. cit.*, pag. 80).

moto, ergo, obice reviviscit effectus sacramenti. Si vero defectus necessariae attritionis est graviter culpabilis, sacramentum efficitur non modo ineffi-cax sed invalidum.

Controversia est inter theologos utrum ad iustificationem requiratur *formale* an sufficiat *virtuale* propositum. Concedunt omnes formale propositum non peccandi in futurum esse in praecepto: adeoque eum qui sciens et advertens obligationem proponendi non peccare in futurum, id omittit voluntarie, non consequi remissionem, quia hic et nunc amat peccatum.

Sed, an formale requiratur ad essentiam sacramenti, adeo ut etiam inculpata eius omissio sacramenti effectum impediat, controvertitur. Prima sententia affirmat, altera negat.

Haec posterior probabilissima a recentioribus censetur; nam et concordat cum Tridentino ubi dicitur quod attritio si excludit voluntatem peccandi iam disponit ad gratiam (sess. XIV, c. IV); ideo licet in praxi eam sequi, et consequenter tenere quod sufficiat et virtuale (1).

**164.** — 5. **Misericordia tenenda et iustitia.**

Confessarius, dispensator mysteriorum Dei et virtutis Sanguinis Iesu, misericors sit, sicut Pater coelestis misericors est. Discat ab illo mitis et humilis

(1) Qui confitetur veniale de quo non dolet, nec leviter peccat, dummodo materiam sufficientem, de qua doleat sacramento subiiciat. — Probabilius non requiritur novus actus doloris ad novam absolutionem in eo qui statim post absolutionem confitetur mortale antea oblitum. — Quamquam videtur moribundus cum attritione confessus non teneri ad actus contritionis aut charitatis perfectae, expedit tamen ut ad illos excitetur, quantum fieri potest. Sed praeter dolorem non requiritur actus explicitus fidei et spei. — Contritio saltem imperfecta praecedere debet absolutionem, non vero est necesse ut praecedat confessionem.

corde esse, et sicut Iesus ita et ipse calamum quassatum non confringat, linum fumigans non extinguat, sed ovem quae erraverat, gaudens in humeros mansuete imponat. Suscipiat peccatores gaudens, suscipiat mansuete nec ex zelo praepostero horrescat, nec obiurget, nec increpet ab initio, sed e contra dicat amanter sicut Iesus: Veni ad me, qui laboras et oneratus es, fiducialiter esto et reficiam te in Domino. In cathedra utique dicat: Progenies viperarum! vae vobis, hypocritae, vae vobis, qui ridetis nunc! vae vobis qui per spatiosam et latam viam inceditis! At in tribunali, quando veniunt, ut sanentur, dicat cum bonitate: ecce adsum, ut curem vos, ut exonerem vos, ut sub alas congregem vos.

Verba eius sint bona, sint consolatoria; verum concordet verbis clemens directionis norma. Meminerit poenitentem fratrem suum hominem esse non angelum, meminerit se esse non iustitiae vindicantis, sed iustitiae miserantis ministrum. Caveat ne vinum novum in utres veteres mittat, nec commissuram panni rudis in vestimentum vetus: ne onera gravia et importabilia in humeros ponat quae digito forsan suo nollet movere.

Neque tamen existimet misericordiae esse margaritas ante porcos mittere, aut dare panem angelorum his qui siliquis delectantur porcorum. Neque clementiae esse censeat, illorum remittere crimina in quibus est emendatio nulla; illorum solvere delicta, quorum poenitentia et dolor non prudenter iudicatur efficax et verus. Dicat peccatori: Quantum debes Domino meo? ut deinde possit adiicere: redde quod debes, declina ab hoc malo, fac hoc, quod tibi praeceptum est, bonum, alioquin non vives, frater, sed morieris. Non sit blandiens vel laborem fugiens ita ut omittat dicere pec-

catori in consuetudine posito: Frater, manus tua scandalizat te, abscide eam et proiice abs te. Pes tuus, oculus tuus scandalizat te, abscide, erue, proiice abs te; alioquin cum illis mitteris in gehennam ignis.

Certe, si bonum poenitentis quaerit Confessarius, si animam eius misericorditer, uti debet, salvare velit, curandum illi est ut non apparenter peccatum tegatur, sed ut revera intus deleatur, auferatur, pereat. Alioquin de prophetis iniquitatis erit qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis, et sic confortant manus impiorum, ut non revertantur a via sua mala; et sic proselytos suos faciunt in tribunali filios gehennae duplo quam antea. Ministerium quidem illi commissum est, sed non sine documentis, non sine regulis, non sine mandatis. Custodiat ergo ea diligenter, et curet ut in ministerio suo misericordia et veritas obvient sibi, iustitia et pax osculentur se. Sic erit fidelis et prudens dispensator.

## Articulus VI.

## Discrete instruere ac monere.

**165. — 1. Obligatio docendi.**

Confessarius, qua doctor, tenetur poenitentem docere veritates necessarias necessitate medii ad salutem, modum rite recipiendi Sacramentum, officia vitae christianae communia necnon status sui. Attamen, cum doctoris munus ad eum spectet solum in quantum respicit rectam Sacramenti administrationem, non tenetur eum docere doctrinaliter sicut in schola. Parochus et qui habet curam animarum

tenetur ei tradere maiorem veritatum fidei cognitionem.

**166.** — 2. **Obligatio monendi.**

Quoad monitionem circa proprii status officia, Confessarius tenetur monere poenitentem qui est in ignorantia vincibili etiamsi monitio non sit profutura; monere item eum qui in ignorantia invincibili versatur sed monitionem est recepturus. Ignorantia haec fit vincibilis si oritur dubium in poenitente circa ipsam legem et advertit obligationem cognoscendi legem cum possibilitate eam cognoscendi reapse.

Si circa monitionem faciendam dubitatur tam de damno quam de utilitate quae praevidetur, bene perpensis damno et utilitate necnon probabilitatis gradu circa damnum quod timetur et utilitatem quae speratur, sequi oportet quod potius videtur, nempe si praevidetur maiorem fore utilitatem monitio facienda, secus omittenda. Si, omnibus ponderatis, duae probabilitates aequales sint, tunc potest et in quibusdam casibus omitti debet monitio. Sed, contra, facienda est ei qui, sacramenta saepe recipiens, aliquod illicitum ignorantia invincibili ageret; et hoc ad scandalum vitandum. Interdum prudentia suggerit Confessario se ostendere tamquam si non audivisset vel non intellexisset quod dixit poenitens, vel oblitus esset respondere, et hoc ne ille bonam fidem amittat.

Pro quibusdam poenitentibus civiliter instructis, sed veritates fidei necessarias ignorantibus necnon actus virtutum theologarum, S. Leonardus suggerit ut Confessarius industriose et astute dicat, ne superbiam eorum vane tangat, necessarium esse ad validitatem sacramenti et ad eius utiliorem receptionem, ut simul cum Confessario illos actus eliciant.

**167.** — 3. **Monitionis tempus.**

Quoad correctionem faciendam, verum est, ait S. Alphonsus, quod Confessarius, sicut docent doctores, non bene moneret durante peccatorum confessione ne poenitens ob timorem progredi ulterius sinat; tamen hoc in generale dicitur, nam interdum expedit illico monitionem facere, praesertim si poenitens aliquod enorme peccatum laete confitetur vel confiteri non audet vel peccatum habituale denuo fatetur, ut vitii gravitatem cernat. Confessarius autem post monitionem animum ei sublevet dulcibus verbis, prout prudentia suggesserit, ut alia peccata confiteatur (1).

S. Philippus Nerius lamentabatur quod confessarii difficiliorem viam virtutis facerent, maxime peccatoribus nuper conversis, eos exasperantes fortibus reprehensionibus. Monebat ut Confessarius cum rigore statim non prohiberet quominus vestes elegantes nimis portarent et similia, ne confessionem relinquendo in peccato remanerent.

« Ne volueris, legimus in *Memoriale* Arvisenet, omnia vitia statim extirpare: zelus violentior in excindendis vitiis, animas potius exacerbaret, et in malo obfirmaret. Quaedam sunt potius lente dissuenda, quam impetu discindenda: quaedam toleranda ad tempus et dissimulanda. Quidam animi, prius sunt artificio pietatis tentandi, quam acerbae correptionis pudore inutiliter suffundendi. Recte

(1) « *Senza stendersi in un discorso che finirebbe coll'annoiare chi sta ai nostri piedi,* dicebat B. Ioseph Cafasso, *in queste congiunture un cenno un pò infocato sulla vita infelice ch'esso conduce, sul peso del peccato che dì per dì lo avvolge, sul rimorso che un tempo avrà a provare, sulla facilità dell'emendarsi, sui beni, sulla tranquillità e quiete che verrebbe ad avere, quella gloria, quel paradiso, che già potrebbe contar come suo, un pensiero o l'altro facilmente l'indurrà a risolversi* » (*Vita,* l. c., p. 317).

dixit unus de Petri successoribus: Sancta Ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat, atque portat; ut saepe malum quod adversatur, portando et dissimulando, compescat. Cura ergo passim, ut prius corda teneas per benignitatem, quam illa corrigas per disciplinam » (cap. LXIII).

Hac de causa, ipse S. Philippus dissimulabat, quantum poterat, displicentiam sui animi ob mulierum vanitates, dicens defectus tales supportandos esse sicut contra voluntatem defectus nostros naturales gerimus; nam cum parum spiritus boni illas animas intraverit, a seipsis magis quam desideratur id facturae sunt.

Prudentia, sicut docet omittere monitionem non profuturam, ita suggerit eam interdum per gradus et paulatim facere. Tamen meminerit Confessarius numquam omittendam esse monitionem de proprii status officiis, nec « quando agitur de ignorantia spectante primum decalogi praeceptum de unius Dei cultu, cui adversatur quilibet actus superstitiosus attendens idololatriam » (*Propag. Fide*, 14 Ian. 1753).

**168.** — 4. **Circa modum sese accusandi.**

Poenitentes docere oportet ut, si nihil quod materia absolutionis esse possit habeant, peccatum particulare praeteritum confiteantur; nam dicendo, v. g. se impetus irae vel tristitiae habuisse non datur materia absolutionis, quatenus impetus passionum peccata non sunt nec a nobis dependet eos impedire. Opus est ut ira sit valde deordinata vel ad pravas actiones ducat, ut peccatum dicatur.

Nec negligendum hoc S. Francisci Salesii monitum, quod confessio charitatem erga proximum

non laedat, v. g. si quis confitetur se adversus superiorem locutum esse ob correptionem ab ipso factam nimis severam, sufficit ut dicat se adversus superiorem murmurasse. Dicendum est enim malum factum a poenitente, non peccatum alienum. Pariter nihil inutile in confessione dicendum, v. g. non sufficit innuere de cogitationibus vel distractione circa orationem, quod nimiam curam non adhibuit ad eas repellendas; dicendum potius utrum adfuerit negligentia etc. Non expedit proclives esse, ait ipse, ad confitendas leves imperfectiones, nam non tenemur confiteri venialia; tamen cum haec confitemur opus est ut saltem de quibusdam emendationem sincere quaeramus (cf. tract. XVIII).

Quidam poenitentes confundunt tristitiam poenitentiae cum mali detestatione, adeo ut dubitent de validitate confessionis si afflicti non inveniantur (1); quidam vero non bene se confessos esse putant si multum non fuerint locuti in confessione (2).

(1) *La tristezza della vera penitenza*, ait S. Franciscus Salesius, *non devesi scambiare col dispiacere o sentimento o detestazione del male: tristezza che non è mai nè noiosa, nè dispiacevole; tristezza che non rende stupido lo spirito, sì bene pronto e diligente; tristezza che non abbatte il cuore, ma lo solleva con la preghiera e la speranza e gli fa fare slanci di fervorosa devozione; tristezza la quale, nel forte della sua amarezza produce sempre la dolcezza di un'incomparabile consolazione, secondo il precetto di Sant'Agostino: « Il penitente si rattristi sempre, ma sempre goda della sua tristezza »* (*Teotimo*, XI, 21).

(2) « Curandum est, ait Catechismus Conc. Trid., ut Confessio nuda, simplex, et aperta sit, non artificiose composita, ut a nonnullis fit, qui potius vitae suae rationem exponere, quam peccata confiteri videntur. Ea enim Confessio esse debet, quae nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret. Quod si vel peccata non recensentur, vel alieni a re quam tractamus, sermones inseruntur, perspicuum est, Confessionem hac virtute carere.

« Vehementer etiam commendandi sunt, qui prudentiam et verecundiam in explicandis rebus adhibent; neque enim nimis multis verbis agendum est, sed, quae ad cuiusque peccati naturam et ra-

**169.** — 5. **Consuetudo in venialibus.**

Inter pias animas facile inveniuntur haud paucae in peccatis venialibus habitualiter degentes quin ea corrigere serio velint. Assidue Confessarium adeunt ut semper eadem confiteantur.

Quocirca Confessarius haec S. Alphonsi retineat: «Hos poenitentes, qui afferunt tantum peccata venialia, sed habitualia, non absolvat, nisi perspectum habeat illos vere poenitere, et verum propositum habere, saltem de aliquo illorum; aut nisi exhibeant pro materia certa aliquod gravius peccatum anteactae vitae, ut notandum est Tr. 16, n. 23. Quot confessiones invalidae (quae in se sunt vera sacrilegia) quotidie committuntur ob confessorum socordiam!» (*H. A.* app. IV, § 1, n. 17).

Docere, igitur, eos oportet doctrinam circa venialia. Pro confessione venialium requiritur et sufficit habere efficax propositum saltem unum venialium vitandi; vel sibi proponere emendationem de aliquo genere venialium; vel velle vitare omnia peccata deliberata; vel tandem velle *firmiter* et efficaciter minuere frequentiam et multitudinem venialium. Nullum tamen tibi remittitur veniale de quo non doleas. Necesse est, igitur, poenitentes monere de necessitate doloris, nam absque voluntatis mutatione non remittitur peccatum, ut demonstrat S. Thomas (P. II, q. LXXXVI, a. 2). Quoniam autem plerumque luce necessaria carent qua materiam peccati venialis dignoscere valeant, et motiva ignorant quibus voluntas ad eorum detestationem movetur, saepe expedit illis ea suggerere ut ad absolutionem et postea ad alias confessiones melius sese disponant.

tionem pertinent, brevi oratione, quae modestiam coniunctam habeat aperienda sunt» (P. II, n. 255).

Intelligant poenitentes peccatum veniale adversari mediis necessariis ad finem ultimum consequendum, unde anima deflectit a medio apto et necessario ad proficiendum in Dei amore eiusque possessione; item, noscant peccatum veniale esse malum absque ulla proportione maius omnibus malis huius vitae; ad peccatum mortale disponere et animam valde debilem atque infirmam efficere: a Deo terribiliter punitum esse in hac vita et terribilius in altera, nempe expiatorio igne purgatorii.

Confessarius autem meminerit illa S. Bernardi verba: « Nemo dicat in corde suo: Levia sunt, non curo corrigere; non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Haec est impoenitentia. Haec est blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis » (*Sermo* 1).

**170.** — 6. **Quando gravitas ob venialia.**

In huiusmodi poenitentibus qui magna cum facilitate et frequentia venialiter peccant, dispositio haud parva, proxima ad peccatum mortale inveniri potest. S. Thomas ac S. Bonaventura, cum aliis, affirmant quod etsi plura venialia, etiamsi innumera, peccatum grave non constituant, tamen in eorum facilitate et frequentia contemptus interpretativus Dei offensionis latet: « Plura venialia non faciunt mortale, ait S. Bonaventura, quantum est de se, sed solum dispositive; ex frequenti enim iteratione intervenit contemptus ». S. Thomas autem demonstrat peccatum veniale directe aut indirecte ad mortale disponere (P. II, q. LXXXVIII, a. 3).

Interdum cum istiusmodi poenitentibus convenit et quandoque necessarium est cum discretione absolutionem differre, cum, nempe, receptis monitis et hortationibus, mediis assignatis et promissis repetitis, adhuc emendari non coeperint; vel quando

culpa venialis, saepe commissa, talis sit naturae quae per se ipsam ad culpam gravem eiusdem speciei ferat. Poenitens dispositus ad quamcumque culpam, modo noscat sit venialis, iudicandus est reus peccati gravis, etiam secundum benigniores theologos (cf. Antoine, *De peccatis*, c. II, q. IX), quia christianus voluntatem habere debet proficiendi in charitate, vel saltem non contrahendi contrariam dispositionem quae est non proficiendi vel contentus esse charitatem non amittendi. Praestat hic verba S. Thomae afferre: « Sicut peccatum mortale remitti non potest quando voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale... Ad poenitentiam venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus; quia hoc infirmitas huius vitae non patitur; debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset et periculum deficiendi cum desereret appetitum proficiendi seu tollendi impedimenta spiritualis profectus » (P. III, q. LXXXI, a. 14).

**171.** — 7. **Venialitates periculosiores.**

Poenitens breviter et simpliciter motivum seu motum passionis qui ad culpam duxit exponat, v. g. causam actus alicuius irae, impatientiae, mendacii, tacendo tamen quod manifestare potest alterius defectum. Ita S. Franciscus Salesius (*Philothée*, P. II, c. XIX). Hoc modo potest Confessarius scire quae inter culpas veniales quas poenitens confitetur, graviores sint in se ipsis vel in suis effectibus, praesertim scire eas quae periculosiores sint quatenus proximius ad culpam gravem eiusdem speciei disponant, v. g.: notabilis negligentia circa cogitationes contra castitatem, maxime vero si in iis mens immoretur otiose et curiose; facilitas in iu-

rando, etsi iuxta veritatem, vel in murmurando quamvis leviter; quaedam libertas alienum sibi usurpandi in rebus levioris pretii; impatientia notabilis; indignatio et similia.

Severitatem vitando, cogitet tamen Confessarius haec S. Bonaventurae: « Cum magna diligentia est vitandum omne peccatum: multa enim creduntur esse venialia quae mortalia sunt, et difficillimum est in talibus discernere, et ideo quasi a facie colubri necesse habet homo, qui vult salvari, peccatum fugere » (*De poen.*).

**172.** — 8. **Delectationes culpabiles.**

Obiectum particularis doctrinae poenitenti communicandae est delectatio periculosa circa cogitationes.

Iuxta B. Bonaventuram duratio temporis in quadam mala cogitatione non efficit per se ut quod erat culpa venialis fiat mortalis, sed occasionaliter quatenus, videlicet, mora notabilis in ea cogitatione sit vel esse possit causa in voluntate, realis, expressi vel interpretativi consensus. Tunc autem mora in mala cogitatione inducit consensum verum atque realem cum crescente libidine et oblectamento sensibili, christianus in ea immoratur et delectatur. Inducit vero et causat consensum interpretativum cum advertens homo periculum oblectamenti ex mala cogitatione procedentis, negligit tentationi obsistere, praesertim cum externae tentationi et impurae imaginationis oblectamento additur, ut ordinario contingit, corporis alteratio quae absque carnalis voluptatis principio quodam non est, imo interdum cum periculo pollutionis magis minusve proximo. Hoc in casu, non desistendo, non reprimendo tentationem, adest consensus interpretativus, contemptum aeternae salutis propriae

continens, quatenus gravi peccandi periculo se committit. Nam tentatio illa sicut serpens intrat et venenum effundit quo anima peccati morte occiditur. Quemadmodum, ergo, sollicitudinem ullam haberet de propria corporali salute qui prope seipsum serpentem teneret liberum; ita qui voluntarie in mala cogitatione immoratur dum graviter illicitur a delectatione ad consensum et advertens vel potens et debens advertere periculum grave, manet tamen in eadem cogitatione, re ipsa demonstrat non odisse peccatum nec curam habere de propria aeterna salute; unde, sicut docet magister sententiarum, graviter peccat (cf. lib. II sent., dist. XXIV, p. II).

Determinari non potest, iuxta S. Thomam, quantum temporis requiratur ut mala cogitatio fiat mortale vel veniale peccatum. Iudicandum est ex qualitate et vi tentationis et ex poenitentis habitualibus dispositionibus. In dubio, poenitens confiteatur quasi peccasset. En S. Doctoris verba: « Quod si non advertat aliquando, propter tenebras et involutiones affectionum, securiorem partem debet eligere et confiteri pure, sic, et dolere quasi peccaret mortaliter ». Monet ipse S. Doctor, multa cum diligentia custodiendam esse mentem ne cogitatio mala subrepet; praesertim, ut etiam monet S. Augustinus, circa impuras cogitationes evigilandum, nam magis alliciunt, magisque ad has nequitias inclinatur homo a concupiscentia, ac proinde maius est periculum (I-II, q. LXXIV, a. 6) (1).

(1) Qui se accusat de mala cogitatione interrogandus est an cognoverit esse peccatum: si respondeat eam statim detestatam fuisse statim ac cognovit turpem esse, innocens iudicandus est; si vero, non plene advertendo ad malitiam, illi adhaesisse dixerit, facile de solo veniali damnandus; si tandem nesciat se expedire ab iis interrogationibus, praesumendum est eum non consensisse vel saltem plene, praesertim si timoratae sit conscientiae.

Facile suspicari debet confessarius de delectatione morosa in his

**173.** — 9. **Excusatio periculosa.**

Excusatio quam afferunt quidam poenitentes nempe se in quibusdam circumstantiis vel actionibus malitiam non habuisse, reprehendenda est benigne, sed opportune tollenda. Opinantur enim se non habuisse malitiam quatenus in actione illa prava oblectamentum non sint experti, nec minus rectam intentionem foverunt. Dicendum ergo est illis malitiam hoc in casu consistere in eo quod sciant actionem in se esse malam et nihilominus illam exequi velint. Intentio prava aggravat peccatum, sed etiam absque ea peccatum grave, saltem scandali, haud raro esse potest et certe adest.

**174.** — 10. **Diligere inimicos.**

Quidam poenitentes opinantur sufficere quod ipsi offensam dimittant inimico, sed se non obligari ad dandum ei signa communia dilectionis. Hos autem docere oportet quod necesse est inimico malum non velle nec denegare ei signa communis benevolentiae, v. g. orationes communes, eleemosynas ordinarias, salutationis restitutionem, interrogationi responsionem, rerum quae publice veneunt venditionem, et similia quae amoris sunt signa communia. Haec autem communis benevolentia, licet dici non possit obligatoria ubicumque nec pro quavis persona, est tamen obligatoria in maiori circumstantiarum parte.

Cognatis et affinibus dari oportet illam demonstrationem amoris quae huiusmodi personis tribui solet; et proximo quoad domicilium et notis eam

qui libenter audiunt turpia, licet videantur gaudere solum de modo ingenioso, quo peracta fuerint. Caute procedat confessarius cum his, qui gaudent de emolumento proprio vel de bono spirituali proximi, quod oritur ex peccato vel ex damno proximi; facile enim gaudium de ipso peccato vel damno esse poterit (Cfr. Ferreres, *l. c.*, n. 254).

quae ceteris huiusmodi proximis et notis offerri debet. Paucis verbis, signis benevolentiae communibus dandis Confessarius obligare debet poenitentem iuxta S. Thomae doctrinam (II-II, q. xv, a. 8 et 9), excepto quod occurrant tales circumstantiae ob quas si ea signa darentur malum potius quam bonum parerent.

Suggeratur poenitenti quod in materia hac charitatis fraternae tutius est nempe aliquid amplius facere quam quod stricte exigitur, cum agatur de virtute maxime necessaria. Cum statui non possit iustum ac infallibilem gradum necessitatis, si aliquid addatur, conscientiae requies tribuitur (1).

Qui prior fuit in iniusta offensione, potest a confessario obligari ut incipiat reconciliari verbo aut salutatione, nisi tamen offensa sit levis vel notabilis adsit disparitas naturalis, vel civilis, vel sacra. Hoc in casu observanda quae suggerit S. Augu-

(1) De Beato Ioseph Cafasso legimus: *Incontrandosi con una persona che nutrisse astio contro il suo prossimo, egli cominciava per cercare, se veramente avesse odio in cuore.* « *La quintessenza di esso, egli diceva, consiste nel desiderar del male ad un altro; quindi una persona quantunque abbia bile con un'altra, non possa vederla, se non giunge al punto di desiderarle del male, non la odia* ».

*Conosciuto che realmente chi a noi ricorre ha l'odio in cuore, come dobbiamo regolarci? diceva il B. Cafasso in Conferenza.* « *L'odio va assolutamente deposto, egli rispondeva, e per questo da chi lo nutre si devono esigere tre cose: ch'egli non voglia più male al suo offensore, che gli voglia anzi bene, e che cotesti sentimenti gli manifesti con qualche dimostrazione esterna, dandogli cioè quei segni di benevolenza, che i teologi chiamano comuni. Riguardo ai due primi obblighi, egli continuava, occorre usar molta prudenza per ridurre il penitente a soddisfarli senza inasprirlo. E la preghiera essendo uno dei più grandi atti di benevolenza che si possano usare ad un nostro simile, il B. Cafasso suggeriva di ottenerne una da lui per il suo nemico. Se ciò gli ripugna, lo si induca almeno a pregare secondo le intenzioni del confessore. Ottenuto questo si lodino le sue disposizioni e gli si dica: Voglio che mi permettiate di farne parte a quel tale, che io non conosco* » (*Vita*, l. c., p. 336).

stinus: « Si peccat dominus in servum, et non potest dicere illi, quia non oportet: Da mihi veniam; blande alloquatur. Blanda enim appellatio veniae est postulatio » (*Hom.* 40 ex 50).

Cum his qui tenentur obviam ire offenso et nolint huic obligationi satisfacere, procedatur cum charitate et benignitate hortando et etiam rogando quantum expediat, antequam absolutio impertiatur.

Qui est offensus et reconciliari desiderat inimico, qui tamen recusat, non tenetur nisi ad illud quod dicit S. Augustinus: « Si paratus es dimittere, iam dimisisti. Habes adhuc quod ores: ora pro illo, ut petat a te veniam, quia scis ei nocere si non petat » (*Hom.* 40 ex 50).

Non adest obligatio inimicum offensorem salutandi (id est salutatione praevenire) nisi tamen antea fieri hoc solebat, nec visitare eum infirmum, vel moerore repletum; haec enim signa sunt specialis benevolentiae.

Quaeritur utrum expediat permittere poenitenti enarrationem facti quo offensus est rationesque suae aversionis in offensorem, ut animo sublevetur et melius ad reconciliationem et ad absolutionem disponatur. Certe, haec laudabilis non est praxis, quia poenitens, qua reus, advocati partes gerere non debet; unde melius est eum docere de charitatis necessitate et de bonis illis obventuris ob reconciliationem cum inimico faciendam (1). Item, do-

(1) De eodem B. Cafasso haec addenda: *Siccome confessandosi coloro che nutrivano grandi odii subito parlavano di quello, egli* non li lasciava dire; *se ne sarebbe poi parlato al termine della Confessione, tanto più che si trattava di cosa tanto facile da aggiustare. E non piegandosi i penitenti a tacere, ei ripeteva la raccomandazione, ed interrogava di altre cose. Giunto alla fine* sentiva un poco quello che avevano da dire su questo punto *per farsi un'idea dell'integrità della Confessione, e poi soggiungeva: « Veramente ve l'han fatta grossa. Non eravate meritevole di esser trattato così, pover'uomo, ma voi ringraziate il Si-*

cendus est poenitens se omittere posse signa benevolentiae communia tantummodo pro eo tempore quo inutilia atque nociva iudicantur, modo tamen amicos advertat ne scandalum patiantur.

Si offensus et offensor odium quidem deponere velint et in posterum signa benevolentiae communia ad invicem dare, sed amplius non cum pristina familiaritate se tractari statuant, inquietandi non sunt. Neque illicitum est, dimissa offensa, ad legitimum tribunal recurrere veritatem declarando, dummodo sententia iudicialis non invocetur ob vindictam (quam difficile hoc in casu!) nec petatur ut poena augeatur. Hoc autem suggerendum his tantum qui obstinatiores sunt circa reconciliationem cum inimico (1).

**175.** — 11. **Famam alienam tueri.**

Perutile erit tempestive et opportune monere poenitentem quod taceri potest species peccati quando

*gnore che siete venuto a confessarvi; e quello là che ne ha più bisogno dovrebbe pure andare. Là, facciamo una preghiera per lui; per penitenza direte due* Ave Maria, *una per voi, l'altra per esso ». E diceva che per lo più non accettavano, od accettavano con sudori copiosi. Allora diminuiva la dose, e chiedeva che la dicessero almeno per compiacenza verso il confessore, e quasi sempre vi riusciva. Nei pochi casi di causa perduta domandava licenza di lasciarlo pregare lui per quel tale, contro cui aveva odio, ed ottenuta questa, egli era in porto* (l. c., p. 337).

(1) *Interrogato inoltre, se perdonata l'offesa si poteva ancora chiedere ragione in Tribunale dell'ingiuria, diceva che, se l'offensore non aveva offerto in privato conveniente riparazione dei danni, quando ci fossero stati, certo lo si poteva fare senza timore di ricadere nell'odio. Ma, se quegli si fosse umiliato, avesse chiesto scusa e offerta conveniente riparazione dei danni reali, lo si doveva con forza consigliare di accettarla e di desistere dai tribunali; « dico consigliare, diceva il B. Cafasso, perchè a rigore di termini la giustizia gliene darebbe il diritto. Potrebbe tuttavia avverarsi il caso che glielo proibisse la carità per il danno che questo suo passo procurerebbe all'altro, come ad esempio la perdita della fama o dell'impiego »* (*Vita*, l. c., p. 340).

dici non possit absque complicis manifestatione; unde S. Thomas vult « qui cum sorore concubuit, ut, si fieri potest, quaerat talem confessorem qui personam sororis penitus non cognoscat » (*Opusculum* XII, q. v); sed si poenitens loqui velit impediendus non est; si vero anceps sit et in angore spiritus utrum manifestare debeat annon, hortetur ad dicendum absque timore laedendi alienam famam, cum sit necessarium ob conscientiae tranquillitatem: « Qui alias non potest confiteri peccatum, ait S. Raymundus, nisi crimen alterius dicat, ut si cognovit matrem vel filiam vel simile, non detrahit; quia non dicit ut alium gravet, sed ut se liberet, quod alias facere non posset » (Lib. III, p. 24).

Quoad incestum nota, non differre, *probabilius*, consanguinitatem ab affinitate, neque consanguinitatem a cognatione legali; sed certe differt cognatio carnalis a spirituali. Gradus autem *saltem probabiliter* non constituunt speciem diversam, nec primus gradus. Unde non est interrogandum de his. Neque est accusanda circumstantia dignitatis personae, nisi adsit scandalum vel specialis obligatio curandi de salute spirituali eius cum quo peccavit. Neque circumstantia temporis sacri per se. Tamen peccaret speciali modo, ait Lehmkuhl, si quis exhiberet ludos publicos die Parasceves, vel si statim post Communionem, dum adhuc manet Hostia incorrupta, peccatum impurum committeret.

Secundum opportunitatem doceatur poenitens quod ut dispensetur ab integritate materiali in accusatione facienda, ob impotentiam *moralem*, requiritur ut omittantur tantummodo ea peccata quae absque gravi incommodo declarari non possint; modo tamen hoc incommodum reale sit non imaginarium, et adiri non possit alius Confessarius cum urgeat confessio vel summe utilis sit.

**176.** — 12. **Frequens imprudentia.**

Ad personas rudes quod attinet, etsi videantur ignorantes circa fidei veritates, contingit saepe ut interrogati respondeant quantum sufficit ad absolutionem recipiendam, et manifestent se credere optima fide, quamvis rude loquantur. Non enim confundunt motivum formale fidei cum motivo credibilitatis, sed satis distinguunt non ratiocinio, sed gratiae divinae secreto auxilio. Quantum vero ad actus virtutum theologarum, antequam iudicentur ut indigni absolutione hi qui hos ignorant, expedit examinare an sciant *Credo* et *Orationem Dominicam*, et intelligant ea modo sufficienti ac substantiali pro eorum captu, et aliquo modo contritionis vel attritionis actum elicere valeant.

Cum autem in poenitente evidens sit ignorantia circa necessaria ad recipiendam gratiam sanctificantem, moneri debet de obligatione ea addiscendi illique tamquam poenitentia imponi potest, pro casu, praesentia ad catechismi explicationem. Saepe tamen necesse est tales illico instruere, simul cum ipsis recitans Confessarius actus virtutum theologicarum necnon contritionis actum et docere eos breviter mysteria principalia. Remittere eos ad aliud tempus, imprudentia est, ait S. Leonardus.

**177.** — 13. **Quaedam circa Baptismum.**

Parochus tenetur ad instruendos fideles, maxime coniugatos, obstetrices, chirurgos, de modo et obligatione baptizandi fetus abortivos etiam paucorum dierum aliosque infantes quamvis adspectum plane cadavericum praeseferant, dummodo putrefacti nondum sint (1).

(1) Unde, Confessarius canones meminerit: « Can. 746, § 1. Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit. — § 2. Si infans caput emiserit et peri-

Parentes graviter peccare videntur qui Baptismum ad mensem differunt, etsi id faciant in gratiam patrini adventuri, vel familiae congregandae sol-

culum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus. — § 3. Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus. — § 4. Si mater praegnans mortua fuerit, fetus ab iis ad quod spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute; si dubie, sub conditione. — § 5. Fetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet. — Can. 747. Curandum ut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie, sub conditione. — Can. 748. Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione; in dubio autem unusne an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione ». (Cfr. etiam can. 749 usque ad 754 inclusive).

Circa infantem non natum baptizandum cum mater sit in periculo vitae ob morbum vel partum, advertendum quod per operationem caesaream qua uterus aperitur, infans faciliter vita et baptismo donatur. Vivente matre, si fieri potest, adhibenda est sinfisiotomia seu dilatatio bacini muliebris per sectionem. Licet indirecte procurare abortum si: *a*) mater morbo letali laboret, *b*) remedia ad curandum morbum sint certa, *c*) non intendatur mors fetus eiusque saluti spirituali, si possibile sit, per baptismum consulatur, *d*) constet matre pereunte, filium ante eam vel simul cum ea periturum esse. Quum certum est fetum interiisse, debet fieri fetus extractio per quamlibet operationem obstetricam ad matris salutem.

Si mater est in periculo mortis et fetus est simul periturus, licebit pungere membranas fetum involventes (non ipsum fetum ferire) vel si adest tumor in utero hunc amputare hoc non est directe fetum occidere. Nunquam licebit uti operationibus, quae nomine embryotomiae veniunt et quae directe fetum occidunt (S. Cong. S. et U. I. 21 maii 1884, 14 aug. 1889, 2 iulii 1895).

Si certum sit fetum in cysti exsistere (in praegnatione extrauterina) et haec in eo est ut abrumpatur cum certa matris et fetus morte utut alii aliud sentiant, ait N. Sebastiani (*Summ. th. mor.*, n. 233) dicendum licere laparatomia uti. Item licet operatio porrensis, idest amputatio utero-ovarica, ad salvandam matrem, (non ad alios quoslibet fines) quum nullus alius succurrit modus, sive in casu praegnationis, sive in morbis uteri, praegnatione exclusa. Amputatio clitoridis in foeminis est licita quia clitoris merum organum voluptatis videtur esse, quod, nullo physiologo dissentiente, nihil confert ad generationem.

lemnitatisve praeparandae. In locis missionum, cum deest sacerdos vel est eum adeundi difficultas, Baptismus a catechistis aliisve probatis laicis illico est administrandus infantibus, licet bona valetudine utentibus; suppleri dein debent a presbytero baptismi caeremoniae.

**178.** — 14. **Sanctificatio diei festi.**

Circa observantiam diei festi, damnandus non est ut peccatum labor de quo non constet prohibitio; nec prohibitus dici potest si non sit certe servilis; servilis autem non est si communis est servis et liberis.

Absolvi potest qui in diebus festi se abstinet quidem ab opere servili, sed Missam tantum audit nec aliud quidpiam agit; attamen hortandi sunt huiusmodi poenitentes ut alia pietatis opera addant, praesertim ut instructionem parochialem audiant. Communis est hodie theologorum sententia quod ad peccatum mortale requiritur labor plus quam duarum horarum; quapropter si dominus quidam servos suos, etsi multi sint, laborare serviliter faciat per has horas, graviter non peccat.

Per se non licet sculpere; excipe probabiliter perficere arte opus. Licet tamen probabiliter pingere, nisi agatur de pictura murali. Item probabiliter imagines acu pingere. Licet venari et piscari, modo non fiat cum magno labore; item iter agere pedibus, equo et curru, et probabiliter ducere currum et iumenta onusta, et ratione publicae utilitatis onerare et exonerare navigia, currus ferreos... si aliter commode fieri nequeat. Probabilius licet molere die festo, si mola volvatur aqua vel vento, et fere nullus hominum labor requiratur; secus non licet.

Notandum circa Missae auditionem: satisfacit,

qui audit Missam ignorans illam esse illo die praeceptam, atque etiam si cognoscens hoc, velit nunc tantum satisfacere devotioni cum proposito aliam audiendi. Non vero satisfaceret si voto adstrictus ponit opus intendendo expresse non satisfacere; neque satisfacit qui omnino coactus Sacro interest; neque qui assistit extra templum multum a longe manens (plusquam 44 metros?), neque qui duas dimidias Missas simultanee audiat, neque qui culpabiliter omittit partem usque ad offertorium, vel ab initio usque ad Evangelium et iterum a communione usque ad finem, vel canonem a consecratione usque ad *Pater noster*, vel unam vel alteram consecrationem.

Alia quaelibet omissio erit levis saltem probabiliter. Nec, iuxta Suarez, tenebitur quis illam supplere neque *sub levi*, quia ut supponimus est involuntaria et casualis. Si post consecrationem *ultimi* Sacri advenis, probabiliter non teneris reliqua audire. Probabiliter satisfaciunt praecepto qui tempore Missae confitentur peccata, si sacerdotem quodammodo audiunt et habent intentionem illam audiendi. Satisfaciunt: clericus recitans divinum officium, item sacristae, musici, organistae, tympanistae, etc., dummodo ab ecclesia non recedant nisi ad breve tempus. Non autem satisfaciunt qui de re seria confabulantur per notabilem Missae partem, imagines attente considerant, etc.

Non peccat qui iter sabato arripit praevidens futurum ut sequenti die dominica non possit audire Missam. Peccaret vero qui sine causa id faceret *eadem die* dominica vel una alterave hora ante.

**179.** — 15. **Ieiunium et abstinentia.**

Haud raro Confessarius sequentes canones poenitentibus recordari occasionem habet:

« Can. 1250. — Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

« Can. 1251, § 1. — Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

« § 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare.

« Can. 1252, § 1. — Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis (1).

« § 2. — Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in coelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

« § 3. — Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus.

« § 4. — Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem.

(1) Ex animadversione Sacrae Congregationis Concilii clarius constat quod peregrini non tenentur ad servandas leges *particulares* territorii in quo versantur, licet id libere possint, et ideo v. g. per se non obligantur ad servandam abstinentiam feria IV loco sabbati, prout teneantur incolae loci, licet id libere possint. Tenentur igitur abstinere a carnibus feria VI, vel feria IV (Cfr. *A. A. S.* IV, 94).

Omnes qui Conventum Eucharisticum adiverint, lege abstinentiae et, si quando occurrerit, ieiunii, etiam durante itinere, non adstringuntur; pro populo vero loci, ubi Conventus fit, Ordinarius, secundum praescriptum canonis 1245 Codicis iuris canonici, iure suo utatur (Cfr. *Ibid.*, XVI, 157).

« Can. 1253. — His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis.

« Can. 1254, § 1. — Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint.

« § 2. — Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum ».

Qui omittit consultare medicum et confessarium ad omittendum ieiunium, dummodo vere motivum adsit dispensationis, non est inquietandus, nam vigere iam non videtur clausula: *de utriusque medici consilio.*

Peccat qui die ieiunii sine causa laborem assumit quo impotens ad ieiunandum redditur.

**180.** — 16. **Vota privata.**

Interdum dubia poenitentibus piis circa vota particularia auferenda sunt. In dubio utrum votum emissum fuerit vel non, post diligens examen, pro negativa standum est, nam *in dubio melior est conditio possidentis;* si dubitatur an votum sit validum ob advertentiam et voluntatem requisitas, pro affirmativa standum, quia *omne factum praesumitur recte factum,* et praevalet votum; si poenitens oblitus sit verba quibus votum emisit eiusque extensionem, pro eo quod est minus standum est, quia *obligationes gratuitae sunt potius restringendae;* in dubio positivo utrum votum impletum fuerit, pro negativa standum erit, nam votum praevalet.

Ad dispensationem requiritur causa iusta quae hac regula exprimitur: dispensatur a voto, quando eius observantia esset in ruinam spiritualem ob ali-

quam circumstantiam adnexam, vel periculum esset voventis ob perplexitatem conscientiae, vel impedimentum ad maiorem spiritus utilitatem.

Cum causa non sufficit pro dispensatione, votum ex parte dispensari, ex parte commutari potest. Interrogetur poenitens quaenam bona opera agat, quae non sint de praecepto, quibusnam magis inclinetur et in ea votum saltem ex parte commutetur, exceptis votis reservatis.

Ne Summus Pontifex quidem dispensare potest, nec commutare votum emissum in favorem tertiae personae determinatae et iam acceptatum, nisi haec consentiat circa mutationem.

Sub reservatione non cadunt vota conditionata, etiam post verificatam conditionem (nam *si* tunc aequivalet *quando*); nec vota disiunctiva.

Si tempus ad finiendam obligationem voti fuerit praefinitum, illo transacto quin votum adimpleverit, vovens ad nihil aliud tenetur, nisi ad peccati poenitentiam; si tamen tempus tantum ad urgendam obligationem praefigatur, iuxta plures nulla dilatio erit gravis, dummodo periculum non sit oblivionis vel impossibilitatis.

**181.** — 17. **Superstitiones et hypnotismus.**

Confessarius quin illico damnet quasdam parvas superstitiones, operam det ad eas paullatim evellendas ex poenitentium animo. Instrui certe debent personae de vulgo qui actus superstitiosos ignorantia aut simplicitate faciunt, sed non expedit eis dicere omnes operationes maleficas esse fabulas: nam constat vere operari maleficia ope daemonis. Doceantur circa somnia quod imprudentiae est credere ea a Deo semper venire etiamsi bona sint; non hoc medio utitur ordinarie Deus et si quando somnis nos instruit, clare id innotescere facit.

Non est illicitum adhibere alicuius rei efficaciam cognitam ope superstitionis, si tamen eius usus absque daemonis concursu fieri possit. Nec illicitum est adhibere remedia naturalia et idonea ad sedandos humores et imaginationem quietandam eius qui sub influxu diabolico se esse opinatur. Videtur quod quibusdam, qui *salvatores* dicuntur, virtus naturalis sit curandi quasdam infirmitates crucis signo vel sacris verbis et similibus.

*Quod ad hypnotismum superiorem* i. e. occultismum attinet, non licet exequi illius experimenta sive activa sive passiva, nec subditis ea permittere, nec adsistere ob curiositatem, nam ita agendo ea approbarentur vel saltem periculum seductionis incurrendum esset. Si theorice disputandum esset de experientiis iam factis, cuiuscumque generis, periculum scandali vel superstitionis auferendum esset et parati esse deberent disputantes stare Ecclesiae voluntati, quin personam theologi gerere velint (Cf. S. Uff. 29 Iul. 1899) (1).

Licitus tamen est hypnotismi naturalis usus, si vitatis omnibus quae dedecent (i. e. si non quaerantur effectus certe supernaturales, si non intendantur effectus inhonesti, si non inducatur hypnosis per media in se mala) adsit gravis causa, sufficientes cautelae adhibeantur et fiat cum consensu hypnotizati. Causae graves possunt esse: morbum depellere, cui sanando aliud medium deest, et progressus scientiarum quarundam, v. g. medicinae (Cf. Ferreres, *op. cit.*, n. 365).

(1) Iuxta responsum S. Officii, 24 apr. 1917 (*A. A. S.*, IX, p. 268), non licet per *medium*, ut vocant, vel sine medio, adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis prae se ferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle.

**182.** — 18. **Ornatus et castitas mulierum.**

Docere oportet quasdam mulieres circa ornatum. Per se, non peccat graviter mulier ornatum superfluum gerens aut vultum moderate pingens, dummodo non ad pravum finem id faciat. Si denudatio pectoris non esset immoderata et alicubi vigeret ista consuetudo, ait S. Alphonsus cum sententia communissima, esset quidem exprobranda, sed non omnino damnanda de mortali. Immoderata tamen dicenda est hodie.

Docentur mulieres ornatum moderatum esse virtutis actum, sed cum eis caute procedendum quia facile permissione abutuntur (1).

(1) « *In ordine alla modestia,* dicebat ad alumnos B. Cafasso, *il confessore non deve entrare in particolari, nè permettere che la penitente esprima anche solo il nome di questa o quella foggia di vestire; ma si limiti ad interrogarla se è decente il modo con cui sta in pubblico e in casa, rimettendosi al suo giudizio, o rimandandola a quello di donne coscienziose. Tutt'al più, egli soggiungeva, le si può consigliare di tenersi sempre vestita in modo che, se venisse sorpresa dalla morte in quell'acconciatura, non abbia ad esserne malcontenta. Senta, diceva egli ad una di queste persone, ella sa meglio di me quello che convenga e quello che no. Sappia dunque che sia in casa, sia fuori, ella è obbligata a conservare la decenza cristiana. E su questo, egli concludeva in Conferenza, bisogna tener molto fermo* » (*Vita,* aut. cit., p. 347).

De S. Francisco Salesio legimus: *En toutes choses, l'exquise mesure de son goût le portait à prendre position hors des excès. Ce point de justesse, de décence et de bon goût, qu'il nous invite à chercher sans cesse, n'est pas identique pour tous. Il varie selon l'âge, la condition, le moment... Cette règle empirique de juste milieu est évidemment d'elle-même un peu flottante. A se régler seulement sur son entourage il peut arriver qu'un jour Philothée passe les bornes. Tout en gardant ses distances, tout en se poudrant, se décolletant, s'écourtant moins que ses voisines, elle peut fort bien, à des époques de décadence et de libertinage, verser elle-même dans l'impudeur. Aussi bien, saint François de Sales compte-t-il implicitement, ici comme en toutes choses, pour faire trouver à ses filles un point fixe de décence, sur la force d'amour divin qu'il a mise dans leur cœur, force qu'il sait être la suprême inspiratrice et régulatrice de la vertu. En dépit des traits aigus que nous l'avons vu décocher tout à l'heure aux élégantes et aux muscadins trop calamistrés,*

Quoad castitatem virgo *tenetur* ad mortem vitandam sinere ut ab alia foemina curetur; et *potest*, sed non tenetur, subire manus chirurgi, etiamsi operationem respuendo vita periclitetur, quando ei illud gravissimum foret; potest se exponere ad certum periculum vitae non ad mortem certam, vel permittere se occidi potius quam violari.

**183.** — 19. **Circa blasphemias et secreta.**

Non peccat graviter qui daemoni maledicit, nec qui sibi ipsi vel aliis absque vera intentione imprecatur: hoc enim potius ira quam mali desiderium est. Generatim non est blasphemia si indignatio feratur in creaturas absque relatione ad Deum, etiamsi quis toti mundo malediceret. Non peccat graviter qui mortuis, non autem animabus purgatorii maledicit, neque qui pronuntiat verba in se blasphema, sed dimidiata aut corrupta, neque qui ex inveterata consuetudine iam retractata in blasphemias indeliberate prorumpit, si tamen seriam voluntatem emendationis et media ipsi proposita adhibeat. Cum autem consuetudinarii plerique, ait Ferreres, sine plena advertentia blasphemias edant, minus necessaria est expressio numeri earum.

Circa *secretum*, venialiter peccat etiam in materia gravi qui violat secretum quin advertat ad rei gravitatem vel immemor sit secreti, nec qui revelat secretum uni vel alteri viro probo et sub eodem secreto. Secretum promissum non obligat quoties interrogaris a superiore vel a iudice; te-

*il est plein de condescendance pour les éternelles petites faiblesses humaines qui nous portent à rechercher la parure de notre corps. Non seulement il permit aux mondains de faire discrètement toilette, mais en certains cas il leur en fait un devoir* (Francis Vincent, *S. François de Sales directeur d'âmes*, p. 285-287).

neris cum magno incommodo servare non tamen cum vitae iactura, si promiseris servare inviolabiliter. Secretum commissum in his casibus etiam servari debet.

**184.** — 20. **Libri ac spectacula.**

Etiamsi quis licentiam obtinuerit legendi libros prohibitos, si ex his occasionem proximam perversionis hauriat, tenetur ea licentia non uti (Cf. can. 1405). Qui ab Apostolica Sede licentiam obtinuerint legendi hos libros, non ideo possunt etiam legere prohibitos a suis Ordinariis, nisi in apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos (Cod. I. C. can. 1403, § 1). Insuper gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant (Ibid., § 2). Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum (Can. 1405, § 2) (1).

Circa *spectacula* dicendum quod hodie professio

(1) Notandum nomine librorum, sive quoad prohibitionem sive quoad censuram (vid. infra, n. **200**), venire: *a*) publicationes typis editas, non manu scriptas; *b*) aliquo volumine constantes et proinde libri censentur publicationes periodicae *in fasciculos colligatae*, non vero quae exiguo foliorum numero consistunt et independenter prodeunt, ut ex. gr. orationes (*discorsi*), nec per se diaria, quae quotidie prodeunt.

Notandum item quod cum prohibetur *legere* sub poena censurae haec non respicit eos qui audiunt legentem. Datur in re parvitas materiae, ut si non legatur ultra paginam, dumne in illa dumtaxat pagina doctrina proscripta contineatur. Item *retinere* non dicitur qui expectat opportunitatem tradendi Ordinario librum prohibitum, vel veniam legendi, neque qui retinet vendendos ei cui est legendi licentia. Editores intelliguntur tum auctores tum domini officinae editricis et qui operam proximam libris edendis praestant, nisi tamen dent cooperationem mere materialem ob grave damnum.

scenicae artis corporum prostitutionem publicam fere constituit; unde caute procedere debet Confessarius cum poenitentibus qui huiusmodi spectaculis intersint. Holzmann et Lacroix damnant de mortali, propter scandalum aliorum, tum eos qui plausu vel pecunia cooperantur ad comoedias notabiliter turpes, tum eos qui illas non impediunt cum commode possent, tum a fortiori qui illas repraesentant.

## Articulus VII.

## Satisfactiones iudicialiter iniungere.

**185. — 1. Notio prae oculis habenda.**

Circa satisfactiones poenitentibus pro peccatis iniungendas, multum confert ad hoc ut Confessarius recte, sapienter ac iudicialiter simul ac paterne sese gerat, notionem satisfactionis bene retinere. « Est autem satisfactio, ait Catech. Conc. Trid., P. II, n. 259-260, rei debitae integra solutio: nam quod satis est, ei nihil videtur deesse ». Quare cum de gratiae reconciliatione loquimur, idem satisfacere significat, quod alteri tantum praestare, quantum irato animo ad ulciscendam iniuriam satis esse possit; atque ita satisfactio nihil aliud est, quam iniuriae alteri illatae compensatio. Quod autem ad hunc locum pertinet, satisfactionis nomen divinarum rerum doctores ad declarandam eam compensationem usurparunt, cum homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit. Quo in genere quoniam multi gradus esse possunt, hinc fit, ut satisfactio varie accipiatur... Verum qua de causa factum sit, ut poena omnis Poenitentiae sacramento, aeque ac Baptismo non condonetur, praeclare a sancta Tridentina Synodo (Sess. XIV)

explicatum est his verbis: «Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae; procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coërcent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt» (Sess. XIV, c. VIII).

Satisfactio itaque punitiva et medicinalis seu praeservativa esse debet. Unde Confessarius hoc intendat in satisfactionibus iniungendis ut poenitens peccata aliquo saltem modo expiet et ad sacramenti pietatisque exercitia attrahatur adeo ut discrete oneratus saepe revertatur et spiritu convalescat. «Sicut exiguus ignis extinguitur, ait S. Thomas, si multa ligna superimponantur, ita accidere posset quod parvus poenitentis contritionis affectus pondere poenitentiae deficiat. Melius est quod sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset iniungenda, et iniungat nihilominus quod poenitens tolerabiliter ferat» (*Suppl.*, q. XXVIII, a. 24).

Neque enim, ut observat S. Ioannes Chrysostomus, temere ad peccatorum modum oportet et poenam adhibere, sed peccantium propositum explorandum est. Ne, dum quod scissum est consuere vis, deteriorem scissuram facias, neu dum lapsum emendare studes, maiorem ruinam pares.

**186.** — 2. **« Spiritus et prudentia ».**

Etsi satisfactio proportionem habere debeat cum peccatis admissis, tamen apprime Concilium Tridentinum hoc prudentiae Confessarii remittit: *Quantum spiritus et prudentia suggesserit* (*l. c.*). Codex autem Iuris Canonici nonnisi *salutares* et *convenientes* satisfactiones imponendas decernit: « Pro qualitate et numero peccatorum et conditione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones Confessarius iniungat; quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere » (canon 887).

Satisfactio, itaque, minui potest variis ex causis, v. g. si poenitens valde contritus est, si conditio eius id requirat, si tempus sit iubilaei vel indulgentiae plenariae cuiusdam specialis, nam ex S. Thomae doctrina, « indulgentiae valent et quantum ad forum Ecclesiae et quantum ad iudicium Dei, ad remissionem poenae residuae post contritionem et confessionem » (Sent. III, d. XX, q. 1, a. 3) (1).

Ideo S. Leonardus hac doctrina nisus commendat

(1) « Can. 932. Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari ».

« Can. 935. Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant ».

« Can. 931, § 3. Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, *aut* sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin, ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei ».

ut iniungatur exercitium *Viae Crucis*, quando dari possit, quae, ait ipse, multas alias satisfactiones supplet.

Item, minui potest satisfactio si poenitens corpore infirmus sit, vel si spiritu adeo infirmatur ut prudenter timeri possit ne impleat satisfactionem. Quapropter Concilium Tridentinum, cuius verba mutuat Codex I. C., dicit quod satisfactiones esse debent *pro poenitentium facultate salutares et convenientes*.

S. Thomas Confessario animum adiicit dicens: *Rectius est imponere minorem debito quam maiorem; quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur* (Opusc. 55, a. 4).

**187.** — 3. **Monita salutaria.**

Haec Concilii Trullani sive Quinisexti (a. 692) legere praestat: « Oportet autem eos, qui solvendi et ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, et eius, qui peccavit, ad conversionem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam, ne, si in utroque immoderatione utatur, ab eius, qui laborat, salute excidat; non enim simplex est morbus peccati, sed varius et multiformis, et multas incommodi propagines germinans. Ex quibus malum multum diffunditur, et ulterius progreditur, donec viribus medentis consistat; quare qui medicinae scientiam in spiritu profitetur, oportet eum primum eius qui peccavit affectionem considerare, et sive vergit ad sanitatem, sive contra, propriis motibus provocat in se morbum aspicere:... et neque per desperationis praecipitia impellat, nec ad vitae dissolutionem et contemptum fraena relaxet: sed una quidem om-

nino ratione sive per acriora et astringentia, sive per molliora et leniora medicamenta affectioni resistat, et ad ulceris obductionem annitatur fructus poenitentiae, examinans et sapienter dispensans et gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur » (can. 102, initio).

« Complures recensere possim, ait S. Ioannes Chrysostomus, quos constat in extrema mala adactos non ob aliud, nisi quod digna ab eis poena, et quae peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temere ad delictorum modum oportet et mulctam ipsam adhibere; sed tanquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat ut, dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias; ac dum eum qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse maior per te reddatur. Nam, qui infirmi sunt ac remissi, et magna ex parte mundi huius deliciis illecebrisque illaqueati... ii, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint utique, si non penitus, attamen ex parte eximere ac se liberare malis peccatisque, quibus occupantur... multa quidem opus est pastori prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis; ut recte undique humani animi habitum circumspicere possit » (*De sacerd.*, l. II, c. IV).

« Etsi erramus, ait ipse, modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax... Si Deus benignus est, ut quid sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? Circa tuam vitam esto austerus; circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem et grandia videant facientem » (In cap. XXIII S. Matth., hom. 43).

« Non debet etiam Confessor, ait S. Bonaventura, poenitentis horrere peccata, quantumcumque enormia, turpia, magna, inaudita, vel inusitata sint; quia ut dicit Ioannes: Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat. Aut enim confessor fuit, vel est, vel erit, aut esse potuit in similibus peccatis vel maioribus » (*Confessional.*, c. I, p. 4).

**188.** — 4. « **Quidquid boni feceris...** ».

Si poenitens fatetur se satisfactionem iniunctam exequi non posse, *tunc*, ait S. Antoninus, *quantumcumque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet* (lib. VI, n. 510). Sufficit in casu, ait ipse, ut ei iniungatur in generale tamquam satisfactio omne bonum quod operaturus est, ipsis Ritualis verbis: *Quidquid boni feceris vel mali sustinueris;* quae opera, in Sacramento iniuncta, maiorem valorem ad expianda peccata obtinebunt, ut docet S. Thomas (*Quodl.*, v. I, a. 38). Hinc Catech. Conc. Trid. ait: « Sed quoniam multae variaeque aerumnae et calamitates dum in hac vita sumus, nos premunt; illud maxime fideles docendi sunt, eos, qui patienti animo, quidquid laboriosi et incommodi Deus immiserit, ferant, amplam satisfaciendi et merendi materiam nactos esse; qui autem inviti et repugnantes poenam huiusmodi sustineant, omni satisfactionis fructu privari; sed Dei tantum, peccata iusto iudicio ulciscentis animadversionem et supplicium perferre. In eo vero summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus, et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere; quod quidem huius partis Poenitentiae maxime proprium est » (P. II, n. 262).

**189.** — 5. **Quae sint praecipuae.**

«Sed duo praecipue in satisfactione requiruntur: primum est, ut is qui satisfacit, iustus sit ac Dei amicus. Opera enim, quae sine fide et charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt; alterum, ut eiusmodi opera suscipiantur, quae natura sua dolorem et molestiam afferant: cum enim praeteritorum scelerum compensationes sint, atque ut sanctus martyr Cyprianus ait, redemptrices peccatorum (*Epist.* LV), omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant; quamquam non semper illud consequitur, ut, qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant. Saepe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum charitas effecit, ut, quae perpessu gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Neque tamen idcirco fit, quo minus ea ipsa opera satisfaciendi vim habeant; si quidem hoc proprium est filiorum Dei, ita eius amore, et pietate inflammari, ut acerbissimis doloribus cruciati, aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia laetissimo animo perferant.

«Verum omne satisfactionis genus Pastores docebunt ad haec tria praecipue conferendum esse, orationem, ieiunium, eleemosynam: quae quidem tribus bonis, animae, corporis, et iis, quae externa commoda dicuntur, quae omnia a Deo accepimus, respondent. *Nihil vero aptius et convenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices esse potest.* Nam cum omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis sit, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae; nemo non videt hisce tribus morbi causis totidem medicinas, priori scilicet ieiunium, alteri eleemosynam, tertiae orationem rectissime opponi. Praeterea, si eos etiam qui peccatis nostris offenduntur, spectemus, facile erit intelligere, cur ad haec tria potissimum omnis satisfactio referatur

hi vero sunt Deus, proximus, nos ipsi. Quare Deum oratione placamus, proximo eleemosyna satisfacimus, nos ipsos vero ieiunio castigamus...

« In irroganda autem satisfactionis poena, sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia iustitia, prudentia et pietate dirigenda existimabunt. Atque, ut hac regula peccata metiri videantur, et poenitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operae pretium erit, interdum eis significare, quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescripto, qui *poenitentiales* vocantur, constitutae sint. Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, et praesertim pro iis qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut saepe eadem satisfactionis opera a Sacerdote indicata ultro suscipiant, ac repetant; atque ita mores suos componant, ut iis omnibus, quae ad Poenitentiae sacramentum pertinent, diligenter absolutis, tamen virtutis poenitentiae studia numquæm intermittant; quod si interdum, etiam ob publicam offensionem, *publica poenitentia praescribenda* fuerit, quamvis eam poenitens refugiat ac deprecetur, non erit facile audiendus; verum persuadere ei oportebit, ut quae tum sibi tum aliis salutaria futura sunt, libenti et alacri animo excipiat» (P. II, n. 261-263).

**190.** — 6. **Duae regulae prudentiales.**

Utantur Confessarii pro satisfactione tam punitiva quam praeservativa seu medicinali imponenda, his S. Thomae regulis: « *Sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter naturae debilitatem maius periculum oriatur; ita*

*sacerdos, divino instinctu motus, non semper totam poenitentiam quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet et a poenitentia totaliter recedat* » (In 4, dist. XVIII, q. 1, a. 3). Oratio, ait ipse S. Doctor, opera satisfactoria est quatenus *per hanc et nos et nostra submittimus totaliter Deo* (in 4, dist. XV, q. 1, a. 4); mentalis vero oratio fructuosior est oratione vocali sed utraque cogitatione de Passione Domini intexenda est. Efficacior adhuc est Missae adsistentia, quatenus, ut ait Conc. Tridentinum, *huius quippe sacrificii oblatione placatus Deus gratiam et donum poenitentiae concedens, peccata etiam ingentia dimittit* (Sess. XXII, *de Sacr. Miss.* c. II). Nimis efficax est Rosarii coronae recitatio propter mysteria quae meditantur. Quocirca ait Catech. Conc. Tridentini: « Docendus est (poenitens) etiam, ut nullum patiatur esse diem, quin aliquid de passionis Domini nostri mysteriis meditetur, ad eumque imitandum, et summa charitate amandum ipse se excitet, atque inflammet; hac enim meditatione assequetur, ut ab omnibus daemonis tentationibus in dies se tutiorem esse sentiat. Neque enim ulla alia est causa, cur tam cito, vel leviter ab hoste impugnati, animo et viribus succumbamus, quam quod ex coelestium rerum meditatione divini amoris ignem concipere non studemus, quo mens recreari atque erigi possit » (*l. c.*, n. 258).

**191.** — 7. Altera regula S. Thomae, quae satisfactionem praeservativam respicit, est ut in hoc quoque medicum Confessarius imitetur, qui « *non tanto magis sanat quanto maiorem dat medicinam, sed quanto medicina est magis proportionata morbo; instrumentum enim tanto melius est quanto magis*

*fini proportionatum* » (II-II, q. CLXXXVIII, a. 7). S. Augustinus ad hunc finem meditationem Passionis Domini suggerit: *in vulneribus Iesu Christi est plenitudo gratiae et perfectio virtutum. Contra omnia peccata nullum est tam efficax remedium quam passio Christi* (*In Man.*, c. XXII); S. Bernardus autem addit devotionem erga B. Virginem: Rosarii recitatio est, ex verbis Ecclesiae, *singulare adversus vitia praesidium*. Novissimorum memoria est remedium a Spiritu Sancto indicatum. Utilissima est sacramenti Poenitentiae frequentia, quia, ut ait S. Thomas, non tantum confertur in ea gratia sanctificans et peccatorum remissio, sed etiam particulare auxilium ad emendationem vitae; praesertim vero Communio frequens et quotidiana, ob verba Iesu: *Qui manducat me, ipse vivet propter me* (Io. VI, 58).

Nec negligenda sunt *sacramentalia*, quae particularem habent efficaciam in corde poenitentis, sicut ipse S. Doctor docet: *Sunt quaedam sacramentalia, quae idoneitatem quandam faciunt ad receptionem* (P. III, q. LXV, a. 1); *et per haec pie creditur quod virtus divina interius operetur, excitando fervorem* (Id., q. VII *de malo*, a. 12).

**192.** — 8. **Criterium supernaturale.**

Circa satisfactionum delectum, ut optime procedere possit, meminerit, itaque, Confessarius se non solum iudicis sed et medici partes gerere. *Et duo sunt officia medicinae*, ait S. Augustinus, *unum quo sanetur infirmitas, alterum quo sanitas custodiatur* (In Ps. VII). Criterio, igitur, supernaturali opus est Confessario in satisfactionibus iniungendis ut seligat eas quae relationem cum culpis quas confitetur poenitens habeant ob rationem contrariorum vel similitudinis vel ob remedium quod

continent, *ita ut*, ait ipse S. Doctor, *poenitens non putet sibi satis esse ut sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione vitentur* (*In Ep. ad Rom.*, init.). Quapropter eligendae potius illae satisfactiones quae, ut docet Conc. Tridentinum, *sint et ad praeteritorum peccatorum vindictam, et ad novae vitae custodiam* (Sess. XIV, c. VIII).

Periti medici est malum cognoscere et remedium applicare dum adhuc parvum est. Ita v. g. S. Philippus Nerius poenitentibus sese excusantibus circa manus contrectationem cum personis alterius sexus, quod pravam intentionem nec tentationem experti essent, dicebat: Hoc peius est quam si essetis tentati; hoc astutiae diabolicae proprium est ut incautos ad perditionem ducat. Proindeque satisfactiones praeventivas eis dabat.

Applicanda sunt remedia diversa pro diversis infirmitatibus, sed cavendum ne poenitens animum demittat.

**193.** — 9. **Satisfactiones ordinariae.**

Confessarius, ait S. Franciscus Salesius, dulcibus verbis satisfactiones imponat, praesertim si poenitentem vere contritum cognoscat; expedit etiam quandoque eum interrogare an eas libenter adimpleturus sit, et si tristis de hoc videatur, melius erit satisfactiones in alias mutare.

Convenit inter orationes tamquam satisfactiones iniungendas, eas seligere quae eiusdem generis sint, v. g. *Pater noster* vel psalmi, vel lectio alicuius libri determinati, vel confessarium adire singulis mensibus per annum circiter, vel nomen alicui Confraternitati dare et similia, quae non tantum ad praeteritorum vindictam, sed et ad novae vitae custodiam efficacia sunt.

S. Alphonsus usum harum satisfactionum suggerit quae generaliter omnibus utiles sunt: singulis vesperis actum contritionis elicere et mane propositum renovare; visitare quotidie SS. Sacramentum et B. Virginis imaginem ad postulandam in bono perseverantiam, Rosarium recitare, tribus *Ave Maria* B. Virgini mane et vespere se commendare, breviter mortem cogitare lectulum ascendendo, librum spiritualem quotidie legere.

Si poenitens lapsus fuerit in multa gravia peccata, ait S. Leonardus, multum proderit ei iniungere per octo vel quindecim dies tertiae Rosarii partis recitationem ad poenitendum et ad perseverandum; si vero confessionem generalem fecerit ob consuetudinem pravam et sacrilegia in confessione, eam satisfactionem per duos vel tres menses extendere convenit.

Optima satisfactio, pro quibusdam poenitentibus quasi unica, est Missae auditio, saltem diebus festivis, si aliter fieri non possit, praeter Missam de praecepto. Monendus est poenitens quod iniuncta duarum Missarum auditione, intelligenda est successive; item, quod si iteratur eadem confessio apud alium Confessarium, praecedens et nova satisfactio ei implenda est.

Iuveni in via perditionis incedenti iniungi potest, ut satisfactio, quod per determinatum tempus per talem viam non transeat; puellae periculanti, ut ne tali talive hora ad fenestram vel ad ostium moretur etc. (1).

(1) *Le doti che, secondo il B. Cafasso, doveva avere una penitenza sacramentale erano tre: essere breve, ben determinata, ed esterna. In omaggio alla brevità ei cominciava a condannare l'imposizione di penitenze perpetue anche se leggere. La parola* per sempre, *egli diceva, agli orecchi dei penitenti suona una mezza eternità, e li spaventerebbe. Quindi, se imponeva di andarsi a confessare di tanto in tanto, limi-*

Consilia autem poenitentibus suggerenda praecipua haec videntur: Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentare, bonum Confessarium sibi eligere, praedicationes saepe audire, quantum fieri potest, libros spirituales legere, periculosas conversationes et amicitias devitare, conscientiam examine sero discutere, saepe Deum orare saltem orationibus *iaculatoriis*, mortem, iudicium, paradisum, infernum cogitare, imagines sacras venerare et osculare, patientiam circa defectus proprios habere simul cum sincera voluntate proficiendi, pia opera solita non negligere absque gravi motivo ne unum quidem de iis, bona proposita saepe renovare, animum non demittere ob ariditatem spiritus, potius passionem quandam, quantumcumque parvam, mortificare quam austeritatibus incumbere, Missae auditionem non negligere absque gravi causa.

*tava tale pratica ad un solo anno, obbligandoli in questo periodo quattro o tutto al più sei volte; di più, egli spiegava, non si otterrebbe, ancorchè se ne riceva la promessa in un momento di fervore. Trattandosi di orazioni non le imponeva che fino a quando ritornassero a confessarsi; le mortificazioni mai per un periodo superiore a pochi mesi. La penitenza sacramentale doveva in secondo luogo esser ben determinata. È bene determinarla sempre nei suoi particolari, avvertiva il Beato, perchè altrimenti si espongono i penitenti a troppe angustie. Così, ad esempio, nelle orazioni aggiungere sempre un fine, come: — La direte per vostro padre, madre, fratelli, amici; oppure per quei che muoiono della vostra età. E queste circostanze, egli spiegava, fanno molto bene.*

*Per ultimo la penitenza doveva essere esterna. Anche questa dote è necessaria, diceva egli, per non esporre il penitente ad inquietudini; e poi un atto materiale gli ricorda di più il suo peccato e lo concentra molto. Aver di mira l'atto esterno nell'imporre penitenze non voleva tuttavia dire esigere dal penitente, come si usava dai Rigoristi, una certa pubblicità per la sua soddisfazione. Avverta il confessore, diceva pertanto il Beato, che l'opera imposta non dia nell'occhio a quelli che sono in casa o ad altri. E se gli nasce il dubbio che essa porti qualche inconveniente o sia per venire a cognizione della famiglia o d'altri, la cambi immediatamente* (*Vita*, l. c., pag. 327).

## Articulus VIII.

## Debite absolvere.

**194.** — 1. Regula generalis.

Tamquam regula generalis circa absolutionem poenitenti impertiendam retineri potest quod quotiescumque positive non constet illi deficere *omnino* necessariam dispositionem, quatenus circumstantiae non iustificent *dubium prudens*, absolutio dari potest et debet (1). Hoc etiam erui potest ex C. 886: « Si Confessarius dubitare *nequeat* de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est ». Dubium hoc prudens grave sit oportet, nam ut poenitens absolvi possit, non requiritur de eius dispositione certitudo absoluta, nec moralis stricta; sufficit vero prudens iudicium seu certitudo moralis lata, quae aequivalet prudenti probabilitati quod poenitens hic et nunc verum dolorem ac propositum non peccandi habeat, etiamsi paulo post voluntas eius a proposito recedat (2). Non enim indispositus iudicandus

(1) Cfr. S. Alphons., 641; Suarez, *De Poenit.*, d. 32, t. 2, n. 1-2, aliosque. *Da ciò emerge spontanea una importantissima conseguenza, che deve considerarsi come il principio fondamentale per decidere tutte le questioni relative a questa materia, ed è che trattandosi delle disposizioni del penitente, il sacerdote « possa sempre » assolverlo quando non abbiansi « manifesti indizi » d'indisposizione: debba negargli l'assoluzione quando in realtà v'intervengono.* — S. Alfonso (lib. VI, n. 631) *dice:* « In foro poenitentiae, ut docent omnes doctores cum S. Thoma, omnino credendum est poenitenti tam pro se, quam contra se. *Ed avverte che questa norma è applicabile anche in* re dubia, *non già quando con morale certezza risulti il penitente veramente mentire* » (Mons. Geraldini, *La quiete dei confessori*, pag. 24).

(2) « His omnibus et solis neganda erit absolutio, qui gravem aliquam obligationem implere renuunt. Si autem debitor paratus

est qui aestimatur futurus esse, datis circumstantiis, indispositus, nisi tamen dum poenitet, ipse *certus* sit ad peccatum se prolapsurum: certitudo haec propositum ac bonam actualem voluntatem excludit si ex parte poenitentis sit.

Hinc iuxta recentiores, poenitens, quicumque sit sive consuetudinarius sive recidivus, debet absolvi modo sincere doleat et proponat; cui affirmanti Confessarius credere tenetur *tam pro se, quam contra se*. Notandum est quod si nulla appareat emendatio, non ideo deduci potest nullum fuisse conatum sese emendandi, nisi certo constet; unde necesse est distinguere utrum relabatur potius ex fragilitate, quam ex mala voluntate, sicut iam dictum est art. IV, n. 1 et 2 (1).

**195.** — 2. **Regula pro dolore seu contritione.**

Semper ac Confessario positive non innotescit poenitenti *omnino* defuisse dolorem, ipsum absolvere potest.

*a*) *Natura*. Circa autem contritionis naturam haec Catech. Conc. Tridentini tenenda: « Hanc Patres in concilio Tridentino ita definiunt: Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero » (Sess. XIV, c. IV). Et paulo post, de contritionis motu subiicitur: « Ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae miseri-

sit ad restituendum uti debet, poterit absolvi antequam restituat, secus nullo modo » (Ferreres, S. I., *Epitome*, n. 824).

(1) Salmanticenses (Sanchez, Suarez, Palao, Layman, Bonacina, Hurtado, Leander etc.) probabilem dicunt sententiam eorum qui absolvi posse affirmant eum « qui saepius admonitus in eodem sempe statu permanet, nihil ex parte sua curae apponendo ut ad melioren frugem redeat... si poenitens cum dolore ac proposito firmo accedat in quo confessarius credere debet sicut in aliis » (Cfr. Geraldini *op. cit.*, p. 152).

cordiae, et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur ». Ex hac itaque definitione intelligent fideles, contritionis vim in eo tantum positam non esse, ut quis peccare desinat; aut propositum ei sit, novum vitae genus instituere, aut ipsum iam instituat: sed imprimis male actae vitae odium et expiationem suscipiendam esse... Maxime autem hortandi et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant; ita enim Isaias contritionem describit, cum ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae* (Isa. XXXVIII, vers. 15); etenim, recogitare omnes annos, est singillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet* (Ezech. XVIII, 21). Atque in hanc sententiam sanctus Augustinus inquit: Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona (*De vera et falsa poenit.* XIV). Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate et clementia: Is enim, cum nostrae salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, et universa peccata sua detestatus, quae deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit; ita enim nos per Prophetam iubet sperare, cum inquit: *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* ». (Ezech. XXXIII, vers. 12). - (P. II, n. 248, 249).

*b*) *Utilitas.* « Sed quoniam non satis esse Pastoribus debet, si ea doceant, quae ad salutem vi-

dentur pertinere, nisi etiam omni cura et industria laborent, ut fideles ad eam ipsam rationem, quae illis praescripta est, vitam, actionesque suas dirigant, vehementer proderit, contritionis vim et utilitatem saepius proponere. Nam cum pleraque aliae pietatis studia, veluti beneficentia in pauperes, ieiunia, preces, et alia id genus sancta et honesta opera, hominum culpa, a quibus proficiscuntur, a Deo interdum repudientur; ipsa certe contritio numquam illi grata et accepta esse non potest. Nam inquit Propheta: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies* (Ps. L, 19). Quin etiam statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, alio loco eiusdem Prophetae verba illa declarant: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei* » (Ps. XXXI, 5). - (Ibid., n. 251).

c) *Attritio.* Meminerit Confessarius contritionem semper perfectam esse quotiescumque oritur saltem a tenui charitate, amorisque erga Deum principium contineri in attritione ob castigationis metum et remissionis spem; ideoque absolvi potest, sicut iam dictum est (cap. III, a. 5, n. 4), poenitens sola attritione affectus, etiamsi agatur de solis venialibus ad quae sufficit attritio ob purgatorii ignis metum concepta, quamquam hoc in casu, praesertim iis qui in extremo sunt agone, contritio suggerenda est et ad hanc aptis verbis et orationibus huiusmodi poenitentes disponendi sunt.

Si poenitens receperit alteram absolutionem, in eadem confessione, ob peccatum quod oblitus sit quin actum doloris denuo emittere cogitaverit, nec ipse Confessor nec poenitens angi deberet, nam post factum teneri potest sententia contraria (Sanctus Alph., n. 448). Item, si omissus fuerit pro-

positi actus; nam difficile est quod poenitens vere poeniteat et non proponat explicite: in dubio *omne factum praesumitur recte factum.*

**196.** — 3. **Normae practicae.**

*a*) Meminerit Confessarius absolutionem, sub conditione a futuro pendenti datam, invalidam esse, eo quod forma applicari materiae praesenti debet; item, posse ac debere absolvi, sub culpa gravi, poenitentem rite dispositum, qui sequens opinionem probabilem (etsi Confessario solide probabilis non videatur vel minus probabilis quam opposita) iudicium practicum de honestate alicuius actionis sibi efformat, nisi tamen poenitens incapax sit sibi formandi conscientiam practicam, vel nisi haec super evidens sophisma fundetur.

*b*) Mente retineat quod Clemens VIII (20 iun. 1602) declaravit nullo casu dari posse absolutionem in distans (nisi distantia valde minima sit i. e. 20 passuum), nam deest praesentia moralis etiam cum adsit communicatio directa per telephonium. Sacra Poenitentiaria (1 iul. 1884) ad quaesitum: *utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium*, respondit: « nihil est respondendum ». Ex hac responsione quidam intelligunt (Tanquerey et Quevastre, *Brevior Synopsis*, p. 381) hac de re nihil auctoritatem ecclesiasticam decrevisse; alii vero asserunt posse, tenuissima cum probabilitate, in casu extremae necessitatis absolvere per telephonium cum liceat tunc ob bonum animae uti quacumque probabilitate (Del Vecch., II, 912; Lehmkuhl, II, 876; v. Lug. *Poenit.*, d. 13, sect. 6).

*c*) Codex I. C. confessionem per interpretem ei permittit qui aliter confiteri non potest (c. 903).

*d*) Si poenitens peccatum certum confitendum

non habet nec praesens nec praeteritum, dari potest absolutio conditionata super peccata dubia, vel, absque conditione, super peccata venialia quae iam confessus sit; sed non sunt confundenda peccata venialia cum imperfectionibus vel cum pravis habitibus, nec cum infidelitate erga Dei gratiam.

*e*) Ob decisionem S. Officii, 17 dec. 1868 si Baptismus, in casu dato, fuit tantum probabiliter validus, urget praeceptum confessionis, Baptismo iterato sub conditione.

*f*) Si Confessarius poenitentem bene noscat et sciat eum velle confiteri peccata sibi nota, absolutionem ei dare potest etiam facta tantum generica accusatione, quae, in praxi est ei specifica; vel tantum facta confessione peccatorum in genere contra quamdam virtutem.

**197.** — 4. **Circa casuum reservationem.**

*a*) In materia complicitatis iudicium hodie definiti iuris est, cum S. U. Inq. declaraverit, 28 mai. 1873, cum approbatione Sum. Pontificis, inter peccata turpia complicitatem efficientia, comprehendi nedum tactus, verum etiam omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important. Licet tamen a turpiloquio absolvere si dubitatur an fuerit peccatum grave ex utraque parte. Notandum quod deficit complicitas quando alter complex exterius repugnat licet interius consentiat in eodem crimine, cum ad hoc non sufficiat consensio interna, sed requiratur quod aliquo signo mutuus consensus patefiat.

*b*) Potes valide et licite absolvere si dubites dubio positivo et *probabili* num tale peccatum in talibus adiunctis sit reservatum, cum aliunde ca-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY


reas potestate ad reservata; num tempus pro quo iurisdictione gaudebas fuerit elapsum; num hoc peccatum sit hic reservatum.

*c*) Omnes Confessarii in Urbe Roma approbati gaudent facultate absolvendi in eadem Urbe eiusque districtu a censuris quae in Codice Iuris Canonici Ordinariis reservantur. Confessarii iniungant poenitentibus obligationes de iure iniungendas in singulis casibus iuxta regulas a probatis auctoribus traditas, et, si agatur de irregularitate exorta ex procuratione abortus, recurrant pro dispensatione ad Sacram Poenitentiariam. Insuper casus hucusque E.mo Cardinali Vicario reservati, amplius non subiacent reservationi.

*d*) Conditiones ut casus dicatur reservatus sunt: ut peccatum sit mortale; ut sit externum; ut sit consummatum. Non requiritur ut poenitens sciat casum sub reservatione incidere, quia reservatio maturiori iudicio causas graviores subdit ita ut iurisdictionem inferioris limitet. Alii autem tenent, adhuc, ignorantiam non crassam vel supinam excusare, saltem probabiliter a reservatione peccati *ratione sui, dummodo reservans aliud non caveat* (Cf. Munerati, *Promptuarium*, pag. 114).

*e*) Valet absolutio data a confessario ignorante reservationem, modo censura ne sit ab homine aut specialissimo modo Apost. Sedi reservata (c. 2247, § 3). Haeretici et excommunicati, sacerdotes etiam vitandi, valide et licite absolvunt in periculo mortis. Milites autem in statu convocationis bellicae constituti aequiparantur versantibus in periculo mortis. Si tamen casus erat reservatus *ratione censurae* ab homine vel specialissimo modo, poenitens si convaluerit tenetur stare mandatis Ecclesiae. Haec obligatio urget sub poena reincidentiae (can. 2252).

*f*) Reservatio peccati, cum censura necne, fieri

potest ab eo qui habet iurisdict. ordin. (c. 893) id est: S. Sedes, quae sibi reservat *ratione sui* falsam denuntiationem *de crimine sollicitationis* (c. 894); Ordinarii locorum in Synodo dioecesana vel extra-dioecesana, auditis Capit. Cathedr. et prudentioribus et probatioribus parochis (c. 895); in relig. clerici exemptis, Superior Generalis et in Monasteriis *sui iuris*, Abbates cum voto consultivo sui Consilii pro suis subditis (c. 518, § 1, 519, 896).

Casus reservati non possunt esse numero maiores quam quatuor (c. 897); nec reservari possunt iam reservati, *ratione censurae* a S. Sede (c. 898). Ordinarii caveant ne facile omnibus facultatem circa reservata concedant (c. 899, § 1); attamen ex iure absolvere potest Poenitentiarius (c. 401, § 1). Vicariis Foraneis dari potest facultas subdelegandi *toties quoties* confessarios sui districtus pro urgentiore casu (c. 899, § 2). Ipso iure absolvere possunt parochi, vel vices gerentes, tempore paschali; missionarii tempore missionis ad populum (§ 3). Quaevis reservatio omni vi caret: 1° Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa (c. 900, § 1). 2° Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti Confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis (§ 2). 3° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit (§ 3).

Vicarius Generalis vel Capitularis absque speciali mandato peccata reservari non potest (c. 893, § 1).

**198.** — 5. **Circa censuras.**

*a*) Recolendum quod censura distinguitur: *ratione essentiae* in excommunicationem, suspensionem, interdictum; *ratione auctoris*, a iure vel ab homine; *ratione modi*, latae vel ferendae sententiae; *ratione potestatis absolvendi*, reservata vel non reservata. E reservatis Apost. Sedis aliae sunt reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo* (c. 2245). Ad validitatem autem censurae requiritur: ut peccatum propter quod infligitur sit mortale, externum et consummatum; ut delinquens sit subditus ferentis; ut sit contumax, id est contemnens censuram.

*b*) Ignorantia nedum facti et iuris, sed et censurae excusat ab ea incurrenda. Ignorantia crassa et supina excusat a censura si in eos lata sit qui aliquod faciunt *temere*, vel facere praesumunt. Ignorantia affectata non excusat, licet censura lata sit in eos qui *consulto* et qui *scienter* id fecerint. Metus gravis, nisi incutiatur in contemptum censurae, excusat a censura.

*c*) Iudicandus est non incurrisse censuram, qui dubitat utrum graviter deliquerit necne, vel an casus sub censura cadat; attamen censuram incurrit, si dubium tantum versetur circa gravitatem ipsius materiae, tum in se spectatae, tum habita ratione finis, etc. Neque ligatur quis censura, quam manifeste iniustam esse novit. Attamen hallucinationis periculum in propria causa sedulo vitandum est.

Si Confessarius dubitet an a censura poenitentem absolverit, hic in foro externo tenetur Superiorem interrogare, et adhuc huius Superiorem adire si de potestate illius in censura ferenda dubitat. Secus vero, si dubitat, utrum censuram incurrerit, sive dubium sit *facti* sive *iuris*.

*d*) Censura *ab homine* multiplicatur si plura

praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant (Cf. can. 2244, § 2, 3). Plures incurret censuras *latae sententiae* qui unica vel distincta actione diversa delicta committat, quorum singula censuram secumferunt; vel qui pluries repetat, actione moraliter distincta, idem delictum, censura punitum; vel qui delictum semel vel pluries committat distincta censura a distinctis Superioribus punitum (Ibid.).

*e*) Si poenitens pluribus detineatur censuris, absolutio valet tantum pro casu expresso in petitione absolutionis; sed generaliter impertita valet pro omnibus reticitis *bona fide* (c. 2249). Si Confessarius ignorans reservationem, *bona fide* absolvat a censura, etsi reservata, excepto casu quo agatur de censura specialissime A. S. reservata vel *ab homine*, valide absolvit. Generatim vero absolvere non potest a censuris illum, qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censurae subiacebat, et quamvis *probabiliter* sit *valida* absolutio non satisfacta parte, tamen generatim erit illicita (Cf. can. 2245, § 4; 2247, § 3; 2263).

Si agatur de censura, quae non impedit receptionem Sacramentorum, poenitens potest absolvi a peccatis prius quam absolvatur a censura; secus in casu contrario. Si desint ministri, ab excommunicato tolerato, in quem non lata fuerit sententia declaratoria aut condemnatoria, petere possunt fideles ex qualibet causa, sacramenta et sacramentalia; in periculo mortis absolutio a quolibet excommunicato etiam vitando peti et conferri potest, et si desunt alii ministri, etiam alia sacramenta et sacramentalia (can. 2261).

**199.** — 6. *f*) Meminerit Confessarius censuras latae sententiae hodie vigentes:

Specialissimo modo R. P. reservatae sunt excommunicationes quas incurrunt: 1° *Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit* (can. 2320). 2° *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit* (can. 2343, § 1). 3° *a) Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi, idque etiam in mortis periculo, si alius sacerdos,* licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri; *b*) etiamsi complex peccatum complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confiteatur ideo, quia ad id a complice Confessario sive directe sive indirecte inductus est (can. 2367). 4° Confessarius qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit (can. 2369).

**200.** — Speciali modo excommunicationem R. P. reservatam incurrunt: 1° Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici (can. 2314, § 1). 2° Opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes (c. 2318, § 1) - (1). 3° Qui

(1) Cfr. n. 200, in nota. — Notandum quod non incurrit hanc censuram qui legit publicationes periodicas in fasciculos non colligatas, etsi haeresim propugnantes et ab haereticis scriptas, neque qui publicationes parvae molis aut manuscriptas legit (Cfr. Decl. S. O. 21 apr. 1880; 13 ian. 1892). Qui in haeresim incidit, non tenetur Confessario confiteri qualitatem eius nec veritatum quas negavit numerum.

ad ordinem sacerdotalem non promotus, Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit (can. 2322). 4° Omnes et singuli, cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes (can. 2332). 5° Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litteras vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes (can. 2333). 6° *a*) qui leges, mandata et decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; *b*) qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (can. 2334). 7° Qui ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium (can. 2341). 8° Qui violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis, Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum (can. 2343, § 2 et 3). 9° Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia (can. 2345). 10° Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes (can. 2360). 11° Qui per seipsum, vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit (can. 2363).

**201.** — Simpliter R. P. excommunicationem reservatam incurrunt: 1° Quaestum facientes ex indulgentiis (c. 2327). 2° Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur (c. 2335). 3° Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata (can. 2338, § 1). 4° Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes (can. 2338, § 2). 5° Qui ausus fuerit ad iudicem laicum trahere Episcopum (non Ordinarium suum) etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum nullius, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus (can. 2341). 6° *a*) Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; *b*) mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; *c*) moniales e clausura illegitime exeuntes (c. 2342). 7° Qui bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertire et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur (can. 2346). 8° Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non

prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint (c. 2351). 9° Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (can. 2388, § 1). 10° Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis aut dignitatibus ecclesiasticis (can. 2392). 11° Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se, sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint (can. 2405).

**202.** — Ordinario reservatam contrahunt excommunicationem: 1° *a*) qui, dispensatione habita super impedimento mixtae religionis, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, sive per se sive per procuratorem matrimonium ineunt etiam coram ministro acatholico; *b*) qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam; *c*) qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt; *d*) parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (can. 2319). 2° Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit (can. 2326). 3° Qui violentas manus iniecerit in personas clericorum infra eos de quibus supra (speciali modo R. P., n. **201**), vel utriusque sexus religiosorum (can. 2343, § 4). 4° Procurantes, matre non excepta, abortum, effectu secuto (can. 2350, § 1). 5° Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, itemque omnes cum iis

matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (can. 2388, § 2).

**203.** — *Superioribus maioribus religionum vel Ordinario* reservata excommun.:

Religiosus apostata a religione incurrit ipso iure in excommunic. proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam (can. 2385).

**204.** — NEMINI reservatam contrahunt excommunicationem: 1° Auctores et editores qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes vel commentarios imprimi curant (can. 2318, § 2) (1). 2° Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (c. 2339). 3° Omnes quovis modo, sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, rei alienationis rerum pretiosarum vel rerum quae valorem excedant triginta millia libellarum seu francorum, praetermisso scienter beneplacito apostolico (can. 2347, § 3). 4° Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporaneam (c. 2352). 5° Poenitens qui scienter omiserit Confessarium,

(1) Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, declaravit in can. 1391: « Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum *et* cum adnotationibus » particulam *et* interpretandam esse copulative non disiunctive (Cfr. *A. A. S.* XVI, 115).

a quo sollicitatus fuit, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. Congregationi S. Officii (can. 2368, § 2).

**205.** — 7. **Absolutio sub conditione.**

Conditionata absolutio et valide et licite datur sequentibus in casibus:

*a*) Si confessarius positive et prudenter dubitet num poenitentem rite absolverit;

*b*) Si confessarius dubitet, num in hunc poenitentem vel in haec peccata habeat iurisdictionem et poenitens, negata absolutione, diu in peccato manere debeat;

*c*) In dubio an poenitens adhuc vivat. Sufficit autem quodcumque dubium, ut monet S. Alphonsus, imo etiam, ut ait Billot, inverisimilis possibilitas validitatis: ne quid pro salute pereuntis animae intentatum relinquatur;

*d*) In dubio quod resolvi nequeat, an poenitens sit rite dispositus;

*e*) In dubio materiae sufficientis. At si materia sufficiens haberi possit v. gr. accusando generatim peccata vitae praeteritae, curandum est ut exhibeatur;

*f*) In dubio de sufficienti usu rationis in pueris vel semifatuis, quando afferunt materiam probabiliter gravem;

*g*) In dubio de morali praesentia poenitentis, nempe si aliter non possit consuli necessitati poenitentis.

Sufficit tamen hanc conditionem in mente concipere; imo non oportet eam expresse concipere cum virtualiter includatur in voluntate recte procedendi in administratione sacramenti.

Item, probabilius sub conditione danda est absolutio poenitenti quem confessarius cognoscat pec-

catum aliquod reticere, si hoc cognoscat ex alterius confessione; expedit tamen eum generatim interrogare si forte confiteatur illud. Si extra confessionem cognovit, ex alterius relatione, peccatum illud, probabiliter debet poenitentem absolvere, etsi ipse neget. Si tamen illud scivit ex propria scientia extra confessionem et non possit prudenter supponere poenitentem iam confessum esse vel illud oblivisci, vel illius peccati gravitatem non advertere, non potest eum absolvere.

**206.** — 8. **Limites ordinariae potestatis.**

« Can. 881, § 1. — Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

« § 2. — Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum.

« Can. 873, § 1. — Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt.

« § 2. — Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, ad normam can. 401, § 1, et Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum.

« § 3. — Haec iurisdictio cessat amissione officii, ad normam can. 183, et, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.

« Can. 883, § 1. — Sacerdotes omnes mariti mum iter arripientes, dummodo vel a proprio Or dinario, vel ab Ordinario portus in quo navim con scendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portu interiecti per quem in itinere transeunt, faculta tem rite acceperint confessiones audiendi, possun toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigan tium confessiones in navi excipere, quamvis nav in itinere transeat vel etiam aliquandiu consist variis in locis diversorum Ordinariorum iurisd ctioni subiectis.

« § 2. — Quoties vero navis in itinere consista possunt confessiones excipere tum fidelium qu quavis de causa ad navim accedant, tum eorun qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiter petant, eosque valide et licite absolvere etiam casibus Ordinario loci reservatis » (1).

**207.** — 9. **Denuntiationes.**

Etiam quoad denuntiationes faciendas, absolv potest poenitens antequam denuntiationem faciat quando iustum habeat motivum denuntiationem dif ferendi; quando non est elapsum tempus intra quo ipsa facienda est, modo habeat sinceram voluntater intra illud tempus eam faciendi; quando obligati cessavit v. gr. ob denuntiandi mortem, haeretic excepto; quando poenitens de necessitate Commu

(1) Sacerdos rite praeditus facultate, iuxta can. 883, § 1, audien confessiones, potest, quoties navis in portu manet, terram adi ibique in ecclesia vel sacello confessiones excipere eorum qui confite petant, eosque valide ac licite absolvere, etiam a casibus Ordinar loci reservatis, per integrum diem, vel per integros duos vel tr dies, si tamdiu navis in portu maneat.

Hoc item potest etiamsi ad idem iter prosequendum unam nave relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc nave tamdiu expectare debeat; sed numquam ultra triduum (Cfr. *A. A.* XVI, 114).

nionem recipere, vel Missam ob scandalum vitandum celebrare deberet.

Delicta denuntianda, praeter crimen de sollicitatione, sunt ea quae in commune damnum vertunt; ea per quae grave damnum innocenti imminet; ea pro quibus denuntiandis vel impediendis mercedem accipit; ea demum quorum revelatio necessaria est ad vitandum vel reparandum damnum in propriam familiam.

Denuntianda praesertim delicta *excepta* inter quae *haeresis formalis*. Notandum circa hoc non esse haereticum formalem coram Ecclesia eum qui neget se esse sacerdotem, vel episcopum, vel religiosum, neque eum qui errorem suum ob consilium manifestat, neque eum qui ob errorem in fide se abstinet ab audienda Missa, a ieiunando, ab adoratione SS. Sacramenti, licet peccare graviter possit contra fidem. Non licet tamen negare se esse papistam quia idem est ac negare se esse catholicum. Qui in haeresim incidit satis facit dicens Confessario habenti facultatem se errasse in fide et errorem propugnasse quin necesse sit quales vel quot veritates negaverit. Non confundendi haeretici cum haeterodoxis. Cum istis, si velint catholicam fidem amplecti, Confessarius, habita facultate ab Ordinario, incipiat statuere in conferentiis opportunis, ut veritatem fundamentalem, Ecclesiae auctoritatem; admissa hac veritate, facile erit ut cetera admittantur.

## Articulus IX.

## Absolutionem sapienter differre.

**208.** — 1. **Principia generalia.**

*a*) Absolutio differenda est quando prudens iudicium de poenitentis sufficienti dispositione formari non possit utcumque adhibitis curis ac diligentia ex parte Confessarii.

*b*) His omnibus et solis neganda erit absolutio, ait Ferreres, qui gravem aliquam obligationem implere renuunt.

*c*) Melius dicendum, ait S. Alphonsus, quod certa regula circa hoc statui non potest, sed Confessarius ex circumstantiis occurrentibus se gerere debet, et postquam Deo se commendaverit, ut erit a Deo inspiratus, absolutionem differat, aut impertiatur (Praxis, n. 75). Cavendum tamen ne is qui signum aliquod dispositionis non praebeat, absolvatur.

*d*) Absolutionis dilatio medicinalis, ut in pluribus, esse debet; Confessarius vero omnem operam impendere tenetur ut ad bonam frugem huiusmodi poenitentes reducat et ut ipsi ad Sacramentum recipiendum revertantur, iuxta monitum Benedicti XIV: *Illos quantocius ut revertantur invitent, ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur* » (Bulla: *Apostolica*).

*e*) Meminerit Confessarius quod iuxta S. Alphonsum et gravissimos auctores quos sequitur, « grave est per triduum esse in statu peccati, quod merito timeri potest; cum sit difficile habere veram poenitentiam » et quod iuxta eumdem S. Doctorem « videtur durum esse ei, qui est in mortali,

manere sine absolutione per diem ». Ut ait Gury « si quando dilatio aliqua absolutionis expedire videtur, *ad breve tempus* fieri debet, v. gr. ad tres, quinque, octo dies. Interdum ubi facile fieri potest absolutionem etiam ad unum diem, vel paucas horas differre utile erit » (n. 623).

*f*) Utile erit haec Catech. Romani retinere: « Si audita Confessione, iudicaverit (confessarius), neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti *omnino* defuisse, absolvi poterit; si autem utrumque in eo *desiderari* animadverterit, auctor illi et suasor erit, ut maiorem curam, quod antea dictum est, in excutienda conscientia adhibeat, hominemque, ut blandissime poterit, tractatum dimittet » (P. II, n. 258).

**209.** — 2. **Prudenter procedat.**

In monitis ad Confessarios S. Carolus, circa eos qui per plures annos in iisdem peccatis perseveraverunt atque in ea relapsi sunt quin ullam diligentiam adhibuerint ad emendationem, mandat ut eis absolutio differatur donec quaedam emendatio appareat. Notandum quod dicit: *quaedam emendatio;* non autem: *notabilis, maximi momenti, insolita* etc.

S. Alphonsus autem adducens verba auctoris: *Istruzione ai novelli confessori*, quod qui relabatur vi pravi habitus absolvendus est quotiescumque firmam voluntatem adhibendi media ad emendationem praeseferat, addit: Credimus quod aliter sese gerere nimii rigoris sit et Confessarius ita agens a spiritu Ecclesiae et Domini sese elongaret et satis a fine sacramenti discederet quod non solum est iudicium quoddam, sed et medicina salutaris (Cf. *l. c.*). Quasi dicat: mementote duplicem esse Sacramenti huius effectum, nempe gratiam sanctificantem, peccata delentem et peccatorem iustifi-

cantem, ac gratiam sacramentalem quae est medicina praeservativa quatenus valide muniat ne in posterum relabatur poenitens. Administrans Sacramentum, utrumque finem inspiciat necesse est, ut a Domini misericordia quod intendit obtineat.

Constantia in bono proposito non est Sacramenti praevia atque necessaria dispositio, sed eius, quatenus medicina, est fructus. Exigi itaque non potest ut praesens fructus qui futurus est, nempe habitus emendatio.

Animae huiusmodi non tam liberari quam praeservari indigent per Sacramentorum frequentiam. Hoc est agere secundum Ecclesiae spiritum, ut apparet ex Rituali Romano: *In peccata facile recidentibus utilissimum erit consulere ut saepe confiteantur et, si expediat, communicent* (1).

(1) Cfr. art. VIII, n. 1 et 2. — *Se qualcuno degli autori riportati (da S. Alfonso) riconobbe nella recidività come un argomento di dubbia disposizione, talchè dovesse differirsi l'assoluzione, ciò non insegnò come regola generale, come fece il Liguori, ma ritenne che solo* talvolta *e* per accidens *poteva la recidività ingenerare tale sospetto, però dopo essere stato il penitente molte altre volte avvisato ed assoluto. In una parola, sotto qualsiasi aspetto riguardinsi gli autori riportati dal Liguori al Trat.* 6, *n.* 459 *in conferma della sua sentenza, non convengono punto con la medesima, la quale perciò piuttosto che* comune *deve ritenersi pu'troppo, come col Ballerini osservammo, per* singolare (Mons. Geraldini, *La quiete dei Confessori,* pag. 88). *Nè poi è a farne meraviglia se il Liguori, quantunque sì propenso alla benignità, su questo punto si addimostri rigoroso anzichè no, quando si rifletta quali autori, e quali rigide dottrine fossero in voga ai suoi tempi, specialmente in riguardo ai recidivi, come egli stesso in varii luoghi attesta. Basti dire, che, avendo ai suoi tempi insegnato un certo Vescovo in una sua pastorale al Clero potersi assolvere i recidivi che presentassero segni straordinarii di disposizione, venne ben tosto deferito alla S. Penitenzieria, ed il Gerdil consultato in proposito, nel voto già da noi ricordato si dichiarò contrario a tal dottrina. Onde alcuni sarebbero di avviso, che il Santo non volendo urtarsi direttamente coll'opinione dominante, credè opportuno d'appigliarsi ad una via, che a suo credere potesse ritenersi come media fra le due sentenze estreme; tanto più che a quella* gli sembrò *essersi ancora attenuti comune-*

**210.** — 3. **Remedium ultimum.**

Absolutionem differre nihil aliud est nisi eam *pro nunc* denegare, adeo ut inter differre ac denegare alia diversitas in casu non sit nisi quae inter absolutum et relativum invenitur. Cuicumque absolutio denegatur, hac sola conditione denegatur quod dabitur si necessaria dispositio praeseferatur: itaque denegare est differre.

Sequitur quod utrumque ultimum remedium sit quo possit et debeat uti Confessarius postquam cetera adhibuerit pro morborum diversitate. Esset, propterea, abs re differre alicui poenitenti absolutionem cui antea alia remedia applicata non fuerint, nam ad ultimum non pervenitur nisi per intermedia. Qua de re ait can. 21 Conc. Later. IV: *Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat* vinum et oleum, et prudenter intelligat quale debeat remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum.

Et si quando ex necessitate differenda sit absolutio, amaritudo huius remedii mitiganda est. Velle enim ut poenitens intra paucos dies habitum abhinc pluribus annis efformatum derelinquat, nihil aliud est quam exigere quoddam miraculum. Quibusdam Sacramenti ministris, facile poenitentes repellentibus illis verbis: *Recedite, abite,* S. Hieronymus

*mente i più degli autori da lui citati, dei quali però già vedemmo la genuina sentenza.*

*Del rimanente esso di molto rattemprò la rigidezza della sua dottrina, coll'indicare quali segni straordinari si richiedessero per giudicare ben disposto il recidivo; i quali in buona parte non diversificano dagli ordinarii; onde non mancano delle persone peritissime nelle cose morali, e molto deferenti al S. Maestro, che non cessano di credere come egli insegni potersi in pratica assolvere i recidivi, ponendo tali segni straordinari, che o sempre accompagnano il penitente, od almeno dallo zelo caritatevole dei confessori sempre possono procurarsi* (Id. *l. c.*, p. 124, n. 54, 55).

ait: « *Talis loquela non illuminat coecum, non sanat aegrotum, sed magis occidit atque in desperationem periclitantem mittit. Boni rectores, ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis et mansuetudinis lenimentum student peccantes ab erroris laqueo eruere quam per austeritatem in fovcam perditionis nutantes propellere* » (in Thren., c. IV).

Claves S. Ecclesiae, iuxta S. Bernardum, potestatem atque discretionem respiciunt: *Claves vestras, qui sanum sapiunt,* alteram in discretione, alteram in potestate constituunt (Epist. 276).

**211.** — 4. **Criterium supernaturale.**

S. Ioannes Chrysostomus, loquens de prudentia Confessarii circa absolutionem, ita concludit: *Denique hic tibi eius qui vinctus est solvendi praescriptus terminus esto, nempe ipsius utilitas* (Homil. 14 in 2 Cor.). Revera, circa dandam vel denegandam absolutionem non est ex una parte libertas eligendi, sed officium ac debitum, ut ait S. Thomas (in 4, Dist. XVIII, q. 1); et ex altera parte, regula generalis, ut iam dictum est, dari nequit; nam si quis assereret recidivis semper differendam absolutionem vel semper eis elargiendam, duas enuntiaret falsas propositiones. Hinc valde Confessario opus est lumine ac criterio supernaturali et maxima prudentia pro circumstantiarum varietate, prout iam declaratum est cap. I, art. 6. Sola prudentia potest in casu particulari regulam aptam suggerere. Prudentia, ait S. Thomas, est circa contingentia operabilia; in his autem non potest homo dirigi per ea quae simpliciter et ex necessitate vera, sed ex his quae ut in pluribus accidunt... Quid autem in pluribus sit verum, oportet per experimentum considerare... Et ex praete-

ritis oportet nos quasi argumentum sumere de futuris (II-II, q. XLVIII, a. 1).

Propterea, Confessarius qui *experimentum* sufficiens adhuc non fecerit, regulam accipiat ex experimento et praxi aliorum et caveat ne ut regulam firmam sequatur unam vel alteram solutionem, nempe absolvendi vel non absolvendi.

S. Alphonsus monens quod unusquisque Confessarius in hac materia sequi debet lumen quod Deus concedere solet, fatetur errare tam eos qui facile absolvunt quam qui facile absolutionem denegant. Expedit quadam vice recidivo etiamsi dispositio absolutionem differre, semper autem illi proderit ut Confessarius loquatur tamquam si absolvere eum non posset (1).

(1) Certum est quod cum dicitur constare oportere de sufficienti poenitentis dispositione, non exigitur nisi iudicium probabile. Sic interpretanda haec Gury verba: « quoties nempe constare de sufficienti poenitentis dispositione non potest, in promptu est norma, quam cum poenitenti dubie disposito servandam, communissima sententia est » nempe non absolvendi nisi necessitas urgeat. Ipse auctor autem circa *certitudinem moralem* quam requirit S. Alphonsus ait: « Iste modus loquendi, non ex penu scholarum catholicarum, et unice aptus videtur ad vanum terrorem imperitis iniiciendum » (*De Poenit.*, n. 169): « Nonne conveniunt *omnes doctores* et sufficere et ne plus aliquod exigi posse, nisi iudicium *probabile* de poenitentis dispositione? » (n. 138).

*Coloro pertanto,* ait Geraldini, *che riguardo al recidivo sono votati al sistema dei segni straordinari, senza dei quali sarebbero dubbie le sue disposizioni, se dopo essersi adoperati indarno con tutto zelo ad eccitarli, non avessero altro modo di uscire dalla loro dubbiezza, dovrebbero rimandarlo inassoluto, perchè* de eius sufficienti dispositione non apparet, *come direbbe lo stesso Ballerini. Non si troverà costretto però a venire a questi estremi quel confessore, il quale non potendo direttamente deporre il suo dubbio, avesse aperta un'altra via per deporlo* indirettamente. *A ciò gli si presterebbe a meraviglia il principio dell'Angelico che noi abbiamo dimostrato applicabile anche al Sacramento di Penitenza. Diffatti appoggiandosi a questo, nel dubbio che talvolta potesse molestarlo sulla veracità del penitente, potrebbesi da lui ad ogni buon diritto ragionare così: Ancorchè abbia ragione di*

**212.** — 5. **Non in ruinam.**

Cum prudentia suggerit dilationem absolutionis esse *in ruinam*, huic periculo occurrendum est. Discamus ab Ecclesia quae idcirco declarat cessare omnes reservationes atque censuras in articulo mortis, quia in huiusmodi adiunctis id esset in ruinam non in aedificationem.

Attamen Ecclesia non dispensat in eo quod iure divino exigitur, nempe circa peccati detestationem ac vitae emendationem.

Confessarius sollicitus de salute poenitentis qui adhuc retinere vult peccatum, non debet nec absolvere nec dimittere statim, sed disponere curet impendens omnem zelum atque charitatem ut possit secundum conscientiam absolutionem ei elargiri, ob

*dubitare se il mio penitente dica il vero, nondimeno giustizia e carità richieggono, che nel dubbio nol ritenga per un menzognero sacrilego, dovendosi nel dubbio sulla probità delle persone interpretare in meglio; tanto più che per comune insegnamento dei teologi con S. Tommaso a capo, come anche me lo accerta S. Alfonso,* in foro poenitentiae, *anche* in re dubia poenitenti omnino credendum tam pro se, quam contra se *quantunque tale dubbiezza della sua sincerità, venga a render dubbie le stesse sue disposizioni. Giacchè dunque il penitente seriamente mi assicura d'esser pentito delle sue colpe, ancorchè ricadutovi altre volte, io sono in dovere di credergli che in realtà lo sia e nella ragionevole convinzione di non assolvere un indegno io gli concedo l'assoluzione. Ragionando in questa guisa un confessore, chi non vede come ad onta delle dubbie disposizioni, che a caso rilevasse nel recidivo, ancorchè con le sue esortazioni non giunga, secondo il suo modo di vedere, a sufficientemente disporlo, egli sempre trova aperta una sicura via per indirettamente eliminare il suo dubbio, e formarsi così un prudente giudizio sulla sufficienza delle sue disposizioni, e quindi* tuta conscientia *rimandarlo assoluto?... Usi pure il sacerdote quel benigno riguardo dovuto al penitente, il quale non s'indusse mica per trastullo ad accusare le proprie miserie con tanta ripugnanza dell'amor proprio, adoprando in pari tempo caritatevoli ed efficaci persuasioni per renderlo anche più disposto, e si vedrà col fatto, come tale benignità anzichè degenerare in lassezza, recherà ben salutari frutti, e fra questi di rendere soave ed amabile il Sacramento di Penitenza, messo ogni giorno pur troppo in disprezzo ed abborrimento* (*l. c.*, p. 160, n. 75, 76, 77).

dispositiones solidas et efficaces, quin exigat abundantiores et extraordinarias.

Si, igitur, illico absolvere poenitentem non possit, Confessarius moerorem animi dissimulet et pietate ac charitate motus medicum imitetur qui cum sit *periculum in mora* remedia efficaciora ac promptiora adhibet.

Expedit ad hunc finem bene eum disponendi ut breve tempus, si fieri possit, v. gr. *unius horae* ei assignetur ut ad altare B. Virginis oret ad impetrandam contritionis gratiam et animae salutem, promittens tamen ei absolutionem.

Postea vero, reversi poenitentis voluntatem exploret, satisfactionem aliquam graviorem indicando, quin tamen metu eum afficiat; si autem eam recipiat facile, bonum erit inferiorem assignare.

Quamvis autem his et similibus experimentis vel sese gerendi rationibus, inquietudo quaedam Confessario remaneret, memoriae revocet illud Chrysostomi quod melius est rationem reddere ob misericordiam quam ob severitatem, dicatque cum Apostolo: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (Rom. IX, 3). Non enim Confessarius iustitiae tutor sed praecipue misericordiae est, vicariusque amoris Christi, iustitiae Dei utique sed illius iustitiae qua Deus ut pater filiorum emendationem vult.

Si vero, impenso labore et omni zelo, poenitentem videat non poenitere, tunc Confessarius reprimens animi sui desolationem eum severe alloquatur terreatque metu Dei iudicii, sed subito verba dulcia immisceat ac eum « ut blandissime poterit tractatum dimittet » rogans eum ut quamprimum revertatur. Interea vero ferventer pro eo orare non desistat; de animae enim salute aeterna agitur.

**213.** — 6. **Quid experientia sanctorum doceat.** In vita S. Bernardi legitur ipsum iuvenem quemdam in peccato turpi habituatum ac recidivum curasse differendo per tres dies atque altera et tertia vice per alios tres dies absolutionem ei differendo, donec poenitens animadvertens sibi non gratiam aut vim passioni obsistendi sed voluntatem deficere, ferme vitam emendare proposuit et prompte propositum praxi feliciter applicavit, ipso S. Doctore certe orante ac adiuvante.

Item, S. Philippus Nerius, cuidam iuveni recidivo mandavit ut statim ac relapsus fuerit ad se reverteretur ad peccatum confitendum, eumque semper absolvit donec haud multo tempore elapso iuvenis ad bonam frugem gratia Dei redactus est. Hanc methodum ipse ab aliis quoque Confessariis sequendam esse dicebat, ut videri potest ex monitis quae eis ut bene confessarii munere fungerentur dabat, quaeque a P. Favre in sua eruditissima opera cui titulus: *Dubitationes theologicae de iudicio practico circa recidivos*, afferuntur. Ibidem etiam legitur S. Ioannem Baptistam de Rossi consilium S. Philippi Nerii sequutum esse.

S. Leonardus suggerit mitigare poenitentis tristitiam ob denegatam, id est, dilatam absolutionem, hortando eum ut velit per breve tempus sibi vim facere ne passioni denuo cedat, oret ferventer B. Virginem, Rosarii praesertim recitatione, ac propositum mane ac vespere repetat (1).

(1) En verba ipsius Sancti Leonardi: *Ecco dunque che per vostro bene, acciò vi disponiate meglio ad un vero dolore che sia principio d'una vera mutazione di vita, vi esorto, vi prego, vi scongiuro, per quanto amate l'anima vostra, a provarvi per alcuni giorni a fare violenza a voi stesso: fate dunque qualche piccola penitenza, recitate ogni giorno la terza parte del Rosario, e mattina e sera tre « Ave Maria » ad onore dell'Immacolata Concezione, con un atto*

Docet item ut non exigatur quod brevi tempore habitum pravum dimittant, sed hortentur vehementer ut sibi vim iniiciant gratia Dei adiuti ne peccent. Si diebus assignatis, ait ipse, relabantur minus quam antea, absolvete eos; nam ii lapsus ex fragilitate non ex malitia ortum habent et ob illud parum quod obtinetur, videri potest quod *adest spes emendationis*. En praxis salutaris valde, exclamat vir sanctus, en praxis multum prudentialis quae nec ad laxitatem nec ad rigorem inclinat. Sequantur eam Confessarii et sit inter nos, ait ipse, istud foedus ad summum populi bonum: ipsi poenitentes grati vobis erunt (1).

*di contrizione e proponimento efficace, la sera, di non peccare in quella notte. Pensate ogni giorno per breve tempo alla morte o all'inferno o all'eternità: e sopratutto quando siete sorpreso dalla tentazione dite subito: « Gesù mio, misericordia! » od altra simile giaculatoria, ricorrendo all'aiuto di Dio, e ne proverete frutto mirabile. — Ma, padre mio, dirà il penitente, se in questi giorni morissi? — Anzi questo vi deve pungere il cuore (prosegue il santo); perchè nel caso vostro in cui si dubita della disposizione, v'è molto da temere che con tutta l'assoluzione vi dannereste, dove che, facendo un atto di contrizione con proposito fermo di emendarvi, e di ritornare compunto per ricevere a suo tempo l'assoluzione, benchè moriste, vi è molto da sperare che andreste in luogo di salute. Fate dunque cuore, e non dubitate, figlio mio, ma siate pur certo che vi tratterò da padre, non vi sgriderò, vi consolerò, con speranza che mi abbiate poi a ringraziare in questo mondo e nell'altro. L'esperienza insegna, aggiunge egli, che, trattati i penitenti in questo modo con tutta amorevolezza, accettano volentieri e con profitto grande la dilazione dell'assoluzione* (*Avvertim.*, n. 15).

(1) *Avvert.*, n. 15: *O padre, più e più volte m'è stato detto,* ait ibidem ipse, *o padre, se avessi trovato dapprincipio del mio male un confessore che mi avesse trattato con la carità con cui mi avete trattato voi, non mi troverei nello stato pessimo in cui mi trovo, nè avrei commesso tanti peccati. E ciò detto, si sfogava in pianto di consolazione. Ringraziato sia l'Altissimo, che mi pare di vedere ormai spianati i monti di tante difficoltà. Camminiamo pure per questa via battuta dai santi; e siate certi che, uniti nelle massime e ben provvisti di questo pane di vera prudenza, riempiremo di anime il santo paradiso. E si guardino, conchiude il santo, molto bene quei confessori che operano sì diversamente e temano e tremino che per cagion loro si abbia a riempire d'anime l'inferno!*

Nec minorem charitatem commendat S. Alphonsus. Humanissimis verbis alloquatur poenitentem Confessarius, ait ipse, si ex necessitate absque absolutione eum dimittere debeat; hortetur ut statuta die absque ulla mora incunctanter redeat. Haec est via salvandi peccatores, ait, nempe eos benigne tractare, ne horrorem in Sacramentum eiusque ministrum animo concipiant (Cf. *Praxis*, n. 5) - (1).

**214.** — 7. **Quaedam obstacula ad absolutionem.**

*a*) *Periculum et occasio.* Saepe necessarium est bene distinguere et cognoscere in praxi peccati periculum et peccati occasionem: haec illud complectitur, sed non viceversa. Quando occasio, ex natura sua proxima, non continet nisi periculum remotum peccati, etsi secumferat tentationis periculum proximum, ut remota habenda est. Absolvi, igitur, potest et debet qui in ea invenitur etiamsi eam derelinquere nolit, cum saepe eas occasiones vitare nequeat (2).

(1) *Con questa gente,* dicebat B. Cafasso, *dobbiamo far di tutto onde assicurarci che ritornino; usar tutte le promesse più lusinghiere per allettarneli, dicendo che saremo sempre pronti a riceverli dando loro la preferenza in ogni ora, che faremo quanto sarà in nostro potere a loro riguardo a costo quasi di doverne rendere conto noi medesimi; mai nessuna minaccia, ma promesse di pochi carichi e penitenze... Bisogna invitarlo ad ottenere con la preghiera la cognizione e la detestazione dei suoi peccati, promettendogli di pregare anche noi per lui, ed esortarlo a ritornare quanto prima anche tra un'ora o mezz'ora dopo aver ottenuto da Dio e dalla B. V. il vero dolore* (*Vita*, aut. cit., p. 324).

(2) De Beato Cafasso legitur: *Alla domanda se nel dubbio di dare o no l'assoluzione, fosse meglio concederla o differirla sempre che il penitente si giudicasse convenientemente pentito, egli in opposizione a quanto insegnavano i Rigoristi, non esitava a rispondere esser meglio abbondare nel concederla; giacchè giusta l'esperienza si fa così assai più bene ai penitenti. Tenendosi duro v'è infatti pericolo che i fedeli abbandonino i sacramenti od almeno non vi vadano con tanta frequenza. Nell'impartirla usava tuttavia in tali casi una grande destrezza per farne rilevare il benefizio e mostrare al penitente che faceva uno sforzo*

Attamen, deneganda est absolutio ei qui promittere non vult v. gr. choreas non adire quas experientia eum docet esse occasionem peccandi proximam. Item, v. gr. deneganda absolutio ei qui disposuit per testamentum corpus suum comburi post mortem, et nolit mandatum retractare. *Huiusmodi morientibus sacramenta deneganda sunt* (S. Off. 27 Iul. 1892) et *sepultura ecclesiastica item deneganda* (S. Off. 15 Dec. 1886. Cod. I. Canon. c. 1240, § 1, 5°). At ii, quos constet in bona fide fuisse et ignorasse Ecclesiae prohibitionem, vel non perseverasse in voluntate mala usque ad mortem, sepultura ecclesiastica privandi non sunt; item ii, quorum corpora comburuntur non propria sed aliorum voluntate; his vero Ecclesiae ritus et suffragia impertiri possunt, remoto scandalo et non usque ad cremationis locum.

**215.** — *b*) *Impedimenta matrimonialia.* Quamquam de his inferius et fusius tractare oportet, tamen hic venit dicendum quod quando poenitens impedimentum aliquod habeat, matrimonio adhuc non contracto, necesse est naturam illius bene cognoscere, necnon limites et extensionem, iuxta Cod. Iuris Canonici. Deinde obligandus est poenitens ut impedimentum vel impedimenta, si quae sint, denuntiet, ad obtinendam dispensationem a S. Sede vel ab habente facultatem ad normam canonum.

Si autem adsit causa urgentissima, v. g. in periculo mortis (haud confundendum cum articulo mortis) vel quando iam iam matrimonium in eo est ut celebretur et tempus desit ac modus dispensa-

*per assolverlo e liberarlo dal peccato e dal demonio. « Nel darle l'assoluzione il cuore mi trema per paura ch'ella ricada e si faccia un buco nell'acqua, egli diceva a costoro, ma in vista del peccato, per non lasciarla schiava di esso io l'assolvo »* (*Vita*, l. c., p. 323).

tionem prius obtinendi, tunc Ordinarius loci, clausulis a iure positis, dispensare potest. Si nec Ordinarius adiri possit ob temporis defectum, parochus vel sacerdos delegatus ad hoc dispensare potest, vel etiam Confessarius (hic vero in foro interno et in actu tantum sacramentalis confessionis). Cf. can. 1042-1093.

Hoc in casu tamen, parochus vel sacerdos delegatus qui dispensat, tenetur statim certiorem facere loci Ordinarium et adnotare dispensationem in libro matrimoniorum.

« Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo, de quo in can. 379, asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali » (can. 1047).

**216.** — *c*) *Circa materiam sollicitationis.* Meminerit Confessarius non posse absolvi poenitentem qui renuat denuntiare, saltem infra mensem, Confessarium quem constet certo ad turpia sollicitasse, iuxta dicenda infra.

Imponere debet mulieribus aut pueris ut quantocius eam faciant ne ob negligentiam excommunicationem incurrant elapso culpabiliter mense a die monitionis.

Denuntiare debet sollicitantem qui sollicitatus fuit sive vir sive mulier, etiam impubes, necnon qui sollicitationem certo rescivit a fide dignis etiamsi sub secreto naturali, etsi agatur de denuntiando stricta consanguinitate coniuncto; in hoc casu tamen quidam theologi admittunt exceptio-

nem, ut si quae, v. g. denuntiare deberet patruum; item licet consenserit sollicitationi quin tamen consensum fateri teneatur; item licet sciret sollicitantem sponte comparuisse; item puella quae adhuc ignara mali sollicitata fuit, denuntiare debet statim ac pravae sollicitationis compos effecta est (Scav. III, 401, ex S. U. I. 11 Maii 1707); item licet incurrere debeat indignationem et increpationem delinquentis, nisi tamen denuntians grave sibi damnum in vita, fama aut temporalibus bonis timere debeat; excepto tamen casu quod sollicitatio procedat ex contemptu religionis aut animarum pernicies sequatur, quia tunc privato damno bonum commune praevaleret (Baller. ad G. II, 593).

Bene meminerit confessor quae vere sollicitationem constituunt, quaeque ita perlucide exponit Ciolli: « Sollicitatio non intelligitur nisi *primo*, in actu sacramentalis confessionis, etsi tantum inceptae et nondum perfectae, vel etsi in ea non absolvatur; *secundo*, sive ante vel post immediate confessionem, quod ita stricte intelligendum ut nullum intervallum inter sollicitationem intercurrat et confessionem, si fiat immediate ante, vel nulla alia actio serio intercedat si fiat immediate post, seu uno verbo, ut nihil mediet, ut aiunt; *tertio* sive occasione vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta; *occasione*, quando confessarius vel poenitens invitat ad confessionem veram et interea fit sollicitatio; *praetextu*, quando invitat ad confessionem fictam item cum sollicitatione, etiamsi confessio non sequatur, etiamsi nondum sederit pro tribunali vel poenitens nondum genuflexus fuerit, vel demum etiamsi confessarius confessionem ad aliud tempus differendo interea sollicitet; *quarto*, sive extra confessionis occasionem, in confessionario aut in *loco quocumque* ad confessiones *destinato*,

*seu electo, simulantes ibidem confessiones audire* » (*Dirett. prat.*, pag. 186). In hoc casu etiam cubiculum aegrotantis est locus ad confessionem electus, ita ut etiamsi confessionem simularet sollicitans denuntiandus esset.

Denuntiantes falso confessores innoxios a nemine absolvi possunt nisi a Rom. Pontif., excepto mortis periculo.

S. Alphonsus monet Confessarium ne sit propensus ad sibi assumendam obligationem denuntiandi, nisi in casu admodum extraordinario, v. gr. ob veram et gravem difficultatem poenitenti superiorem adeundi. Confessarius non dispensatur ab obligatione monendi poenitentem etsi certo sciat non denuntiaturum, nec absolvere potest donec denuntiaverit vel serio promiserit se denuntiaturum infra mensem.

Denuntiandus non est Confessarius quem certo constet obligasse poenitentem ad complicis manifestationem, licet ipse graviter peccaverit, nisi tamen fecerit ob simplicitatem vel imprudentiam. Qui non modo inquirit nomen complicis formaliter, sed et comminatur denegationem absolutionis poenitenti qui reticere velit, *gravius* peccat. At si bonum commune postulat ut complex denuntietur, Confessarius potest et debet poenitentem cogere, etiam *comminando absolutionis denegationem vel eam denegando*, ut denuntiet superiori complicem, vel (si ei nolit), sibi extra confessionem.

**217.** — *d*) Qui ignorat quae sunt *certo* de necessitate *medii*, nec licite nec valide absolvi potest; hinc qui ignorat mysteria Trinitatis et Incarnationis licite non potest absolvi, nisi in extremis versetur. Extra hunc casum expedit eum summatim docere si timeatur ne amplius revertatur.

**218.** — Non sunt absolvendi qui inimico aliquod grave damnum inferre volunt vel exoptant (nisi tamen disponi nequeant), quamvis dicant se condonare sed verbum inimico numquam dicturos fatentur.

**219.** — Absolutione indignus habetur qui restitutionem in re gravi promittere vel statum suum paulatim minuere ut creditoribus satisfaciat recusat, vel praetextus affert ad restitutionem in re gravi differendam, cum tamen constet ipsum posse nunc restituere.

Impoenitenti et adhuc peccare volenti, ait S. Laurentius Iustinianus, non est tribuenda absolutio; alioquin, qui talem conatur absolvere, seipsum quoque propria auctoritate transfigit, ac per hoc absque profectu alterius sibi ipsi plurimum nocet (*Sermo in festo S. M. Magdal.*).

CAPUT IV.

## DE SPIRITUALIS VITAE MODERATIONE

—

### Articulus I.

### Normae Generales.

**220.** — 1. **Adiuvare, non substituere.**

Praesuppositis quae de necessitate atque utilitate moderatoris circa spiritualem, imo meram christianam vitam dicta sunt (cap. I), oportet nunc expresse de moderatione ipsa quaedam considerare.

Cum christiana perfectio nequeat consistere in quorumdam exercitiorum praxi, adeo ut eam ut vestem quamdam facile induendam esse nemo cogitare possit, aequum est ut de moderatore conceptus veri habeantur ne ab eo tantum progressus in via virtutis, sicut vestis a sartore, expectetur. Fontem vitae interioris in unaquaque anima rite disposita Confessarius, nempe Moderator, aperire, Deo adiuvante, potest et debet, imo eam iam eruptam foras colere eiusque aquas dirigere tenetur, sed fontem ipsam creare ipsius Creatoris est (1).

(1) *Vous voudriez, que je vous enseignasse une voie de perfection toute faite, en sorte qu'il n'y eût qu'à la mettre sur la tête comme vous feriez de votre robe, et que par ce moyen vous vous trouvassiez parfaite sans peine, c'est-à-dire que je vous donnasse la perfection toute faite. O, certes, si cela était en mon pouvoir, je serais le plus parfait homme*

Est qui credat moderationem spiritualem similem esse arti figuli; qui autem creavit te sine te non salvabit te sine te.

Dominus Iesus vitem se et agricolam Patrem suum dixit, ut intelligamus, praeter alia, moderatorem spiritus vineam ut Pater coelestis colere utique, sed vitem bonam, vivificam ac frugiferam colendam suscipere. Sicut agricola, igitur, nonnisi vitam plantae evolvit per media apta, sic et moderator vitam spiritualem tamquam semine contentam evolvendam suscipit.

Moderatio non ad id tendit ut animabus potiatur illisque moderator se substituat in iisque vivat, sed

*du monde; car si je pouvais donner la perfection aux autres sans qu'il fallût rien faire, je vous assure que je la prenderais premièrement pour moi* (S. Franç. de Sales, *Entretiens*, IX).

Dicta huius S. Doctoris saepe in toto huius operis cursu afferimus iure meritoque. Sufficeret enim legere quae nuper Papa Pius XI saeculari anniversario illius occurrente in littera Encyclica de eo habuit. Hic autem operae pretium est haec legere:

*A l'école de saint François de Sales, on peut de même acquérir, sinon sa prodigieuse pénétration psychologique, du moins quelque chose de sa souplesse et de son doigté dans le maniement des âmes, et surtout cette connaissance technique de la pédagogie spirituelle dont sainte Thérèse faisait un tel cas qu'elle ne balançait pas à la mettre, chez un directeur, au-dessus de la sainteté elle-même. L'évêque de Genève, est dans son ordre, ce que La Fontaine et Racine sont dans le leur: le classique de la spiritualité. Il est même le prototype et, comme nous avons dit, le prince des directeurs de conscience. C'est à lui que devra toujours s'adresser, pour faire ses écoles, celui qui voudra devenir l'un de ces* mille *ou* dix mille *à qui Philothée peut confier le soin de son âme. Pas une de ses idées directrices, pas un de ses procédés n'a vieilli. Dans toutes les directions essentiels il a montré la voie. Et là même ou la pédagogie moderne l'a dépassé, nous pouvons constater qu'il a, dans le même sens, marqué la ligne à suivre, sinon d'un trait definitif, du moins, peut-on-dire, d'une sorte de pointillé lumineux... Il est l'homme de génie qui a fait la synthèse de ces doctrines antérieures, en regroupant, filtrant, condensant ce que* quinze siècles *de littérature religieuse nous avaient transmis, parfois confusément* (Francis Vincent, *S. Franç. de Sales etc., Conclusion*).

ut ipsae de passionibus dominium in dies adquirant. Director adeundus est non ut substitutor animae in sua libertate ac in suis operibus, sed ut consiliarius et director circa perfectionis arduum opus. Etiamsi autem ipse imperative loquatur interdum necesse sit, praesertim animabus scrupulis agitatis, ordinario tamen consulentis, monentis, adiuvantis, sublevantis partes gerere debet. Si v. gr. firmiter exigere debeat orationem, libertatem nihilominus relinquere debet circa methodum modalitatesque eligendas; circa has multum proderit consilium, et si quando firmiter loquendum esse ducit, nonnisi ut libertate animam donet id aggredi potest.

**221.** — 2. **Non lacessat neque molliat.**

Cavendum est Confessario ne imperio animas regat; etenim benignus ac suavis esse debet ad maiorem fructum obtinendum, et saepe ad linum fumigans non extinguendum.

Haud raro evenit ut animae etiam piae difficultatem inveniant in his quae sua sponte iam faciebant, ex quo haec imperatae sunt a moderatore. Sunt aliae quae, saltem in initio conversionis, libenter audiunt corrigentem se, quin correctionem intendat; si vero sciant corrigentem velle reapse eas corrigere vel monere, illico superbiae motu sicut stimulo recalcitrant (1).

Sit ergo regula suprema haec qua Director seu

(1) *Comme il y a des personnes qui, pour agréable que soit un médicament, ont du contre-cœur à le prendre, seulement parce qu'il porte le nom de médicament, aussi il y a des âmes qui ont en horreur les actions commandées, seulement parce qu'elles sont commandées; et s'est trouvé tel homme, ce dit-on, qui ayant doucement vecu dans la grande ville de Paris, l'espace de quatre-vingts ans sans en sortir, soudain qu'on lui eut enjoint de par le Roi d'y demeurer encore le reste de ses jours, il alla dehors voir les champs que de sa vie il n'avait désiré* (S. Franç. de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*, l. VIII, c. 5, t. V).

Moderator, nempe Confessarius, ducat animas ad plenam sui ipsarum reformationem, Deo adiuvante, per seipsas, sponte, toto corde instituendam.

Non expedit ut vitam poenitentis ita regulis minutis ac multiplicibus instruat ut ipsi auferat veluti sui ipsius curam atque socordiam et acediam in illo colat. Anima procedat proprio gressu, moderatore viam demonstrante. Efficere animas fortes qui progredi possint valide, strenue usque ad summitatem Dei montis, et propriis pedibus incedant, sit illi sollicitudo constans atque efficax cura, et ad imitationem S. Francisci Salesii illas sibimetipsis restituat postquam gressus earum consolidaverit, atque in via ac certamine spirituali bene eas muniverit.

**222.** — 3. **Libertas tuenda.**

Animarum seu poenitentium libertas sacrior esto. Omnia ex amore fiant, nihil autem ex vi procedat; oportet eas magis amare obedientiam quam timere rebellionem. Videat tamen Confessarius ne concedens poenitenti iustam libertatem, ius tribuat illi valorem theoricum consiliorum quae illi dabit diiudicandi, licet quandoque ad praxim impervia vel difficilia ea inveniri possint: non enim moderatio spiritus est consultus platonicus.

Curet ut non semper directe moneat, sed adhibeat Confessarius potius methodum indirectam quae, secundum casus, erit vel impulsus, vel persuasio, vel inspiratio, ut possit, quemadmodum in bello, praesidium expugnare. Sit illi cura assidua agendi super animas movendo voluntatem ad instar orantis vel desiderantis, atque providendo ut monitis suis omnes spinas, quoad fieri possit, auferat.

Voluntatem vincendi non ostendat poenitentique persuasionem relinquat tamquam si iste actus suos sponte eligeret, ita ut ipsius voluntas maior fiat,

quatenus agere se credat motu proprio, licet pater spiritualis desideria propria manifestaverit. Deliberatio eius huiusmodi inspirata, non imposita, duplum fructum secumferret.

**223.** — 4. **Vias cordis probe noscat.**

Interdum bonum erit, pro qualitate poenitentis, ut monitionem sibi ipsi Confessarius referat, vel poenitenti et sibi ipsi simul, vel tertiae cuidam personae invocatae loquatur, cuius intermedio declaretur expectandam correctionis gratiam et obtinendum auxilium. Corrigat, moneat Confessarius quin monitionem correctionemque facere videatur; monitio, hortatio, repraehensioque eius facile sicut aqua dulcorata bibatur. Dulcedinem infundat sapienter, v. gr. laudans prius ob monitionem parvi momenti quam secutus sit poenitens; vires ac animum attollat, praesertim erga illos qui debiliores ac afflictiores sint. Cognoscat omnes vias directas ac indirectas quae ad cor ducant iisque utatur cum aliter obtinere aliquid non valeat.

Curet autem ut poenitens semper sciat active non passive se gerere sub moderatoris ductu, ita ut seipsum perscrutetur, seipsum moneat, seipsum invigilet; sciat, item, mandatum, si quod sit, vel consilium, vel desiderium patris spiritualis ad circumstantias adaptare, ac proinde cum libertate mutare vel minuere si illae repente et insperate oriantur; sciat intelligenter et active obedire, totamque mentem Confessarii in casu dato cognoscere circa consiliorum executionem, ne animo deficiat cum non possit ea exequi.

**224.** — 5. **Methodus sit prudens.**

Quoniam autem animarum morbi aeque ac corporum infirmitates diversa exigunt remedia eaque

progressiva, sciat bene medicus spiritualis quomodo ab initio curandus sit morbus, quomodo postea et circa finem. Ne sit de illis qui omnibus indiscriminatim eadem repetunt, prout dies festi opportunitatem ferat.

Auctoritas spiritualis, etiamsi directa et imperativa, ex parte Confessarii (qui potestate sua utitur nonnisi ut se poenitentium utilitati subordinet), non quaerat nisi ut eos adiuvet, ut seipsos in bono et ad bonum colant, et finem consequantur prout propria indoles et Dei consilium super eos exigunt; haec auctoritas media ad finem variet pro unaquaque anima, quinimo in eadem anima varie varia operetur secundum status eius interioris mutationem, formulas generales et abstractas vitando ut possit super unumquemque, non super categoriam vel speciem moralem individuorum, apte influere. Haec actio constans, illaque sollicitudo, moderatio seu directio progressiva vocatur.

**225.** — 6. **Actionem Dei scrutetur et sequatur.** Director spiritus, cum sit regulator et arbiter circa agendi rationem in spirituali proclio, debet directo suo declarare utrum haec vel illa inspiratio a Deo procedat. Hinc necesse est ut eum bene cognoscat ne actio Dei incognita maneat. Quoniam enim constat vitam perfectam ex fide, quae ex Deo est, et ex perfectionis desiderio proficisci, hoc et illam evolvere curet perscrutans naturae et gratiae differentes motus. Sollicitus sit activitatem poenitentis adiuvare, non coarctare, dirigere non supprimere, actionem divinam coadiuvare non limitare nec impedire vel praevenire. Sciat diu plagas observare, examinare, sicut medicus, antequam iudicium ferat, recordetur naturam humanam non capi rude per principia *a priori* nec dirigi

ad nutum nisi raro et quasi per exceptionem v. g. in personis quae privilegiis divinis ditantur. Oportet semper ut non tantum libertatem humanam, sed et voluntatem divinam honoret et respiciat, praesertim cum de vocatione religiosa agatur, ut possit animabus in earum inspirationibus supernaturalibus vere servire (1).

**226. — 7. Characterem poenitentis respiciat.** Error gravis est poenitentium genium et indolem particularem ignorare aut negligere, cum tamen gratia naturam non destruat, sed moderando, corrigendo sanctificet. Quia autem indoles uniuscuiusque in natura individuali, qua talis fundatur, necesse est naturalis huius qualitatis ex quo malae et bonae dispositiones oriuntur, rationem habere ne tempus frustra teratur neve innumera gravia consectaria locum habeant. Difficile est enim ut duae animae cum iisdem qualitatibus, donis, defectibus, inclinationibus, aptitudine, capacitate, habitibus inveniantur: quaevis anima opus propriae perfectionis adipiscendae potentia morali diversa, idoneitate ac aptitudine variabili aggreditur (2). Sit Confessarii, seu Moderatoris, prima cura habitum initialem poenitentis colere vel corrigere etiamsi inconstantem, mutantem, transeuntem videat, ut unusquisque, sicut

(1) *Courage, ma fille, Dieu nous veut aider à notre dessein; il nous prépare des âmes d'élite. Mademoiselle de Blonay, de laquelle autrefois je vous ai parlé, m'a déclaré son désir d'être religieuse; Dieu l'a marquée pour être de la Congrégation. Je lui ai dit de servir cette âme en son inspiration* (S. Franç. de Sales, *Lettre à la bar. Chantal*).

(2) *Il s'en trouvera qui auront été mal nourries et mal civilisées, qui auront la nature rude et grossière. Or, il n'y a point de doute que celles-ci n'aient plus de peine et de difficulté que celles qui auront le naturel plus doux et traitable: et qu'elles seront plus sujettes à faire de fautes que d'autres qui seront mieux nourries* (S. Franç. de Sales, *Vrais entretiens*, entr. XVII).

plantatio, secundum propriam naturam particularem atque secundum propriam conditionem, statum, rerum adiuncta efflorescat ac fructificet. Neque credat hoc sibi facile esse, nam unusquisque sanctitatem propriam, id est, propriae indoli aptatam, aliis sensim sine sensu et imperceptibili modo, sponte sua, communicare tendit; unde uniformitatem arte factam atque noxiam et instabilem perfectionem efficeret in animabus. Sufficit unicuique ut id sit vere et plene et secundum naturam et gratiam quod ex se esse debeat. Ad hoc autem cavendum ne elementa inutilia, superflua, noxia in hanc spiritualem plantationem subintrent, ne anima *denaturetur*. Non enim illud Apostoli: *Mihi vivere Christus est* (Ph. I, 21) intelligi potest tamquam boni a Deo accepti destructio vel annihilatio, sed intelligendum naturam per gratiam nobilitari, extraneis proprietatibus expoliari, veram vitam consequi, perfectam libertatem adipisci, vere sui iuris esse in Eo qui est vita (1).

(1) *L'on n'a pas accoutumé de nourrir les petits enfants d'autre chose que de lait, et quand ils deviennent grands et commencent à avoir des dents on leur donne du pain et du beurre... Les Supérieurs et ceux qui sont élevés à la conduite des âmes doivent particulièrement imiter les Anges en cette douceur et support du prochain, les conduisant, élevant et traitant avec une grande charité selon la capacité de leur ésprit* (Id., *Traité de l'amour de Dieu*, l. II, c. VII).

*Il est necessaire que ceux qui gouvernent les âmes aient une grande industrie pour les savoir toutes conduire comme il convient, selon leur capacité et portée. Il faut qu'ils usent d'une grande discrétion pour leur donner la pâture de la parole de Dieu au temps convenable et propre à la bien recevoir; discrétion encore pour en bailler à un chacun ce qu'il en a besoin et en la manière qui lui est plus à propos. Et que l'on ne dit point: vous ne me parlez pas tant pour ma perfection qu'à celui-là. Je crois bien, vous n'avez point encore les dents!* (Id., *serm. pour la fête de l'Arc. S. Michel*).

*Par ces deux tendances: tendance à imposer à tous une perfection idéale, assez froide du reste, tendance à l'immutabilité, les Jansénistes ont fait du catholicisme une religion d'exception, incapable de s'acco-*

Pensum Confessarii seu Moderatoris in eo est ut aedificet christianum in homine secundum fundamenta, loci amplitudinem aliaque necessaria quae Deus posuit, adeo ut simili modo erga alium procedere non possit. Bene meminerit Confessarius non esse aliquam methodum ad animas dirigendas quae omnibus aptari possit, nude generaliter loquendo, neque literas quas cuidam daret, alteri prodesse posse.

**227.** — 8. **Omnia omnibus.**

Imprudentiae esset ab incipientibus in via virtutis id requirere quod vix a perfectis exigi possit (1). Cor poenitentium bene cognoscat Confessarius antequam consilium eis offerat, memor quod institutio spiritualis magis quam civilis vel laica, numquam est alterius institutionis reproductio. Pedetentim ambulet cum eis, *omnia omnibus factus* ex animo ut eis indicet quomodo *omnia cooperentur in bonum diligentibus Deum;* non dubitet de rebus vitae communibus loqui cum ad bonum spiritualem referantur vel ad hoc per se adducant; sollicitudines poenitentium seu animarum, quas moderatur, excipiat ea cura ac si magni momenti essent, etiamsi

*moder de la vie ordinaire des neuf dixièmes de l'humanité: pour être chrétien, il faut être un » individu paradoxe de l'espèce humaine ». Ces tendances particularistes se résument dans l'horreur des Jansénistes pour la casuistique et dans leur lutte contre les casuistes* (Paquier, *Le Jansénisme,* Paris, Bloud, pp. 331-333).

(1) *Saint Bernard, en ses commencements était plein de rigueur et d'âpreté envers ceux qui se rangeaient sous sa conduite, auxquels il annonçait d'abord qu'il fallait quitter les corps et venir à lui avec le seul esprit. Oyant leurs confessions, il détestait avec une sévérité extraordinaire toutes sortes de défauts, pour petits qu'ils fussent, et sollicitait tellement ces pauvres apprentis à la perfection, qu'à force de les pousser, il les en retirait; car ils perdaient cœur et haleine de se voir si instamment pressés en une montée si droite et si relevée* (S. François de Sales, *Introduction à la vie dévote,* P. III, c. 2).

valde indifferentes per se sint. Sunt enim haec veluti adminicula haud parvi momenti ad finem consequendum. Omnis directio spiritus paternum licet breve colloquium sit de necessitatibus quas hic et nunc poenitens experitur. Ars artium haec, regimen animarum, in eo praecipue non sistit ut in animabus *synthesim* quamdam efformet, ut aiunt quidam psychologi moderni, ex elementis psychicis, ex associatione idearum et sensationum resultantem, sed in eo est ut illam *synthesim* si quae sit, discernat circa bonum malumque quod contineat, ut ea utatur ad finem. Sic v. gr. agens circa animas quae heroismum ex virtute militari, veluti sanguine commixta, prae oculis habent, perfectionem christianam illis tamquam bellicum opus suscipiendum praesentare bonum erit. Animae qualitatem specialem cernat ac prae oculis habeat et super eam monita hortationesque opportunas aedificet.

**228.** — 9. **Moderatio sit progressiva.**

Meminerit Confessarius naturam nec in naturalibus nec in spiritualibus per se saltus facere; quapropter parvam fiduciam habeat circa perfectionem repente acquisitam, nisi tamen evidenter digitum Dei in casu dato cernere possit. Verus animarum profectus paulatim, sensim sine sensu via ordinaria fit. Hinc, illas illuminare ac refraenare oportet si nimis anxiae videantur circa perfectionem adipiscendam. Desiderare perfectionem brevi tempore consequi, est quasi miraculum postulare (1).

(1) *Saint Paul tout en un moment fut purgé d'une purgation parfaite, comme fut aussi sainte Catherine de Gênes, sainte Magdeleine, sainte Pélagie et quelques autres; mais cette sorte de purgation est toute miraculeuse et extraordinaire en la grâce, comme la résurrection des morts en la nature, si que nous ne devons pas y prétendre. La purgation et guérison ordinaire, soit des corps soit des esprits, ne se fait que petit à petit, par progrès, d'avancement en avancement, avec peine*

Agrum spirituale paullatim est colendum, defectusque sicut inimici exercitus singillatim sunt devincendi iuxta illud: *Divide et impera.*

Secundum regulas experti ducis in bello, obiectum bene definitum conquirendum proponat poenitenti Confessarius, nec ad aliud transeat antequam illud expugnatum sit propugnaculum contra christianam perfectionem; alias esset aërem verberare. Omnis profectus, gradus erit et basis quaedam conditioque ad meliora instauranda certamina atque victorias de difficultatibus passionum, mundi ac diaboli reportandas. Item, omnis nova adquisitio moralis, imprimens solide in spirituale organismum vim specialem, Deo adiuvante ac gratiam elargiente, per actuum repetitionem et habitum, erit animae vis offensiva ad novum proelium. Sic per gradus inceditur non per saltus (1).

Hoc principium autem verus spiritualis paedagogus praesertim erga animas adhuc in bono et in virtute novitias applicare studebit, ne eas currere sinat cum eis lente incedendum sit.

*et loisir... La guérison, dit l'aphorisme, qui se fait tout bellement, est toujours plus assurée... Il faut donc être courageuse et patiente, ô Philothée, en cette entreprise... N'est-ce pas un extrême danger aux âmes lesquelles, par une tentation contraire, se font à croire d'être purgées de leurs imperfections, le premier jour de leur purgation, se tenant pour parfaites avant presque d'être faites, et se mettant au vol sans ailes* (S. Franç. de Sales, *Introduction à la vie dévote*, P. I, c. V).

(1) *Contentez-vous de gagner de temps en temps quelque petit avantage sur votre passion ennemie* (S. Franç. de Sales, *lettre à M. de la Fléchère*). — *Il n'est pas expedient de passer d'une extrémité à l'autre sans milieu* (Id., *au P. de Quœx*). — *Non sans doute, il n'est pas possible d'arriver en un jour ou vous aspirez; il faut or gagner ce point, demain un autre, et pied à pied nous nous rendrons maîtres de nous mêmes, qui ne sera pas une petite conquête* (Id., *lettre à M. de Limojon*).

**229. — 10. Facile erratur.**

Elementaris veritas videtur haec sane, sed quam difficile est saepe eam sequi! Oportet enim multa callere experientia, multa reflexione atque intuitione psychologica uti ad intelligendum quod poenitentes non omnes nobiscum ambulare eadem via eodemque saltem modo possint. Si nec S. Bernardus, nec Lacordaire, nec Fénelon sufficientem animarum penetrationem et affabilitatem habuerunt ad vitandos asperos modos agendi erga discipulos vel poenitentes, ne credat Confessarius facile esse poenitentibus rite et prudenter condescendere ut altius assurgant, et nihil aliud ab ipsis petere quam quod, natura et gratia operante, dare possint.

Ceterum, omni tempore, spiritualis ignavia animas quam plurimas impulit ut strenue in spirituali agone ad breve tempus, anxietate ac amore nimio in seipsos exagitati decertarent ut postea quietem falsam degustarent ac victoriae tropaeis coronarentur. Ignavia haec arcenda est ab animabus, sed imprimis a zelo bene distinguenda ne sub specie boni diu in illis lateat. Dicendum autem quod humana natura, nisi gratia divina constanter praevaleat, eodem modo se gerit circa perfectionem adipiscendam quo ad scientiam consequendam: utilitas immediata adeo quaerit ut, si valde longe videatur, vires deficere incipiant. Bonum certo erit interdum quod poenitens fructus sui laboris videat quam primum, sed errorem graviorem vitare necesse est, nempe, quod finem idealem perfectionis christianae ipse seponat vel recuset, adeo ut super infimum gradum sistat quasi summum attigerit. Labor in virtute sectanda perutilis procul dubio erit si finis superior ac supremus semper intendatur. Hunc enixe absque anxietate et ignavia desiderare et interea ferventer agere ad finem, viam tutissimam parat.

Sciat poenitens non crastinam diem oblivisci, sed non praevenire, sciat crastinum recipere ut est non autem ut velit, sciat item per imperfecta opera ad perfectionem pervenire, nam perfectum est imperfectionem acceptare quidem sed minuendam atque paullatim expungendam (1).

Doceat spiritualis magister poenitentem hic et nunc agere sed ut melius diem sequentem vivat, doceat parvum aeque ac magnum opus considerare ut sciat postea magna agere et ut per constantem submissionem ad ordinem naturalem atque supernaturalem ad perfectionem christianam secundum statum proprium perveniat.

**230.** — 11. **Pietas affectiva.**

Amor ex eo quod est motus quidam voluntatis ad agendum secundum dilecti, nempe Dei, voluntatem, est perfectionis basis ac finis. Amor autem non illico perfecte communicatur a Deo, sed paullatim, sicut virtutes, crescit in dies. Circa hoc autem actio Directoris non in eo est ut poenitentem doceat rationes Deum amandi, sed tali modo quaedam docendi ut cor moveatur atque voluntas ad actiones transeat. Cum vero amare nihil aliud sit quam velle et agere, idea actionem non provocat plerumque nisi antea per cor, ut ita loquamur, transeat.

Disciplina voluntatis, hac ratione accepta, cum usu status affectivi coincidit. Ferventiores enim pietatis actus ordinario inefficaces et parum con-

(1) *C'est bien fait, d'aspirer d'une générale aspiration à l'extrême perfection de la vie chrétienne, mais, il ne faut pas philosopher en particulier, sinon sur notre émendement et sur notre avancement selon les occurrences quotidiennes de jour en jour, remettant la conduite de notre souhait général à la providence de Dieu* (S. Franç. de Sales, *Lettre à M. de la Fléchère*).

stantes sunt si ex sola reflexione eaque rationali tantum procedant. Nonne Dominus Iesus in Deo Patrem nostrum agnoscere non docuit ut promptius, efficacius, constantius ipsi serviamus, Eumque amemus? Licet, igitur, sensibilitati affectivae haud multum fidendum sit, eam tamen negligere non expedit, nam partem haud parvam habet in nostra reformatione atque perfectione, cum nonnisi ad recte agendum ea uti debeamus (1). Si quis sciat se amari ab aliquo, ait Salesius, ad redamandum se inclinari sentit (2).

Hoc principium psychologiae humanae, cum ad diligendum Deum applicatur, optimos fructus producere potest. Quapropter cura praecipua Moderatoris sit ut in animabus non modo cognitionem, sed et evidentiam veluti practicam de Dei amore in seipsas, singillatim habeant, adeo ut non tantum intelligant se et quodammodo sentiant, id est, cognitionem quamdam practicam de divino amore erga

(1) *Je n'ai point souvenance que N. Seigneur nous ait commandé de guérir la tête de la fille de Sion, mais seulement son cœur. Non, sans doute, il n'a jamais dit: — Parlez à la tête de Hierusalem, mais oui bien: Parlez au « cœur de » Hierusalem* (S. Franç. de Sales, *Lettre à la Chantal*).

(2) *N'oublions pas que la sensibilité pour saint François de Sales doit être mise au service de l'action. Elle n'est qu'un stimulant de la volonté. M. Oulmont a donc tort d'écrire: « Grâce à saint François de Sales les femmes du monde connaîtront une piété aimable et toute sentimentale ». Les femmes du monde qui ne connaîtront que la piété sentimentale, dont parle M. Oulmont, ne seront pas des filles authentiques de l'évêque de Genève. Piété sentimentale, oui, mais pas toute et uniquement sentimentale ! L'appel au sentiment ne se fait qu'en vue des œuvres et des résolutions. O résolutions, dit-il... combien mon âme vous doit chérir, puisque vous avez été si chère à mon Jésus. Hélas, ô Sauveur de mon âme, vous mourûtes pour m'aquérir mes résolutions, faites-moi la grâce que je meure plutôt que de les perdre »* (*Introduction*, 2e P., c. XIII). « *La piété salésienne est une piété sensible, mais elle ne se résout pas en sensiblerie stérile* » (Francis Vincent, *S. Franç. de Sales, etc.*, p. 484-485).

se concipiant, imo eas adducat ad talem mentis persuasionem quasi illam ita Deus diligeret, cum qua Moderator loquitur, ut si nulla alia existeret Nonne sanctitas D. Pauli illis verbis explicatur et continetur: *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me?* (Gal. c. II, 20).

**231.** — 12. **Obiectum.**

Videant tamen poenitentes quod ille Deus de quo Confessarius, nempe Moderator loquitur, non est tantum abstracte considerandus ut in metaphysica, sed Deus-homo in sua Divinitate et humanitate diligendus, Iesus Christus, Deus praesepii, Nazareth et Crucis, imo Deus latens cum assumpta humanitate in Eucharistico sacramento. Iuxta plerosque sanctos credere firmiter Dei amorem particularem erga unumquemque nostrum, idem est ac ardenter amare, nam haec fides accensa est et ignea (1). Hic ignis facilius exardescit cum bonitas divina in humanitate Iesu consideratur secundum illud: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* (Tit. III, 4); et: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis* (Io. I, 14).

Caveat Confessarius ne animas hac suavi emotione ullo modo privet quae ex Iesu Christi mysteriis abunde emanat, neve sub praetextu contemplationis adipiscendae ab eorum meditatione corda

(1) *Ah, mon Dieu, que nous devrions profondément mettre ceci en notre memoire: est-il possible que j'ai été aimée et si doucement aimée de mon Sauveur, qu'il allât penser à moi en particulier, et en toutes ses petites occurrences par lesquelles il m'a attirée à lui? et combien donc devons nous aimer, chérir et bien employer tout cela à notre utilité! Ceci est bien doux: ce cœur aimable de mon Dieu pensait en Philothée, l'amait et lui procurait mille moyens de salut, autant comme s'il n'eût point eu d'autres âmes au monde en qui il eût pensé* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 5ª p., c. XIV).

compescat (1). Non enim homo purus spiritus est sed sensibus ornatur, sensibilibusque rebus ad altiora est attollendus atque fulciendus. Nonne ipsa sacra Liturgia canit: « *Ut dum visibiliter Deum cognoscimus per hunc in invisibilium amorem rapiamur* » ? (*Praef. Nativ.*).

Quia autem Passionis mysterium magis corda et voluntates movet quatenus magis est Dei bonitatis et amoris manifestativum et ad Dei amorem magis allicit (2), studeat Confessarius ut poenitentes saepe mentis et corporis oculos in Iesum crucifixum defigant ut exinde validius ament et fortius contra peccata dimicent ac ea detestentur (3). Nec minus consideranda cetera mysteria Salvatoris per quae Deus-Homo amorem in nos evidentius ostendit, praesertim *mysterium amoris,* Missae Sacrificium quod Salesius vocat *exercitiorum pietatis solem.*

**232.** — 13. **Pietas sit amabilis.**

Ad imitationem S. Doctoris Francisci Salesii, Confessarius omnem impendat operam ut pietas seu virtus colenda poenitentibus amabilis valde fiat, etsi difficilis quandoque ob passionum indo-

(1) *Tout ce qui était en mon pouvoir,* aiebat S. Theresia, *était de penser à Jésus-Christ comme homme* (Cfr. *Œuvres*).

(2) *La Mort et Passion de Notre-Seigneur est le motif le plus doux et le plus violent qui puisse animer nos cœurs en cette vie mortelle..... Théotime, le mont du Calvaire est le mont des amants. Tout amour qui ne prend pas son origine de la Passion du Sauveur est frivol et périlleux* (S. Fr. de Sales, *Traité de l'amour de Dieu,* l. XII, c. XXIII).

« Sine dubio loca dominicae nativitatis, passionis, sepulturae et resurrectionis frequenter circumiens invisere cupiebat. In eisdem etiam locis lacrymas fundebat, et sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat » (S. Idelphonsus, *Sermo V de Assumptione B. V.*).

(3) *Il ne se peut que l'âme qui contemple la Passion, c'est-à-dire l'amour agissant de Dieu, ne se fonde tout d'un amour saintement douloureux* (Id., *ibid.,* l. V, c. V).

lisque obstacula videri possit. Saepe enim quam plurimi ab incepto certamine desistunt eo quod virtutis faciem secundum mundi spiritum intuentur (1). Virtus autem sicut Dominus Iesus, mundo corde hominibus sese manifestat in sua pulchritudine ac amabilitate. Non enim ii cum quibus conversatus est Iesus dum adhuc mortalis esset eodem modo omnes Eum videre poterant.

Magistri in re spirituali in hoc etiam erunt efficaces si amabilem discipulis reddant virtutem, nam ex hoc desiderium ardens concipitur perfectionis, quod est iam quodammodo perfectio inchoative sumpta. Licet autem non teneantur e rosis spinas tollere, tamen rosas virtutum discipulis subtrahere nullatenus debent (2). Pietatem ac devotionem co-

(1) *Ceux qui decourageaient les Israélites d'aller en la terre de promission leur disaient que c'était un pays qui dévorait les habitants... ainsi le monde, ma chère Philothée, diffame tant qu'il peut la sainte dévotion, dépeignant les personnes dévotes avec un visage fâcheux triste et chagriné, et publiant que la dévotion donne des humeurs mélancoliques et insupportables. Mais... le Saint Esprit par la bouche de tous les Saints, et N. Seigneur par la sienne même vous assure que la vie dévote est une vie « douce, heureuse, aimable »* (Id. *Introduction* P. I, c. II).

(2) *La vertu n'est pas chose si terrible qu'on s'imagine. C'est une faute que plusieurs font: ils se forment des chimères en l'esprit, et pensent que le chemin du ciel est étrangement difficile; en quoi ils se trompent et ont bien tort* (S. Fr. de Sales, *Entretiens*, entr. VIII).

*Saint François de Sales a su donner à la vertu comme un rayonnement de poésie. Il l'a rendue attrayante et désirable. Il ne lui a point ôté sa rudesse foncière, — cela n'est au pouvoir de personne et il ne l'a point voulu — mais il en a singulièrement égayé les entours. Mieux qu'on ne l'avait jamais su faire, il l'a remise en grâce et faveur. Il a inspiré à beaucoup de se dire avec sincérité ce que Bussy-Rabutin disait un jour à M.me de Sévigné par manière de badinage: « Sauvons-nous avec notre bon parent saint François de Sales, il conduit les gens en paradis par de beaux chemins ». Sa phrase enluminée, chatoyante, parfois chantante, souvent acérée, toujours agréable, son art de conter avec humour, sa clarté qui dispense de l'effort, la pointe de préciosité dont il relève son discours et qui plaisait en son temps, tou*

lere in animabus non potest Director spiritus nisi de ea prius gustum et desiderium tamquam de re delectabili illis communicaverit. Director sicut praedicator misceat oportet utili dulce, ut instruendo et monendo gravis non evadat, neque taedio poenitentes afficiat. Sciat, propterea, veritatem nova veste donare ut naturali hominis appetitui novitatis occurrat.

**233.** — 14. **Fortis cum fortibus.**

In hoc enim studio excitandi in aliis perfectionis desiderium et rem ipsam, facile labi potest Confessarius in frigidam abstractionem. Non sufficit v. gr. dicere virtutem esse amabilem eamque sectantes multum gaudere, nisi persuasionem experimentalem propriam audientibus communicet.

Licet autem verba sua simplicia sint oporteat, attamen caveat verborum ruditatem quae imperitiam redoleat.

Videat nihilominus ne dum ad bonum allicere velit nimis indulgeat animarum defectibus. Adaptatio enim spiritualis methodi dirigendi hoc exigit ut cum fortibus animisque virilibus aliud eloquium habeat. Fortis agendi ratio pars est huius methodi, sed opportune adhibenda iuxta personarum circumstantias, qualitatesque quas bene cognoscere oportet. Sicut enim *pietas ad omnia utilis est* (I Tim. c. IV, 8) et omnibus obvia, ita etiam moderatio, seu regimen animarum ad pietatem colendam vel instaurandam, flexibilis esse debet et sicut manna

*cela fait que la dévotion prend chez lui un visage gracieux qu'on ne lui connaissait pas encore. Il a crée en sa faveur un immense mouvement d'attention et de sympathie. La piété pour avoir fourni la matière d'un chef-d'œuvre littéraire est devenue pour son siècle, et même pour toujours, chose de bonne compagnie et de bon ton!* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 546).

omnium gustibus aptanda circa ea quae indolem non virtutis substantiam respiciunt. Pensum hoc discretionis est quae diversa diversis, etiam sub novitatis specie subministrat (1).

## Articulus II.

## Normae speciales.

**234.** — 1. **Amor finis est et medium.**

Deum diligere, sicut iam dictum est (**230-231**), finis et medium perfectionis est (2). Amor enim sicut lympha vitalis organismum spiritualem sanum adeo reddit et servat, ut ex se nociva elementa, quae continet, eliminare valeat. Nonne plantatio humorem, aedificium fundamenta requirit? Domus autem fundata super firmam petram, aquarum impetum sustinere potest. Dominus Iesus, qui charitas est, seipsum *viam* appellavit; amor est enim via et viae terminus, nam Ipse satis nobis aperuit

(1) *Je ne puis, certes, ni veux, ni dois écrire en cette* Introduction *que ce qui a déjà été publié par nos prédécesseurs sur ce sujet; ce sont les mêmes fleurs que je te présente, mon Lecteur, mais le bouquet que j'en ai fait sera différent des leurs, à raison de la diversité de l'agencement dont il est façonné* (S. Franç. de Sales, *Introduction, préface*). *Il faut parler brièvement, cordialement et sans paroles artifées* (Lettre à Mgr. Fremiot). *Il faut se garder des* quanquams *et longues périodes des pédantes,... en un mot parler affectionnément et dévotement, simplement et candidement... être bien épris de la doctrine qu'on enseigne et de ce qu'on persuade. Le souveraine artifice est de n'avoir point d'artifice* (Ibid.).

(2) *Tout est à l'amour, en l'amour, pour l'amour et d'amour en la sainte Eglise* (S. Fr. de Sales, *préface au Traité de l'am. de Dieu*).

*Certes, pour guérir la démangeaison, il n'est pas tant besoin de se laver et baigner, comme de purifier le sang et rafraîchir le foie; ainsi, pour nous guérir de nos vices, il est vraiment bon de mortifier la chair, mais il est surtout nécessaire de bien purifier nos affectiones et rafraîchir nos cœurs* (Id., *Introduction*, 2e p., ch. XIII).

viam facilem, qua ex amore ad amoris perfectionem, in qua est omnis perfectio imo *omnis homo*, secundum illud: *Deum time et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo* (Eccle. XII, 13) procul dubio pervenitur.

Haud raro, tamen, inveniuntur animae quae prorsus ignorent in amore omnes virtutes et legis omnis observantiam consistere, quae idcirco currant post inania opera absque charitate vera in Deum et proximum. Omnes, tamen, norunt Deum voluntatem nostram requirere, non autem imprimis ieiunia, austeritates aliaque bona opera; omnes item spirituales illud Augustini, experientia comprobatum, cognoscunt: *Ama et fac quod vis.* Si Deus ex toto corde, id est ex plena voluntate diligitur, totus homo sic diligens iam reformatus est, quia semper ad imitationem Iesu dicere potest: *Quae placita sunt ei facio semper* (Io. VIII, 29).

**235.** — 2. **Devotio vera.**

Amor seu charitas, in gradu suo eminenti, appellari potest vera devotio quae nihil aliud est nisi « voluntas quaedam prompte se tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum » (S. Th., *Sum. Th.*, II-II, q. LXXXII, a. 1). Amore religio initiatur, sed devotione procedit, nam eius actus est, iuxta Doctorem Angelicum: « Charitas est religionis principium, devotio est religionis actus » (Ibid.).

Quid est enim devotio nisi exercitium amoris, et quid est amor nisi operum exhibitio? « Devotio, ait ipse S. Doctor, dicitur a devovendo, unde devoti dicuntur qui seipsos quodammodo Deo devovent » (Ibid.) - (1).

(1) *La vraie et vivante dévotion, o Philothée, présuppose l'amour de Dieu, ainsi elle n'est autre chose qu'un vrai amour de Dieu... Quand il est parvenu jusqu'au degré de perfection auquel il ne fait pas seule-*

Amor huiusmodi est victoria christiani in seipsum quatenus voluntas eius voluntati divinae plane subiicitur, ut exinde amor sit virilis, fortis ex ratione simul et ex voluntate, pariter gratia referta, procedens. Perfectio est velle sicut Deus et per Deum et cum Deo et in Deo. Ex gradu intensionis quo voluntas hominis in voluntatem Dei fertur eiusdem charitas in Deum ac perfectio dimetiri possumus. Austeritas vitae laudanda quidem, suadenda etiam secundum personarum, locorum, temporum adiuncta, sed imprimis spontaneus voluntatis transitus in Deum summe urgendus est. Non enim confundenda media cum fine, neque medium superexcellens, quod est ipse amor, cum ceteris mediis; unde, nemo sanctitatem vel perfectionem tantum vel principaliter vel pro omnibus necessario in corporis maceratione vel castigatione consistere propugnabit (1).

**236.** — 3. **Methodus positiva.**

Melior, igitur, methodus ad perfectionem consequendam non est negativa, quae malum arceat, sed

*ment bien faire, ainsi nous fait opérer soigneusement, fréquemment et promptement, alors il s'appelle dévotion* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 1e p., ch. I).

(1) *Pour moi, Philothée, je n'ai jamais pu approuver la méthode de ceux qui pour réformer l'homme commencent par l'extérieur, par les contenances, par les habits, par les cheveux. Il me semble, au contraire, qu'il faut commencer par l'intérieur... car aussi, le cœur étant la source des actions, elles sont telles qu'il est... C'est pourquoi, chère Philothée, j'ai voulu avant toutes choses graver sur votre cœur ce mot saint et sacré:* Vive Jésus, *assuré que je suis qu'après cela, votre vie laquelle vient de votre cœur comme un amandier de son noyau, produira toutes ses actions qui sont ses fruits, écrites et gravées du même mot de salut, et que, comme ce doux Jésus vivra dans votre cœur, il vivra aussi dans tous vos deportements, et paraîtra en vos yeux, en votre bouche, en vos mains; voire même en vos cheveux* (S. Fr. de Sales *Introduction*, 3e p., ch. XIII).

methodus positiva qua bonum malo substituitur. Medium enim aptius corrigendi vitium non est eius directa impugnatio, sed actio qua bonum ei oppositum substituatur.

Finis autem methodi spiritualis positivae, est efficere organismum spirituale sufficienter sanum, ut possit per vim interiorem supernaturalem incursibus externis obsistere: haec vis nonnisi amor esse potest, nam id fert propria hominis natura.

Iam adhibita fuit haec methodus a saeculis, sed non eodem modo, neque constanter, neque ab omnibus vitae spiritualis magistris (1).

**237.** — **4. Charitatem colere.**

Obiectum, itaque, directionis spiritualis praecipuum hoc esse debet ut Confessarius seu Moderator amorem in Deum excitet ac colat in animabus, quin negligat necessariam virtutis nascentis protectionem per aptum exercitium mediaque efficaciora ad animas in bono proposito firmandas. Etiam circa tentationes haud periculosiores, expedit cito ad amorem Dei confugere. Ex quo amorem

(1) *Tous les saints, depuis saint Paul, ont eu l'intuition de ce rôle unique joué par l'amour dans la vie spirituelle. Mais chez plusieurs, la vérité est pour ainsi dire voilée, sous-entendue, supposée; elle n'est pas l'objet d'une démonstration directe et systématique. Elle est comme le soleil derrière la montagne. Une vertu secondaire nous y masque cette vertu primordiale. Un saint Jérôme, par exemple, semble donner comme fondement à son ascèse la chasteté; un saint François d'Assise, la pauvreté; un saint Bernard, la mortification; un saint Benoît, le zèle liturgique. Sans doute à qui leur eût fait observer que la charité est pourtant le principe générateur de toute sainteté, il eussent répondu comme ce diplomate du Congrès de Vienne: « Mais cela va sans dire ! » A quoi saint François de Sales eût répliqué sagement comme Talleyrand: « Cela va encore mieux en le disant ». Et il le dit, il le répète, avec une insistance qui n'a pas été dépassée* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 155). Fortasse circa hoc Salesius superatus est a beato Petro Iuliano Eymard, Congr. SS. Sacramenti fundatore.

cor utcumque possideat, omnia ad amorem informat etiam indifferentia et ea quae ceteris periculosa essent.

Exerceat pater spiritualis filios suos in certamine, doceat eos proelium non fugere, sed fortiter superare cum obveniat non quaesitum (1). Ad hoc autem multum confert tempore pacis eos amore in Deum corroborare per apta media (2). Citius certamen vincitur spirituale, si strenue ad propugnacula fortiora impetus dirigatur (3).

Bene meminerit Confessarius gratiam Dei esse principium generans, per voluntatem, ordinem in anima; voluntatem autem fortius ob amorem moveri (4). Anima vult quia amat et tantum vult quantum amat et ea vult quae amat. Passio autem est in ordine affectuum id quod in ordine in-

(1) *Où il n'y a pas danger de péché mortel, il ne faut pas fuir, mais vaincre tous nos ennemis et s'y opiniâtrer sans perdre courage, bien que nous soyons quelquefois vaincus* (S. Fr. de Sales, *lettre à M.me de Chastel*).

(2) *Quant à Sainte Elisabeth de Hongrie, elle jouait et dansait parfois se trouvant en assemblées de passe-temps, sans intérêt de sa dévotion, laquelle était si bien enracinée dedans son âme que, comme les rochers qui sont autour du lac de Riette croissent étant battus de vagues, ainsi sa dévotion croissait parmi les pompes et vanités auxquelles sa condition l'exposait; ce sont grands feux qui s'enflamment au vent, mais les petits s'éteignent si on ne les porte à couvert* (Id., *Introduction*, P. 3e, ch. XXXIV).

(3) *Il y a plusieurs systèmes et plusieurs tactiques pour enlever une place ou gagner une bataille: on peut s'emparer d'une position par assaut brusque ou par méthodique et lent investissement. Saint François de Sales est le théoricien d'une tactique qui précipite la manœuvre et va droit aux œuvres vives. Il est le docteur, le classique de l'amour. Dans l'amour de Dieu, a dit Saint-Beuve: « il comprenait volentiers tout le christianisme »* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 166).

(4) *Bref, la volonté n'est émue que par ses affections, entre lesquelles l'amour, comme le premier mobile et la première affection, donne le branle à tout le reste, et fait tous les autres mouvements de l'âme* » (S. Fr. de Sales, *Théotime*, l. I, ch. IV).

tellectuali est idea. Unde si quid magni, si quid fortis, si quid maximi momenti homo efficere potest, nonnisi ex illa passione, gratia Dei regulata, est repetendum.

Ad amorem procul dubio per virtutum exercitium quis perveniri potest, sed nonnisi post magnum laborem hoc contingit: porro, via expeditior, tutior, brevior ea est qua virtutes omnes per amorem et ex amore exerceantur. Ars artium, igitur, ante ceteras addiscenda est ars amandi, quam tamen virtus Spiritus Sancti iam ab initio regenerationis per Baptismum nos docet, imo in cordibus nostris effundit. Unde omnibus baptizatis inest amandi Deum facilitas, adeo ut amor non sit alicuius tantum privilegium (1).

**238.** — 5. **Virtutes simul excolantur.**

Caveat tamen Confessarius ne credat ceteras virtutes esse interea negligendas; nam amor ex dono vivit, donum autem non est nisi virtutum exercitium non qualecumque, sed quod uniuscuiusque status exigit. Sunt enim virtutes speciales (2). Alias, vires colligere, dum praeliatur, circa propu-

(1) *Il semble que la perfection est un art, que si l'on pouvait trouver son secret on l'aurait incontinent sans peine. Certes, nous nous trompons, car il n'y a point de plus grand secret que de faire et travailler fidèlement en l'exercice du divin amour* (S. Fr. de Sales, *Entretiens*, ent. IX).

(2) *Mais à quoi servent aussi les désirs si pressants et inquiets des vertus dont la pratique ne nous est pas necessaire? La douceur, l'amour de notre abjection, l'humilité, la douce charité et cordialité envers le prochain, l'obéissance, sont des vertus, dont la pratique nous doit être commune, d'autant qu'elle nous est necessaire, parce que la rencontre des occasions nous en est fréquente; mais quant à la constance, à la magnificence, et telles autres vertus que peut être, nous n'aurons jamais occasion de pratiquer, ne nous en mettons point en peine; nous n'en serons pas pour cela moins magnanimes, ni genereux* (S. Fr. de Sales, *Entretiens*, entr. XI).

gnaculum fortius non expedit nisi cetera loca muniantur, ne ob principale servandum vel expugnandum, secundaria perdantur vel hosti remaneant cum inani victoris fructu. Dilectio autem non est absque virtutibus (1).

Sciant poenitentes, praesertim pii, qualitatem actus alicuius ab amore qui eum producit et informat pendere: nam pretiositas eius a gradu amoris dimetienda est (2). Ita iudicare poterunt actionis valorem gradui difficultatis superatae haud semper proportionari; nam amor in Deum signat actus valorem licet in eo eliciendo vel efficiendo non adsit difficultas.

Saepe enim ob habitum, difficiliores actus facile a quibusdam explentur, imo iucunde et delectabiliter exercentur, licet ab initio haud parvam difficultatem experti sint. Nemo dicat actus huiusmodi valorem pristinum amittere cessante difficultate (3). Absurdum esset dicere christianum pi-

(1) *Le roy des abeilles ne se met point aux champs qu'il ne soit environné de tout son petit peuple, et la charité n'entre jamais dans un cœur qu'elle n'y loge avec soi tout le train des autres vertus* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 3e p., ch. I).

(2) *Pensez souvent que tout ce que nous faisons a sa vraie valeur de la conformité que nous avons avec la volonté de Dieu: si qu'en mangeant et bouvant, si je le fais parce que c'est la volonté de Dieu que je le fasse, je suis plus agréable à Dieu que si je souffrai la mort sans cette intention-là* (Id., *lettre à M. Brulart*).

(3) *L'effort est conditionné par la difficulté. Et c'est un abus de langage très courant que de dire à propos d'une œuvre qu'elle vaut ce qu'elle coûte. Pour saint François de Sales, d'accord ici avec les meilleurs psychologues, l'acte se qualifie, non par sa difficulté, non par la dureté de l'effort qu'il exige, mais par la puissance et vivacité du mouvement d'amour qui l'accompagne. Ce qui n'empêche pas d'ailleurs que la difficulté extérieure puisse devenir l'occasion d'un nouveau mérite. L'effort, en effet, pour le psychologue, se décompose en trois éléments distincts: un élan de volonté vers l'acte, une résistance ou difficulté rencontrée... La souffrance et la difficulté supprimées, l'élan peut subsister avec une vigueur intacte ou même accrue. Voilà pourquoi Saint François*

grum, acedia affectum, difficultates in omnibus invenientem, meritum maius hic et nunc consequi quam meritum illius qui habitualiter passionibus resistit et ob habitum nunc laete et facile virtutum opera exercet; tametsi nullus virtutis habitus omnem auferat difficultatem.

**239.** — 6. **Actus ponderandi non numerandi.** In vita spirituali, igitur, punctum essentiale non in eo est ut magna et multa faciamus, sed in eo ut quae facienda sunt, bene faciamus. Intensitatem, id est vehementiam vel ardorem virtutis, magis quam extensionem operis quaerant poenitentes, ut intra fines quorumdam actuum sese non includant invariabilium. Verumtamen, sciant eumdem gradum amoris circa opus magnum et opus parvum, magis mereri circa magnum quam circa parvum (1). Sciant item ad unitatem vitam propriam

*de Sales estime trompeur de proportionner le mérite à l'effort, si l'on entend ce mot au sens vulgaire de lutte douloureuse contre une difficulté. Toute la prétension de son ascèse est au contraire de nous libérer de la difficulté proprement dite par un habile dressage. Comme la plupart des saints, n'en vint-il pas lui-même à accomplir les actes en apparence les plus ardus avec une aisance qui stupéfie? Arriver ainsi au maximum de rendement avec le minimum de difficulté, c'est l'idéal même de la vie spirituelle* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 182).

(1) *Il faut avoir grand soin de bien servir Dieu aux choses grandes et hautes et aux choses petites et abiectes, puisque nous pouvons également et par les unes et par les autres, lui dérober son cœur par amour* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 3e p., ch. XXXV). Attamen ipse docet cum aliis: *Si, une grande œuvre est faite avec autant de charité que la petite, sans doute celui qui la fait a beaucoup plus de merite* (*Entretiens*, entr. X). *C'est bien qu'il faut toujours s'avancer, mais notre avancement ne se fait pas comme vous pensez, par la multitude des exercices de piété, ainsi par la perfection avec laquelle nous les faisons... Grande folie de ceux qui s'amusent à désirer d'être martyrisés aux Indes, et ne s'appliquent pas à ce qu'ils ont à faire selon leur condition: mais grande tromperie aussi à ceux qui veulent plus manger qu'ils ne peuvent digérer* (Id., *ib.*, entr. VII).

reducere, non autem per plura pietatis exercitia vires disperdere cum officiorum proprii status detrimento (1).

Error communis fere est in eo quod numerus non valor actuum consideretur, et praecipue voluntas Dei negligatur ex qua tamen valorem participat vel levis actio. Electio, igitur, circa actus faciendos voluntatem Dei respicere debet; in hoc autem opus est animi indifferentia haud confundenda cum *quietismi*, ut aiunt, doctrina.

Neque tamen ignorare debent poenitentes actionem delectabilem ob obedientiam factam pretiosiorem esse arduo opere ob genium proprium expleto; item melius esse dolores obvenientes aequo animo tolerare quam novos quaerere et aegre ferre.

Ad imitationem Iesu anima pia desideret utique pro eo pati, sed ne credat se omnia amisisse si ex corde cum Eo dicat: *Transeat a me calix*

(1) *Ce n'est pas par la multiplicité des choses que nous faisons que nous acquérons la perfection, mais c'est par la perfection et pureté d'intention avec laquelle nous les faisons* (Id., *ib.*, entr. XIII). *Une femme est la première à toutes les assemblées; elle a l'usage de la méditation, et elle aspire à l'oraison la plus relevée; elle ne se pardonnerait pas de s'être dérangée seulement une fois d'une certaine méthode qu'elle suit, et dont elle se fait une règle invariable... Pourvu qu'elle ait passé devant les autels une partie de la journée, qu'elle ait assisté à certaines cérémonies, tout serait renversé dans une maison qu'à peine elle y prendrait garde et y donnerait quelque soin* (Sermon sur la vraie et la fausse piété).

*Pour saint François de Sales ce qui importe avant tout ce n'est pas d'entasser œuvre sur œuvre, mérite sur mérite, c'est d'avoir une piété organique, articulée, dont toutes les manifestations sont ramifiées au centre et réglées par l'amour. Tout pénétré du grand axiome latin:* non multa sed multum, *il sera toujours adversaire de cette piété rituelle, méticuleuse, tatillonne qui, de l'arithmétique surnaturelle ne veut connaître que l'addition et néglige ce grand multiplicateur qu'est la volonté. L'âme ne sera pas pour lui une citerne à remplir mais une source à faire jaillir, une force motrice à accroître et assouplir* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 190).

*iste;* dummodo parata sit, Dei gratia, id efficere quod oportet (1).

**240.** — 7. **Indifferentia activa.**

Indifferentia voluntatis circa actus eliciendos, antequam voluntas Dei cognoscatur, non est otiosa sed activa, imo voluntatis liberae maxima est expressio, maximumque exercitium: velle enim quod Deus vult est velle sicut Deus qui infinitae libertatis ac activitatis est. Hoc autem quis consequi nequit absque sui ipsius imperio ac passionum subiugatione, saltem inchoative sumpta.

Fere identificantur libertas, in hac materia considerata, et indifferentia: utraque ad actionem excitat et promptitudinem voluntatis supponit (2). Indifferentia haec sancta, acceptio est activa, adhaesio firma voluntati divinae mox se manifestaturae, cooperatio activa in antecessum actioni divinae, sui ipsius plena in Deum remissio. Non confunditur cum actu quo passive acceptatur quidquam, neque cum actu quo aegre voluntas hominis voluntati Dei, quam effugere nequit, aptatur.

Indifferentia autem haec, quae etiam donum sui ad Deum vocatur, desideria et sensibilitatem non

(1) *Ne désirez pas les croix sinon à mesure que vous aurez bien supporté celles qui se seront présentées* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 3e p., ch. XXXVII). *Vous voulez bien avoir une croix, mais vous voulez avoir le choix... Et qu'est cela, ma Fille très aimée? Ah non, je désire que votre croix et la mienne soit entièrement croix de Jésus-Christ et quant à l'imposition de celle-ci et quant au choix* (Id., *lettre à la Chantal*). *Je dis donc qu'il ne faut rien demander ni rien refuser..... Toute notre perfection gît en la pratique de ce point* (Id., *Entretiens*, entr. XXI). *O mieux vaut toujours sans comparaison, ce que l'on nous fait faire... que ce que nous faisons et choisissons à faire nous-même* (Id., *ib.*, entr. IV).

(2) *Et si vous y prenez garde l'attente de l'âme est vraiment volontaire... et lorsque les événements sont arrivés et reçus, l'attente se convert en consentement* (Id., *Théotime*, l. IX, ch. XV).

excludit (1). Desideriorum tamen ac sensibilitatis excessum vel deordinationem expungit, etiamsi perfectio ipsa consequenda obiectum illorum esset: perfectio enim quiete desideranda est.

Indifferentia est voluntatis non sensibilitatis actus et habitus; unde plorare quis poterit diu, voluntate tamen Deo plene subiecta.

**241.** — 8. **Facultates animi excolantur.**

Meminerit Confessarius seu Moderator christianum perfectum, hominem esse perfectum per intelligentiae, cordis et corporis ad legem Dei aptationem. Unde, scientiam prosequi et consequi ut Deo oblationem sui ipsius meliorem quis faciat, proximoque magis servire queat, perfectionis est intellectum respicientis. Per bonam voluntatem in Dei amore vero fundatam, scientia aedificat non destruit discentem, imo vitam spiritualem alere potest et debet, interdumque illud comprobat quod sanis omne sanum est. Sed contra, saepe lapsus circa fidem et mores, ex ignorantia et acedia procedunt. Expedit ut poenitentem, circa hoc negligentem, moneat Confessarius, praesertim clericum, ne « arcam scientiae sacram » negligat quae appellata est a Salesio velut octavum novae legis sacramentum.

Neque a scientia arcendae sunt mulieres modo officia sua nec derelinquant nec obliviscantur, ut saepe contingit (2). Oportet enim ut mulier quaerat scientiam ad utilitatem non ad ostentationem.

(1) *Je n'aime nullement certaines âmes qui n'affectionnent rien et à tous événements demeurent immobiles;... cela elles le font faute de vigueur et de cœur... Mais celles qui, par une entière résignation en la volonté de Dieu, demeurent indifférentes, ô mon Dieu, elles en doivent remercier sa divine Majesté* (Id., *lettre à M.me de la Fléchère*).

(2) *L'ordinaire des personnes du monde est que si elles ont une once de savoir on ne peut les tenir de parler, tant elles ont envie de se faire estimer savants* (S. Fr. de Sales, *Sermons pour la fête de la Pent.*).

Quod autem ad effectus pertinet, licet cor Deo in sacrificium christianus offerre illique omnes affectus subordinare, pravosque omnino tollere et eradicare debeat, haud tamen prohibetur legitima affectio. Si enim amor a Deo est, non retrahit ab Eo et in suis affectibus hierarchiam necessariam servat; Deus ipse vult ut homo familiam, patriam, amicos diligat, sed Ipse super omnia diligatur (1).

Signum profectus in Dei amore est amoris in proximum augmentatio: amor enim Creatoris ab amore creaturae retrahere non potest (2).

**242.** — 9. **Amor coniugum.**

Sunt poenitentes quaedam quae valde timent ne amor in proprium sponsum a Deo eas retrahat vel eas minus Deo acceptas reddat. Sicut facile circa hoc erratur per unum excessum ita haud raro errore creditur, per alterum excessum, amorem purum, legitimum, iustum, a Deo condemnari.

Sed saepe in S. Scriptura monentur sponsi ut sese mutuo vere et sancte in Domino diligant, saepe sancti viri circa hoc exemplum dederunt, neque invenitur quod Dominus talem amorem utcumque

(1) *Qui dit tout ne forclot rien, et toutefois un homme ne laissera pas d'être tout à son père, tout à sa mère, tout au prince, tout à Dieu, tout à la république, tout à ses enfants, tout à ses amis; en sorte qu'étant tout à chacun, il sera encore tout à tous. Il ne doit rien aimer qui puisse ôter son cœur à Dieu. Or, jamais aucun amour n'ôte nos cœurs à Dieu sinon celui qui lui est contraire* (Id., *Traité de l'am. de Dieu*, l. X, ch. III). *Aimer tout cela en son rang... parce que l'Epoux celeste le veut, le commande et l'entend* (Id., *ib.*, l. IX, ch. XVI).

(2) *Vive Dieu! ma chère Fille, il m'est d'avis que tout ne m'est plus rien qu'en Dieu, auquel néanmoins et pour lequel j'aime plus tendrement que jamais ce que j'aime... O il est bien vrai, ma Fille, j'ai ce sentiment-là!* (Id., *lettre à la Chantal*, 11 déc. 1609). *Ma très chère Fille, soyez toujours bien douce et suave, aimant amoureusement les créatures pour lesquelles Notre Seigneur est mort d'amour* (Id., *lettre à M.me de la Forest*, 2 août 1610).

improbaverit. Auctor gratiae est idem auctor naturae (1).

Curandum est tamen ut coniugum amor inter se sit purus, in sua origine et in suo fine, alioqui durare non potest, praesertim si matrimonium ex motivis humanis non ex corde gratia referto, principium sumpserit. Ad matrimonium ire oportet ex amore et in eo permanere ob amorem, sanctum, in animarum armonia et imprimis in Dei amore fundatum. Matrimonium cito dissolvitur si ex alio amore procedat; cor enim quod iam maculatum est quod aliud iam expertum sit, non illico et facile ad sincere redamandum inclinari potest (2).

**243.** — 10. **Dilectio erga parentes et amicos.** Dilectio erga parentes et amicos ad Deum magis ac magis diligendum adducere debet si vera dilectio est. Oportet diligere eos secundum proximitatem ad Deum et secundum proximitatem ad nos ipsos (3). Affectus regulandi ac subordinand

(1) *Aimez votre mari « tendrement » comme vous ayant été donn de la propre main de Notre Seigneur* (Id., *lettre à M.me de la Croix*) *Certes la grande sainte Paule, qui était si sainte, aimait si fort son mari et ses enfants, qu'elle pleurait toujours tant à leur trépas qu'elle en pensait mourir de douleur, tant son inclination d'aimer était grand sans qu'elle y peût remédier. Elle ne laissait pas pour cela d'être un grande sainte et bien resignée à la volonté de Dieu!* (Id., *Entretiens* entr. XVII). *L'amour et la fidélité jointes ensemble engendrent toujour la privauté et confiance; c'est pourquoi les Saints et les Saintes on usé de beaucoup de réciproques caresses en leur mariage, caresses vrai ment amoureuses mais chastes, tendres mais sincères* (Id., *Introduction*, 3e p., ch. XXXVIII).

(2) *Je pense que c'est une grande tromperie de présenter en lie d'un cœur entier et sincère un cœur tout usé, frelaté et tracassé d'a mour* (Ibid.).

(3) *Que je vous aime et plus que vous ne sauriez croire, mais princi palement dès que j'ai vu en votre âme ce digne et honorable désir d vouloir aimer Notre-Seigneur* (Id., *lettre à sa sœur*, 29 juin 1609) *Vous me dites que ces sentiments sont de la créature; mais je pens*

sunt non supprimendi; dictum est enim: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (Marc. XII, 13); *diligamus alterutrum* (I Io. III, 23). Non enim contra sui abnegationem militant affectus recti, neque spiritus paupertati contrarii esse possunt, si ex Deo et ad Deum sunt. Alias vel gaudium sanctum quod Dominus vult nos habere impedimentum quoddam esset: *Ut gaudium vestrum, impleatur* (Io. c. XV, 11) - (1).

Circa amicitias dicendum quod oportet praeferre eas quae directius ad Deum animas elevent, quin tamen excludantur amicitiae bonae, honestae, modo Deo in sacrificium offerantur si cum officiis proprii status conciliari non possint. Hoc autem dicitur, praecipue de iis qui in saeculo vivunt et auxilio ad invicem indigent ad bene vivendum, sive per exemplum, sive per consilium aliaque quae

*que vous avez voulu dire qu'il viennent à vous par la créature, et néanmoins de Dieu, car il me semble que par le reste de votre lettre vous m'en donnez des arguments. Mais quand ils seraient de la créature, encore ne seraient-ils pas à rejetter « puisqu'ils conduisent à Dieu », ou au moins qu'on les y conduit; il faudrait seulement prendre garde à ne se point laisser surprendre, selon les règles générales de l'usage des créatures* (*Lettre à la sœur de Soulfour*). *Je vous porte toute l'affection que vous sauriez désirer, et ne m'en saurais empêcher* (Id., ibid.).

(1) *Il faut ici remarquer que le contentement que nous ressentons à la rencontre des personnes que nous aimons, et les temoignages d'affection que nous leur rendons en les voyant ne sont point contraires à cette vertu du dépouillement, pourvu qu'ils* ne soyent point déréglées... *car, comment se pourrait-il faire que les objets étant presents, les puissances ne soyent point émues? C'est comme qui dirait à une personne à la rencontre d'un lion ou d'un ours: n'ayez point peur. Cela n'est point en notre pouvoir. De même, à la rencontre de ceux que nous aimons, il ne se peut pas faire que nous ne soyons émus de joie et de contentement; c'est pourquoi cela n'est point contraire à la vertu... Ainsi vous voyez que la vertu n'est point chose si terrible qu'on s'imagine. C'est une faute que plusieurs font; il se forment des chimères en l'esprit, et pensent que le cnemin du Ciel est étrangement difficile; en quoi il se trompent et ont bien tort* (Id., *Entretiens*, entr. VIII).

sancta ac vera et sincera amicitia non desinit invenire quin umquam dicat sufficere quod fecerit. Circa hoc praeclara exempla habentur in sanctorum vita (1).

**244.** — 11. **Mens sana in corpore sano.**

Quia autem mens sana in corpore sano melius virtutem prosequi Deoque servire potest ordinarie loquendo, quamvis saepe Deus per infirmitates plerasque animas ad perfectionem adducat, videat Confessarius ne poenitentes, sicut indulgere non debent passionibus, ita nec corporis valetudinem pessumdent. Corpus quidem per austeritatem atterendum est cum ferveat ignis nequitiae, sed prudenter semper agendum est ne dum Scyllam vitare quis velit incidat in Carybdim. Melius est, ait Salesius, vires abundantiores quam pauciores servare, cum semper eas minuere possibile sit, sed non vice versa.

Quidam poenitentes in magnam animi tristitiam prolabuntur ob nimiam austeritatem (2). Nam corpus extenuare idem est ac animam opprimere,

(1) *Au monde, tous ne conspirent pas à même fin, tous n'ont pas le même esprit; il faut donc sans doute se tirer à part et faire des amitiés selon notre prétention; et cette particularité fait vraiment une partialité, mais une partialité sainte, qui ne fait aucune division, sinon celle du bien et du mal, des brebis et des chèvres, des abeilles et des frelons, séparation necessaire... Saint Hiérôme, saint Augustin, saint Grégoire, saint Bernard et tous les plus grands serviteurs de Dieu ont eu de très particulières amitiés sans intérêt de leur perfection. Sain Paul reprochant le détraquement des Gentils les accuse d'avoir été gens « sans affection », c'est-à-dire qui n'avaient aucune amitié. Et saint Thomas, comme tous les bons philosophes, confesse que l'amitié est une vertu: or, il parle de l'amitié particulière, puisque, comme il dit, la parfaite amitié ne peut s'étendre à beaucoup de personnes. La perfection donc ne consiste pas à n'avoir point d'amitié, mais à n'en avoir que de bonne, de sainte et sacrée* (Id., *Introduction*, 3e p., ch. XIX).

(2) *Bisogna usare*, ait S. Franciscus Assis., *una gran discrezione nel trattare il nostro corpo, fratello mio, se non vogliamo ch'egli susciti*

exceptis casibus admodum raris. Ieiunia et vigilias non omnes sustinere possunt, sed omnibus est obligatio corpus adhibendi tamquam medium ad officia sui status, praesertim ad opera apostolatus et sacri ministerii adimplenda. Claustrales moniales ampliores abstinentias et corporis macerationes ferre debent ut labor apostolatus suppleatur: orationis enim apostolatus austeritate est fulciendus, sed semper secundum prudentiam ac regulas respectivas.

Sanus sit apostolus, ordinarie loquendo, necesse est si aliis servire velit in sacro ministerio obeundo. Discretio autem virtus in praxi maxime necessaria, sed a Moderatore seu Confessario imprimis exercenda (1).

Paucae animae privilegiis fere ditatae sustinere queunt fructuose dolorem physicum diuturnum vel austeritatem haud ordinariam. Dicendum autem

*in noi una tempesta di tristezza* (Le Monnier, *Vita di S. Francesco d'Assisi*, Vol. II, p. 395).

*Acte très excellent de charité le repos... car elle nous oblige d'aimer nos corps convenablement en tant qu'ils sont requis aux bonnes œuvres, qu'ils sont une partie de notre personne, et qu'ils seront participants de la félicité éternelle* (S. Fr. de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*, l. III, ch. VIII). *Pourquoi faites vous cela, ma chère Fille? Non certes il ne faut pas accabler l'esprit à force de travailler le corps* (Id., *lettre à la Chantal*, 5 mars 1608). *Ma chère sœur, il n'est pas croyable combien les longues veilles du soir sont dangereuses et combien elles débilitent le cerveau. On ne le sent pas en jeunesse, mais on le ressent tant plus par après, et plusieurs se sont rendus inutiles par ce moyen là* (Id., *lettre à M.me Burgeois*, 22 nov. 1604).

(1) *Je ne veux pas que vous veilliez le sepulcre cette année... car cette démesurée veille vous tiendrait tout le jour hors d'haleine et etoufferait l'esprit de dévotion* (S. Fr. de Sales, *lettre à sœur de Vignod*, 8 avril 1607). *Il serait bon d'appliquer quelquefois cinquante ou soixante coups de discipline ou trente, selon que vous serez disposée. C'est un grand cas comme cette recette s'est trouvée bonne en une âme que je connais. C'est sans doute que le sentiment extérieur divertit le mal et l'affliction intérieure et provoque la misericorde de Dieu* (Id., *lettre à la Chantal*, 14 oct. 1604).

quod plerique Sancti circa hoc admirandi magis quam imitandi sunt; saepe opinio invaluit sanitatem et sanctitatem haud inter se conciliari posse vel simul esse (1).

**245.** — 12. **Circa corporis solatium.**

Poenitentibus praesertim si religiosa regula non sint ligati haud prohibenda sunt moderata, honesta atque prudentia exercitia physica ad vires ac robur adaugenda. Suadenda etiam moderatio ac sobrietas circa alimenta, sed praecipue circa cibi qualitatem indifferentia ex deliberata hic et nunc voluntate.

Haud parva est austeritas tristitiam habitualem propulsare, laete officio suo fungi etsi grave sit, consanguineos, amicos ceterosque taedio vel labore nos afficientes sustinere, alteri condescendere, aegritudinis mediocris sed frequentis molestias aequo animo tolerare. Haud fugienda animi corporisque relaxatio neque solatium omittendum ne arcus nimis tractus dirumpatur (2).

(1) *La santé doit être protégée parce qu'elle aide au bon gouvernement de soi-meme. Avec mille nuances respectueuses, mais avec décision, Saint François de Sales dénonce autour de lui et dans le passé les exagérations présomptueuses. Il s'efforce de prémunir ses Visitandines contre l'esprit de surenchère qui sévissait par eccès dans les thébaides d'autrefois... Ainsi l'âge ni l'expérience n'avaient pu modifier sa conviction ancienne et réfléchie sur ce point. A la veille de sa mort, comme au premières années de son épiscopat, il pensait qu'une certaine surcharge de pénitence est périlleuse, qu'une certaine débilité est funeste à la bonne conduite de l'âme* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 273-274).

(2) *Il est force de relâcher quelque fois notre esprit et notre corps encore à quelque sorte de récréation. C'est un vice sans doute que d'être si rigoureux, agreste et sauvage, qu'on ne veuille prendre pour soi ne permettre aux autres aucune sorte de récréation. Prendre l'air, se promener, s'entretenir de devis joyeux et aimables, sonner du luth ou autre instrument, chanter en musique, aller à la chasse ce sont récréations si honnêtes que pour en bien user il n'est besoin que de la commune prudence, qui donne à toutes choses le rang, le temps, le lieu et la mesure* (Id., *Introduction*, 3e p., ch. XXXI).

**246.** — 13. **Spiritualis et psychologicus conspectus perfectionis.**

*a*) *Quando attingitur perfectio.* Perfectionem attigisse dicendus est qui in summo gradu eoque heroico sectatus est eas virtutes circa quas occasionem habuit sese exercendi, secundum suam conditionem atque statum vitae, per longum temporis spatium usque ad mortem. Etsi autem inveniantur sancti quidam qui austeritatem vitae non praeseferant, tamen nullus vir perfectus et sanctus fuit aut erit absque multa oratione ad Deum, sive orali, sive mentali, neque absque sacrae recollectionis studio ac desiderio. Sanctus vir, si vere sanctitatem adeptus sit, sponte quodam supernaturali instinctu ductus, vitam absconditam eamque ignoratam semper amplecteretur nisi charitas Christi urgeret ad apostolatum. Virtus eius saepe proximioribus ignota manet, saepissime autem illis qui longe sunt.

Ad sanctitatem plerumque pervenit per multas tribulationes nempe infirmitates physicas, difficultates, amicorum infidelitates et inimicorum perfidias, insidias, tentationes aliaque adversa. Sanctitas proficit usque ad mortem, imo in articulo mortis maturescit et visibilior fit. Hoc autem non contingit de charactere mystico cui plerumque sociatur. Notandum enim quod non omnes mystici sunt sancti, neque omnes sancti sunt mystici, si mystica theologia ut quid rarum accipiatur; quamquam generatim omnes Dei amantes sunt mystici, si mystica vita intelligatur ut unio cum Deo magis minusve perfecta: « oratio et theologia mystica, ait S. Fran. Salesius, nihil aliud est nisi conversatio qua anima amorose cum Deo de divina amabilitate agit ut ei adhaereat et uniatur » (*Traité de l'amour de Dieu*, l. IV, c. 1).

**247.** — *b*) *Effectus*. Quia autem sanctitas non est naturae destructio, naturalis perfectio hominis augetur secundum perfectionem obiecti quod ipse super omnia amat et a quo amatur.

Sancti recipiunt utique a Deo dona sublimia, sicut historia docet, quibus operantur magna ad Dei gloriam, sed ea dona saepe donis naturalibus innituntur ut ista ad perfectionem eleventur. Ipsi habent in virtutibus theologicis, nempe fide, spe et charitate, media apta ad agendum, sed hae virtutes a Deo datae concursum exigunt virtutum naturalium, quae elevantur et fiunt supernaturales; quae sunt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, quaeque virtutes cardinales appellantur.

Gratia Dei subiicit non destruit, sanctificat non minuit naturalia dona Dei; hinc fit ut unusquisque sanctus ab alio differat ob diversam indolem cui sanctitas aptatur et quae vicissim eam sibi submittit. Inter virtutes naturales, naturale fundamentum sanctitatis neque temperantia est neque desideriorum vel passionum tranquillitas, sed voluntatis dispositio. Hinc duae sunt veluti series sanctorum, quarum una tenera et amabilis altera vero fortis et ardens: utraque vero alteri non obsistit, sed sociatur. Quicumque magnus mysticus characterem suum servat evidenter, quo sponte exaltat unum vel alterum suae doctrinae aspectum peculiarem. Deus ait Bossuet, non egit eodem modo erga S. Geltrudem ac erga S. Theresiam, nec erga S. Catharinam Senensem operatus est quae erga S. Catharinam Genuensem; sed omnes secundum earum interiorem dispositionem tractavit (*Lettres*, I, 548). Differentiae istae saepe familiarum vel urbium vel regionum indolem redolent. Hinc est cur quidam sanct gustum quemdam naturalem retinuerunt quem tamen

reiicissent si ab eis sacrificium eorum postulatum esset. Ita v. g. quidam quibusdam parvis animalibus blandiebantur. Character eorum specialis est simplicitas evangelica.

**248.** — *c*) *Quaedam adiuncta.* Nemo credat sanctitatem separationem talem operari inter naturale et supernaturale ut creatura, aliqua revelatione ditata, errare non possit, vel istam male interpretari, vel male et postea bene sequi nequeat. Facultates hominis, sanctitate praediti, omnia eliminant quae ad servitium Dei et proximi non pertinent, atque ordinem perfectum possident sive eius memoria, sive intellectus, sive voluntas. Phantasiae sive imaginationis facultas in viro sancto non habet efficaciam repraesentandi Deum sub formis quae eum deformare possint: huius operationi non fidet neque credit quod Deus sit semper causa imaginum quae repraesentantur per propriam phantasiam. Licet autem in initio viae spiritualis Creatorem in creaturis quaesierit, postea vero, cum provectus sit in perfectione, creaturas nonnisi per Creatorem invenit, cui adhaeret et in quo amat et per quem diligit quae diligit.

Quoad scientiam, etsi sanctus non repudiet quamvis scientiam quoad partem in qua est veritas, tamen velut quodam instinctu, scientiam absque amore, videlicet quae ad Dei et proximi amorem non ducit, semper effugit. Quo magis in scientia Dei progreditur eo minus intelligentiae imprudenti fidet. Licet autem nihil innovare studeat nisi quod traditum est, nihilominus saepe sanctitas nova opera germinat secundum populi vel Ecclesiae statum pro rerum adiunctis.

Quia autem humilitas est veritas, non oblivionem sed conscientiam habent vividam sancti de

eo quod operatus est in ipsis Deus: *Fecit mihi magna qui potens est.* Propterea, anima sancta, id est, vere humilis, Deo seipsam donat sicut sponsam sponso, et quidem active et libere; Deus enim elevat ad summum gradum eius liberum arbitrium ut liberius ei sese donet; numquam autem activitatem suam intellectualem vel volitivam abdicat.

Cum vero passionum subiugatio sanitati corporeae multum conferat, quam sanitatem adsequitur sanctitas, in labores apostolicos vel in dolores, a Deo ad probationem ulteriorem immissos, obeundos, laete impendit. Falso creditur sensibilitatem et affectionem minui crescente sanctitate. Incidit plerumque sensibilitas in quamdam *noctem obscuram*, qua purificatur et ideo elevatur ut intensius et melius operetur sicut infra dicetur. Hinc cor sanctorum magis capax est amandi, magisque ad plura extendit amorem verum, supernaturalem, per quem omnem pellit amoris sui ipsius deordinationem etiam in spiritualibus.

Singulare desiderium animabus sanctis est circa dolorem, quatenus est medium quo liberantur ab iis impedimentis quae unionem perfectam cum Deo vel similitudinem expressiorem cum Iesu Crucifixo retardare possint. Vir sanctus dum exercetur in dolore, discit optime velle et operari, nam amor, dolor et voluntas fere idem in eo videntur esse. Dolor autem non vires animi sed aliquando vires corporis minuit neque ab agendo avertit, sed ad actionem impellit, eo magis quo magis ardet desiderium patiendi.

Spiritus bonus gaudium saepe diffundit etiam in doloribus; spiritus vero malus tristitiam operatur etiam in sensibilibus oblectamentis.

## Articulus III.

## Normae particulares.

**249.** — 1. **Fiduciae necessitas.**

Confessarius a suis poenitentibus qui habitualiter eum adeunt, vel adire desiderant, integram fiduciam exigere et praebere circa seipsum debet, ne labor inanis evadat. Poenitenti autem opus est ut patrem spiritualem erga se sollicitum, ad bonum proprium intentum ac sedulum videat, quin umquam timere possit ei omnia animi et cordis abscondita revelare.

Huiusmodi ratio agendi laborem circa aedificationem spiritualis aedificii multum adiuvat ac accelerat, praecipue quatenus insidiae diaboli vanae hoc modo evadunt.

Perutile ac opportunum erit interdum quoddam laudis aut gratulationis verbum elargire poenitenti qui enisus est difficultatem quamdam superare etiamsi sui ipsius manifestationem Confessario respiceret (1). Laetum se ostendat ob bonum spirituale quod poenitens seu directus operatur et

(1) *La préoccupation de faire de son enseignement comme un eau sucrée, afin qu'on l'avale imperceptiblement, l'a rendu merveilleusement ingénieux à diversifier ces petits artifices élogieux, ces suppositions captieuses qui semblent tenir comme acquis ce qu'on veut obtenir du dirigé... Souvent l'éloge sur tel ou tel détail de la vie lui sert d'appui pour une demande de mieux sur un autre point... Ne soyons pas surpris que ce soit avec les âmes un peu revêches qu'il use le plus volontiers de cet artifice de louange. Il estime que les âmes pauvres et faibles ont plus besoin que d'autres d'être cajolées... Il emporte enfin de noter, parmi les artifices recommandés par saint François de Sales, celui qui consiste à disposer sur la route du disciple les appas qui le feront se prendre et résoudre lui-même* (Francis Vincent, *op. cit.*, pp. 434-436).

interdum, praeveniens quidem vanitatis actum interiorem, doceat non esse superbiam Confessario quae profectum spiritualem respiciant manifestare, praesertim cum agatur de victoriis simul praeparatis. Moneat eum ne indirecte quidem aestimationem suam apud patrem spiritualem adaugere velit vel amittere timeat, certum eum faciens, utcumque res procedat, studium, curam, sollicitudinem erga eum se non amissurum.

**250.** — 2. **Scopuli fatales.**

In scopulum enim saepe incidit incerta ac fragilis poenitentis navicula ob metum amittendae aestimationis apud Confessarium. Circa hoc videat Moderator, iam ab initio, utrum ille bene sit dispositus; etenim ex tunc periculum melius superare poterit.

Neque minus vitandus est simplicitatis defectus cum agitur de fiducia in patrem spiritualem: est enim haec reponenda non in longis explicationibus, neque in iudicio proprio quo comprehendat se per tutam viam incedere, neque in interrogationibus multiplicibus quibus responsio exigatur. Si poenitens consilia, monita a Confessario accepta discutiat, increpandus est, benigne quidem sed fortiter. Saepe profectum circa confessionem vel sui manifestationem, ex temporis duratione poenitens dimetitur, praesertim mulier; unde questus si alias per longius temporis spatium ad confessionale viderint. Doceat profectum spiritualem non in auditione, sed in opere consistere, cognitionem autem spiritualis medici circa infirmum sufficientem esse si morbum actu bene noverit.

Praeveniat opportune specialem diaboli insidiam qua poenitens credit monitiones ideo Confessarium facere ut ipse poenitens taedio affectus discedat et non revertatur, quatenus se nollet amplius in viis

Domini dirigere. Expedit, igitur, ut vel ab initio ipse noscat quod si Moderator numquam severe aliquatenus sese gereret, clare ostenderet se aut non velle, aut nescire aut non posse spirituales poenitentis morbos curare eisque mederi. Doceat iterum atque iterum profectum eius a fiducia in Moderatorem dependere. Suggerantur quae hac de re habet S. Franciscus Salesius nempe ut Confessarium non consideret tamquam simplicem hominem, neque in eo quod hominis est vel in eius humana scientia innitatur eius fiducia, sed in Deo qui per illum loquetur ac dabit in cor et in os eius quod poenitenti expediat (Cf., *Introduction,* P. I, c. IV).

**251.** — 3. **Iudicium submittendum.**

Pars, igitur, haud exigua circa Confessarii seu Moderatoris munus, iudicium mentis, seu obedientiam iudicii, ex parte moderati, seu poenitentis, respicit. Nam saepe opus erit ut ipse contra modum iudicandi proprium operetur, quin intelligat cuiusdam iussus vel consilii motivum, etiamsi vitam religiosam non sit amplexus ac proinde votum obedientiae non emiserit.

Haud raro item poenitens minus fidere tenetur alicui auctori cuius librum legit, licet non parvae auctoritatis, quam Confessario qui hic et nunc Deum illi repraesentat. Absque flexibilitate, igitur, iudicii, super fiduciam et fidei spiritum fundata, haud erit possibile ex moderatoris consiliis fructum capere, praecipue vero si poenitens vel directus, seu moderatus, in perplexitate, timore, scrupulis, angoribus animi versetur: tunc enim exclusive de obedientia iudicii agitur. Cetera necessaria consequentia obtinentur.

Soleat anima poenitens iudicium Patris spiri-

tualis audire quandoque etiam circa executionem eorum quae a praedicante audivit, ne sibi noceant in casu determinato.

Si ipsa vere humilis sit, vel aliquatenus humilitatem sit consecuta, facile erit Confessario ab ea obedientiam illam obtinere, sed res aliter procedit cum agendum sit cum illis qui superbia et vana scientia imbuti sunt, vel cum eis qui habitualiter nimis proprio iudicio fidunt. Nam si Confessarius moneat, vel consoletur, vel animum attollat, ipsi omnia haec ad unam ideam propriam referunt: Pater spiritualis haec loquitur sciens quod hoc mihi non est opus, vel ficte loquitur ut ego melior evadam.

**252.** — 4. **Docilitas requiratur.**

Inexorabilis sit spiritus Moderator in exigenda docilitate circa ea quae ad bonum spirituale poenitentis necessaria sunt. Discat poenitens verba illa: *Qui vos audit me audit* (Luc. x, 16) et bene memoria retineat quod rationem redditurus est pro eo Confessarius in iis quae mandat ad bonum proprium consequendum, quin tamen ipse sui iuris esse desinat ac proinde culpabilitatem amittere possit sicut nec meritum.

Interdum expedit illam docilitatem probationi submittere v. g. prohibendo ne particulares et multiplices circumstantiae quae angorem animi respiciunt exponantur, maxime vero si de anima scrupulis agitata agendum sit. Nec parum proderit quandoque poenitentem gaudio privare quod experiretur in angoris sui expositione, iam Confessario cogniti. Promptus ille sit quam cito circa plenam ac integram sui manifestationem, simul cum prompta dispositione nihil vel parum secundum Patris iudicium et arbitrium dicere.

Non satisfaciat facile Confessarius desiderio illorum qui cum possint vero cum fructu libros legere de vita spirituali tractantes, exigunt directe vel indirecte fervorem accipere, ut aiunt, ex hortationibus longioribus et veluti ex praedicatione Confessarii, quasi cathedram cum confessionali seu loco ad confessiones audiendas destinato identificantes.

Quapropter haud abs re erit illos iterum docere hunc locum non ad praedicationem sed ad conferendam vel augendam gratiam, ad restauranda proposita atque instauranda certamina spiritualia, ad examen circa exercitium virtutum et officiorum proprii status peragendum destinari. Licet autem Confessarius possit et quandoque debeat poenitentes consolari vel addere animos, longas tamen praedicationes non tenetur nec expedit facere. Postulet potius ab eis plenam attentionem ad verba quae ipsis loquitur, quaeque consulto interdum brevia, comprehensiva, substantialia, ut ita dicamus, seu multum continentia sint oportet, secundum illud: *Non multa sed multum;* ac prohibeat ne, dum ipse loquatur, ad aliud mentem dirigant ut inveniant quod dicere omiserint. Haud raro enim vane loquitur Confessarius quia poenitens non audit cum sit ad aliud intentus, adeo ut statim ac venerit memoriae eius quod quaerebat, Confessarii verba etsi necessaria vel valde corripientia interrumpere non dubitet.

**253.** — 5. **Obstacula supposita.**

Obstaculum circa perfectionem attingendam consistere non potest unice in praesentia vel absentia quarumdam personarum, vel rerum vel circumstantiarum sive favorabilium sive noxarum. Obstaculum est praecipue in nobismetipsis.

Dicendum est poenitentibus afflictis et de cetero piis qui super imperfectiones vel defectus in quos saepe reincidunt gemere solent, quod melior regula ad proficiendum in eo est ut propositum iterum atque iterum eliciatur firma voluntate, etiamsi millies in die labantur. Perfectio desiderabilis et possibilis in hac vita in iugi conatu contra imperfectiones consistit secundum illud: *iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* Qui enim progredi vult reapse progreditur, si voluntas non desistit ab incepto itinere; qui autem animum despondit similis est ei qui medio itinere sistit et poenitet eum usque illuc processisse.

**254.** — 6. **Perfectio desiderabilis.**

Perfectionem vitae omnimodam consequi haud possibile est ne perfectis quidem in hac vita; perfectionem vero adipisci quae cor respicit, possibile est absque longa mora: illa enim in absentia mali, haec autem in contraria dispositione ad malum, utcumque acceptum, consistit. Proinde Confessarius, circa animas quae sincere Deum quaerunt, tolerans esto cum de imperfectionibus in agendo agitur, minime vero cum defectibus qui cor maculare vel depravare possunt. Hortetur eos pariter ad constantiam circa imperfectiones sicut malas herbas extirpandas usque ad mortem, nam radix earum, amor quem erga seipsum unusquisque habet, non moritur dum vitam agimus.

Aliud autem est pacis inter imperfectiones, et istis non obstantibus possessio, et aliud est proelii spiritualis cessatio. Ista enim semper fugienda est, nisi inimico cedere velimus. Qui arma in hac spirituali pugna, licet ad tempus, deponit, iam victus est. Nihilominus patientia erga nosmetipsos habenda est iuxta illud: *Fili, in tua infirmitate,*

*ne despicias teipsum* (Eccli. XXXVIII, 9), dum remedia adhibentur ad morbos medendos.

Sciant poenitentes supremum ac maxime efficax remedium adhibere, nempe veracem Dei amorem, iuxta quod dictum est (**230**, **231**). Etenim amor cum sit unus unitatem operatur, circa animae operationes, ad unum finem, eo facilius quo humilitas, quae est veritas ex corde in cogitatione, verbis et opere, ardentius colatur; nam haec est via tutissima atque necessaria et unica ut ait S. Augustinus: «Uni Christo, mi Dioscure, ut te tota pietate subdas velim; neque aliam tibi, ad capessendam et obtinendam veritatem, viam munias quam quae munita est ab illo qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem est humilitas» (*Epist.* 11 *ad Diosc.*).

**255.** — **7. De via humilitatis.**

Via tutissima cum sit via humilitatis, nihil antiquius habere potest Confessarius quam ut poenitentes ad verae humilitatis adquisitionem paulatim perducat. Non enim errare potest qui Dominum sequitur: «Si proponit Dominus humilitatis exemplum, ait S. Bernardus, et si imitaris eum, non ambulas in tenebris. Venite, inquit. Quo? Ad me veritatem. Qua? Per humilitatem» (*Tract. de grad. hum.*).

En autem quam necessaria sit humilitas ex Patrum dictis:

1) *Personae piae.* Etiam quibus magna dona tribuit Deus, parva quaedam reprehensibilia relinquit, ut semper habeant contra quod bellum gerant et, devictis magnis hostibus, mentem non erigant, quando eos adversarii, quamvis minimi, fatigant. Fit, itaque, miro modo ut una eademque mens et virtute polleat et ex infirmitate lasse-

scat;... ut per bonum quod quaerit et habere non valet, illud servet humiliter quod habet (S. Greg., *lib. dial.*, c. XIV). Propterea mandata sua mandavit Deus custodiri nimis, ut, videntes imperfectionem nostram deficere et non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam, et dicamus: *Quoniam melior est misericordia tua super vitas;* et qui non possumus in vestitu innocentiae seu iustitiae, appareamus vestiti confusione (S. Bern., *serm.* 2 *in vig. Nat.*).

2) *Virgines.* Hoc bonum, quanto magnum video, tanto ei, ne pereat, furem superbiam pertimesco. Non ergo custodit bonum virginale nisi Deus qui dedit; et Deus charitas est. Custos ergo virginitatis charitas: locus autem huius custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit super humilem requiescere spiritum suum (S. Aug., *lib. de virgin.*). Nemo eorum qui in palaestra castimoniae desudarint, suis eam se laboribus adeptam esse persuadeat. Vincere enim naturam, non est naturae nostrae... Tuae naturae imbecillitatem, tuarumque virium defectum penitus recognosce... Est serpens in cordis latebris, tamquam in sterquilinio, latitans qui suggerat nobis quod nostro studio et labore virtutem castitatis et cordis munditiem comparaverimus: Miseri et immemores illius dicti: *Quid habes quod non accepisti?* Dent ergo operam, ut hunc anguem omni studio per summam animi demissionem mactent et ex corde penitus excludant (S. Io. Clim., *grad.* 15).

3) *Tentati.* Quia in ista humana miseria peior hostis est cavenda superbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne continentium sanctorum ista concupiscentia, ut, dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus infletur... In nobis sola est infirmitas causa

ugnandi; sola est infirmitas admonitio non superiendi. Proinde virtus hic, ubi superbiri potest, e superbiatur, in infirmitate perficitur (S. Aug., b. IV, *contra Iul.*, c. II). Deus ad humiliandos os concupiscentiam adhuc patitur vivere in nobis, t graviter affligere nos, ut sentiamus, quid adhuc ratia praestet, et ad illius auxilium recurramus emper (S. Bern., *serm.* 1 *in Coena Dom.*). Paus, revelationis sublimitate ne extolleretur, stimuum carnis accepit (S. Ambr., *in Ps.* 36).

4) *Tribulati.* Sicut medicus non solum unuento, sed ferro utitur et igne, quo omne quod n vulnere sanando superfluum excreverit, secet t urat, ne sanitatem... impediat; sic medicus aniorum Deus huiusmodi animae... immittit tribulaones, quibus afflicta et humiliata gaudium vertat n luctum (S. Bern., *de gr. hum.* in p. gr. sup.). uo arbor altius ad superiora surrexerit, eo venorum vim vehementius sentit... Sed inter haec iendum est, quia, ne immoderatis laudibus erigaur, plerumque miro rectoris nostri moderamine iam detractionibus lacerari permittimur, ut cum os vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiet; sicque arbor illa alte radicata quasi inter adersantes ventos fixa stet, quae dicat: per gloriam ignobilitatem, per infamiam et bonam famam S. Greg., *lib.* XXII *Mor.*, c. V).

5) *Peccatores ob fragilitatem.* Sancti Domini... cubi forte ut homines corruerint, naturae magis ragilitate quam peccandi libidine, alacriores ad urrendum resurgunt, pudoris stimulo maiora rearantes certamina, ut non solum nullum aestimetur tulisse lapsus impedimentum, sed etiam velociis incentiva cumulasse (S. Ambr., *apol. Dav.*, II). Considerare libet, intra munitum gratiae num, quanto Deus favore misericordiae nos conti-

net. Ecce de virtute se extollit homo: per vitium ad humilitatem redit. Qui de acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed, ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum? Et quid vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum; ut qui virtute percutimur vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum; ille vitiorum illecebras assumit in arcem virtutum; et salutis statum percutit ut servet; ut, qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes haereamus (S. Greg. lib. XXXV *Mor.*, c. v).

6) *Peccatores*. Hoc est in lege magnum mysterium; ideo eam datam ut, crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur (S. Aug., *in Ps.* 102). Nonnunquam quidam in Dei servitio ex anteacta acriu debilitate roborantur, eosque ad custodienda De mandata... memoria praeteritorum impellit (S. Greg *l. c.*, lib. XVIII, c. xv). Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia; quae etsi sin minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent... Luxuria carnis statim per se turpis est, e tamen superbia minor est. Sic qui detinetur superbia, dispensante Deo, labitur in carnis luxuriam ut per hanc humiliatus a confusione exurgat; e quo etiam patet gravitas superbiae (S. Thom., I-I q. LXXIX, a. 4). Quod libidinem fugiendam ess diximus, Apostolo doctore evidenter didicimus. Qu enim omnibus vitiis resistendum praedixerat, contr libidinem non ait: *Resistite*, sed dixit: *Fugite for nicationem*. Ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in praesenti resistere, libidinem vero fugiendo superare... inter omnia christianorum certamina, sola duriora sunt praelia castitatis, ul

quotidiana est pugna et rara victoria; gravem namque castitas sortita est inimicum...; et ideo nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculose praesumat (S. August., *serm.* 250 *de temp.*).

**256.** — 8. **Quaedam sententiae de humilitate.** Operae pretium erit huc quasdam Ss. Patrum et Doctorum sententias afferre ut magis eius necessitas innotescat.

1) *Initium omnis peccati superbia* (Eccli. x, vers. 15). Nullum peccatum esse potuit, aut potest, aut poterit sine superbia (S. Aug., sive alius, *De salut. docum.*, c. XIX).

2) *Qui se exaltaverit humiliabitur* (Matth. c. XXIII, 12). Qui detinetur superbia et non sentit, abitur in carnis luxuriam, quae manifeste per se urpis est; ut per hanc humiliatus a confusione exurgat (S. Th., II-II, q. CLXII, a. 6). Si est in vobis sanctitas, timete ne perdatis eam. Unde? Per superbiam (S. Aug., *serm.* 13 *de verb. Dom.*).

3) *Ab occultis meis munda me* (Ps. 18, 3). Iustus, qui vere humilis est, reputat se deteriorem, quia timet ne in his quae bene agere videtur, per superbiam gravius delinquat (S. Th., in suppl. III part., q. VI).

4) *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes* (Phil., II, 3). Non pervenitur ad charitatem nisi per humilitatem (S. Aug., *Enarr. in Ps.* 130, et *serm.* 10 *de verb. Dom.*).

5) *Septies in die cadet iustus* (Prov. XIV, 16). Diligentibus Deum proficit in bonum hoc ipsum quod per peccatum a Dei amore cadunt, quia humiliores redeunt et cautiores (S. Th., P. III, q. LXXXIX, a. 2).

6) *Mihi omnium sanctorum minimo data est*

*gratia in gentibus evangelizare* (Eph. III, 8). Aliqui absque falsitate potest se credere et pronunciar omnibus viliorem secundum defectus occultos quo in se recognoscit, et dona Dei, quae in aliis late (S. Th., II-II, q. CLXI, a. 6).

7) *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumeli ubi autem est humilitas, ibi et sapientia* (Pro c. XI, 2). Non est gratum Deo quidquid homo fac cum superbia; quod autem humiliter fit, hoc e ei acceptum (S. Aug., *De salut. docum.*, c. XXXI

8) *Ego sum via, veritas et vita* (Io. XIV, 6 Excelsa est patria, humilis est via. Qui recus viam, quid quaerit patriam? (Id., *tract.* 78 *in Io.*

9) *Redde quod debes* (Matth. XVIII, 28 Tanto ergo esse humilior quisque debet ex muner quanto se obligatiorem esse conspicit in reddend ratione (S. Greg., *hom.* 9 *in Evang.*). Si qu nobis boni inesse deprehendimus, non nobis, sed De adscribamus (S. Beda, ap. S. Th. in Cat., Io. v

10) *Pharisee caece, munda prius quod intu est, ut fiat et id quod de foris est mundu* (Matth. XXIII, 26). Ex interiori dispositione hu militatis procedunt signa in verbis et factis gestibus, quibus id quod interius latet, manifestatu (S. Th., II-II, q. CLXI, a. 6).

11) *Humiliatus sum, et liberavit me* (Ps. 11 vers. 6). *Accedet homo ad cor altum, et exalt bitur Deus* (Ps. 63, 8). Vis tibi propinquet Deus humilia te; nam tanto a te erit altior, quanto elatior (S. Aug., *Enarr. in Ps.* 141). Oratio no est nisi indigentium (Id., *in Ps.* 26).

12) *Ut iumentum factus sum apud te* (Ps. 7 vers. 22). Numquid laudabatur iumentum illud Numquid iumento dicebatur hosanna? Asellus po tabat; sed ille qui portabatur laudabatur (S. Aug *Enarr. in Ps.* 33).

13) *Quid proficit homo humiliando se, iterum eadem faciens?* (Eccli. XXXIV, 31). Humilitas, praecipue in anima consistit: et ideo potest homo secundum interiorem actum alteri se subiicere: et hoc est quod Augustinus dicit: Coram Deo praelatus substratus sit pedibus vestris. Sed in exterioribus humilitatis actibus est debita moderatio adhibenda (S. Th., II-II, q. CLXI, a. 3).

14) *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis* (Io. XIII, 15). Ideo Christus praecipue nobis humilitatem commendavit, quia per hanc maxime removetur impedimentum humanae salutis (S. Th., II-II, q. CLXXI, a. 5). Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus (S. Aug., *Enarr. in Ps.* 18).

15) *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino* (Ps. 31, 5). Est confessio eo periculosius noxia quo subtilius vana, cum etiam ipsa turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed ut esse putemur. Quid perversius, indigniusve quam ut humilitatis custos, (nempe) confessio, superbiae militet? (S. Bern., *Serm. VI in Cant.*).

16) *Noli esse humilis in sapientia tua, ut humiliatus in stultitia seducaris* (Eccli. XIII, 11). Ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas (S. Aug., *in Reg.*). Existimate alios in occulto superiores, quibus estis in manifesto maiores (S. Th., II-II, q. CLXI, a. 6). Ut solus, videlicet omnium novissimus, sedeas, teque nemini, non dico praeponas, sed nec comparare praesumas (S. Bern., *serm.* 37 *in Cant.*).

17) *Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* (Ps. 4, 3). Timeo ne quem humiliat

veritas, extollat voluntas (S. Bern., *serm.* 42 *in Cant.*). Non debemus nobis placere (Rom. xv, 1).

18) *Habens fiduciam in pulchritudine sua* (Ezech., xvi, 15). Fiduciam pulchritudinis suae anima habet cum in seipsa de iusta actione praesumit (S. Greg., *epist.* 126). Plus ei intueri libet quod sibi in se placet quam quod sibi in se displicet (Id., *Mor.*, lib. XXII, c. 1). Nihil hominem longius ab humilitate facit quam praesumptio virtutis propriae (Id., *ib.*, c. III).

19) *Est qui nequiter humiliat se, et interiora eius plena sunt dolo* (Eccli. xix, 23). Si cor veraciter humile est, bona quae de se audit, aut minime recognoscit, aut pavet ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris (S. Greg., *Mor.*, lib. XXII, c. III). Animo humili nihil est mirabilius quam auditus suae excellentiae. Sic Mariae respondenti: *Quomodo fiet istud?* Angelus probationem inducit, non ad auferendam credulitatem, sed magis ad removendam admirationem (S. Thom., P. III, q. xxx, a. 4). Saepe homo de ipso vano contemptu vanius gloriatur (S. Aug., *Confess.*, lib. X, c. XXVIII).

20) *Non efficiamur invicem invidentes* (Gal. c. v, 26); *Non efficiamur inanis gloriae cupidi* (Gal. III, 26); *Nihil per inanem gloriam* (Phil. c. II, 3). Invidiae leve crimen videtur: dumque existimatur leve esse, non timetur; cum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur; et fit caeca et occulta pernicies (S. Cypr., *De zelo et liv.*). Inanis gloria dicitur esse periculosum peccatum non tantum propter gravitatem, sed etiam propter hoc, quod est dispositio ad gravia peccata, in quantum scilicet paulatim disponit ad hoc quod homo privetur interioribus bonis (S. Th., II-II, q. CXXXII, a. 3). Evidentissimum reprobo-

rum signum est superbia; sicut e contra humilitas electorum (S. Greg., hom. 7 in Evang.) - (1).

**257.** — 9. **Perfectio secundum statum vitae.** Cum vitae christianae perfectio, ut iam saepe dictum est, consistat non in alicuius virtutis tantum praxi, sed in executione practica officiorum proprii status ex principio amoris in Deum et proximum, oportet ut Confessarius seu Moderator, poenitentes perfectionem cupientes hortetur ut extraordinarie fideles se reddant in officiis proprii status adimplendis. Sanctitas enim in eo est quod per interiorem vitam ex gratia Dei haustam actiones proprii status communes modo apparenter communi, sed realiter non communi, id est perfectiore quam ut ordinario sese gerat pleraque pars christianorum, fiant. Error esset credere, sicut quondam opinio erat, sanctitatem in saeculo esse exceptionem, atque perfectionem in vita religiosorum tantum reperiri (2).

(1) Cum autem humilitatem doceat et commendet poenitentibus Confessarius bene meminerit quod hodie opus quam maxime est ut boni exemplum dent ceteris iuxta illud: *Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* (Matth. v, 16).

*Ce n'est pas de notre saint (Franç. de Sales) que l'on recevra le conseil de trop « faire sa violette » et de cacher trop jalousement sa vie. Il faut permettre à la vertu de répandre son parfum; il faut suivre le conseil évangelique:* videant opera vestra bona: « *L'humilité qui cache et couvre les vertus pour les conserver, dit-il, les fait néanmoins paraître quand la charité le commande... Les humilités qui préjudicient à la charité sont indubitablement fausses* » — *Introduction,* 3e p., ch. V (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 146).

(2) *La perfection du chrétien n'est donc pas liée à sa condition extérieure. Le problème de la vocation une fois résolu, la perfection n'est plus qu'une question de grâce et de volonté. Ce bâton de maréchal est dans la giberne du soldat comme dans celle du berger. Le secret pour être un saint tient en deux lignes: « Si tu n'as pa choisi un genre de vie, choisis-le; si tu l'as choisi, applique-toi au devoir de ton état »* (S. F. de Sales, *hom. sur Jacob*). *Et voilà posée la grande loi du devoir*

In illis muneribus obeundis Deus deponit, ut it
loquamur, perfectionem et salutem aeternam unius
cuiusque. Evidens est sanctitatem non in opere c
adimplendo pauci capaces inveniantur, sed in aliq
quod sit omnibus possibile repositam esse a De
Hoc autem essentialiter cum officiis et muneri
proprii status connectitur.

Officium proprii status praecedit omnia, etia
actiones ratione pietatis gerendas, adeo ut piet
cum detrimento illius exerceri et vera esse n
queat (1). Unde consilium aptius dari non potes
praesertim parentibus, quam ut officiis ac mune
ribus suis bene semper fungantur (2).

*d'état comme suprême régulateur de notre vie. C'est vraiment la pa de saint François de Sales dans l'histoire de la spiritualité, d'avo restauré cette notion primordiale que la sainteté tient à l'humble quotidienne pratique du devoir d'état. C'est lui, le devoir d'état, q règle pour chacun de nous la hiérarchie des vertus* (Francis Vincen *op. cit.*, p. 199).

(1) *Vous devez mesurer la longueur de vos prières à la quanti de vos affaires, et puisqu'il a plu à Notre-Seigneur de vous mettre une sorte de vie en laquelle vous avez perpétuellement des distraction il faut que vous vous accoutumiez à faire vos oraisons courtes* (S. F de Sales, *lettre à M.me de Trevernays*). *Pour la Communion si ce n'e au gré de monsieur votre mari, n'excédez point pour le présent les l mites de ce que nous en dîmes à Saint-Claude: demeurez ferme et co muniez spirituellement* (Id., *lettre à M.me Brulart*).

(2) *Ah! chrétiens, on se fait tant de fausses idées de la piété... On persuade qu'il faut sortir de son état, et abandonner tout pour la trouver Mais étudiez bien saint François de Sales; c'est assez pour vous tromper: vous apprenez de lui que toute votre piété est renfermée da votre condition et dans vos devoirs. Je dis dans vos devoirs fidèleme observés; ne manquez à rien de tout ce que demandent votre empl votre charge, les diverses relations que vous avez plus directement, avec Dieu en qualité de ministres des autels, ou avec le public en qual de juges, ou avec les domestiques en qualité de maîtres, ou avec enfants en qualité de pères et de mères; avec qui que ce puisse être, dans quelque situation que ce puisse être, embrassez tout cela, acco plissez tout cela, ne négligez pas un point de tout cela* (Bourdalo *sermon pour la fête de S. Fr. de Sales*).

Caveat Confessarius ne doceat necessarium esse ad perfectionem consequendam vel ad mortem bene obeundam, saeculum relinquere et claustra intrare. Etiam ad mortem optima est ea praeparatio qua quis rite officium proprium absolvit. Devotio enim et pietas non est specialitas quaedam alicui privilegiato reservata, sed quid omnibus commune, nam devotio et pietas est imprimis observantia officiorum proprii status, adeo ut excellat spiritualiter qui secundum proprium statum virtute excellat (1).

**258.** — 10. **Pietas mulierum.**

Cum pietas ac devotio mulierum multum inconstantiae subiaceat, Confessarii est, earum mentem ac voluntatem, Deo adiuvante, alere ac sustentare ut in bono proposito perseverent. Exerceantur potius in virtutum praxi quam in contemplatione et ad imitationem Salesii, illas Martae prius vices gerere quam Mariae sinat, ut passionibus animi dominentur et falsam vitent pietatem (2).

(1) *L'homme du monde selon le cœur de Saint François de Sales est pareil à ces aimables saints dont il disait: ils ont de ailes pour voler, et s'élancent en Dieu par la sainte oraison, mais ils ont des pieds aussi pour cheminer avec les hommes par une sainte et aimable conversation: leurs visages sont beaux et gais...* (*Introduction*, 1e p., ch. II). *Il est de l'école de saint Louis de Gonzague: il propose qu'on se prépare à la mort en continuant le besogne, fût-elle récréative, qui sur l'heure nous est imposée par le devoir d'état* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 204).

*Il fallait de longs efforts et le travail de plus d'une génération pour amener les masses chrétiennes à se pénétrer parfaitement de cette idée, que la vraie piété c'est de reproduire en soi quelque chose de la perfection de Dieu même. Ce fut le rôle des saints et des grands imitateurs religieux, de rappeler sans cesse à la chrétienté, comme les anciens prophètes aux Israélites, que Dieu veut avant tout nous cœurs et nos vies* (Id., *ib.*, p. 102).

(2) *Si trovano delle donne che nascondendo sotto l'esteriorità d'una pietà di cui non hanno che la maschera una « coscienza cauterizzata » ed un cuore gonfio d'orgoglio, sembrano credersi dispensate dall'osser-*

Non permittat, quantum fieri potest, quidquid devotionem risu dignam vel noxiam, vel suspectam efficere potest, nec sinat eas lacrimas effundere nisi quas pietas in Deum ac proximum permittat.

Praeterea, opus est ut virtus mulierum simplicitate ornetur: si enim a seipsis, et a propria pietate excessum, hypocrisim ac fictionem, sicut et ab earum vultu et vestibus pleraeque mulieres arcerent, procul dubio viam sanctitatis ingrederentur (1). Vitare tamen oportet ne dum

*vanza dei doveri essenziali in grazia di tutte le loro pratiche di supererogazione: donne che si erigono a spietate censuratrici della condotta del prossimo, che interpretano e snaturano piamente le intenzioni quando gli atti sono irriprovevoli, s'arrogano il giudizio che il Signore si è riservato, e condannano definitivamente e senza appello tutto ciò che non è conforme alle loro meschine idee e piccole passioni. Più lontane dal Regno di Dio dei pubblici peccatori e delle donne perdute, la loro lingua è una spada tagliente, le loro labbra distillano il veleno dell'aspide e la loro bocca è piena di amarezza e di fiele, la carità, che è la pienezza della legge, neppur la conoscono. Si direbbe che esse si sono imposta la triste missione di riprodurre sotto la legge della grazia, il tipo farisaico nella sua bruttura nativa, resa più ributtante ancora pel suo contrasto con lo spirito e con la morale del Vangelo!... Lasciamole sotto il peso degli anatemi che il Salvatore ha lanciato contro i Farisei del suo tempo, e non occupiamoci di questo flagello che per pregare Dio a liberarne la sua Chiesa* (R. P. V. Jandel, *Manuale del Terz'Ord. Domen.*, cap. XII).

(1) Haec autem circa ornatum seu vestes mulierum tenenda ex S. Congr. Concilii, die 12 Ianuarii 1930: *Il Santissimo N. S. Papa Pio XI, in virtù del supremo apostolato, che, divinamente esercita in tutta la Chiesa, con le parole e con gli scritti, mai non cessò d'inculcare quel detto di S. Paolo* (I ad Tim. II, 9, 10): « *le donne siano in abito decoroso con verecondia e modestia, e... con opere buone, come si conviene a donne, che fanno professione di pietà* ».

*Anzi molto spesso, in ogni buona occasione, il medesimo Sommo Pontefice riprovò e con la massima energia condannò il disonesto modo di vestire divenuto oggi abitudine comune anche delle donne e fanciulle cattoliche; il quale non soltanto gravemente offende il decoro e la grazia femminile, ma si volge anche sventuratamente in danno temporale*

simplices esse queant vanae et superficiales evadant, adeo ut in spirituales et graviores animi illusiones prolabantur. Etiamsi autem cordi indul-

*delle donne stesse e, quel che è peggio, nella loro ed altrui eterna rovina.*

*Nessuna maraviglia pertanto, se i Vescovi e gli altri Ordinari, come spetta ai ministri di Cristo, ciascuno nella propria diocesi, si sono opposti in ogni modo e ad una voce a questa malvagia licenza e procacità, tollerando anche con tranquillo e forte animo le derisioni e gli scherni, di cui, per questo motivo, furono, a volte, fatti segno dai malevoli. Onde questa Sacra Congregazione cui è affidata la disciplina del clero e del popolo, come approva e loda meritamente tale vigilanza e azione dei Sacri Pastori, così ardentemente esorta i medesimi affinchè insistano nelle deliberazioni e nei provvedimenti adottati e più alacremente e con tutte le forze li sollecitino, fino a quando il pestifero morbo non sia del tutto estirpato dalla onesta convivenza degli uomini.*

*Perchè queste cose siano più facilmente e più sicuramente messe ad effetto, questa Sacra Congregazione, d'ordine di Sua Santità, ha decretato di stabilire quanto appresso:*

I. *I Parroci segnatamente e i predicatori, offrendosene l'occasione, secondo il detto dell'Apostolo* (II Tim., IV, 2) *insistano, riprendano, correggano, esortino affinchè le donne portino abiti, che spirino verecondia e che sieno ornamento e difesa della virtù; e ammoniscano i genitori che non permettano alle figliuole di portar vesti indecorose.*

II. *I genitori, memori del gravissimo dovere che li stringe di curare l'educazione, anzitutto religiosa e morale, della prole, usino una diligenza speciale perchè le fanciulle, fino dai primi anni, siano sodamente istruite nella dottrina cristiana, ed essi, con ogni zelo, coltivino nei loro cuori, mediante la parola e l'esempio, l'amore alla virtù della modestia e della castità; seguendo inoltre gli esempi della Sacra Famiglia, si studino di formare e governare la famiglia propria in modo che tutti i suoi membri trovino fra le pareti domestiche motivo e incitamento ad amare e custodire la verecondia.*

III. *Gli stessi genitori allontanino le figliuole dai pubblici esercizi e concorsi ginnastici; e, se queste fossero costrette a intervenirvi, procurino di far loro indossar abiti del tutto onesti; nè permettano mai ad esse di portar abiti indecenti.*

IV. *Le direttrici dei collegi e le maestre di scuola si sforzino di formar l'animo delle fanciulle all'amore della modestia, in modo che siano indotte con efficacia a vestire onestamente.*

V. *Le stesse direttrici e maestre non ammettano nei collegi e nelle*

gere pro earum muliebri natura possint, docendae sunt nihilominus ut plerumque mentem ac fidem sequantur et obedientiae ductum non negligant.

*scuole fanciulle che indossino abiti meno onesti, e non facciano eccezione neanche per le loro madri: ammessele, ove non si correggano, le licenzino.*

VI. *Le Religiose, secondo la Lettera del* 23 *agosto* 1928, *emanata dalla Sacra Congregazione dei Religiosi, nei loro collegi, scuole, oratori, ricreatori, non ammettano le fanciulle che non osservano la correttezza cristiana del vestire; e, ammessele, se non osservano tale correttezza non le tollerino: di più, nell'educare le alunne usino uno studio speciale affinchè l'affetto al santo pudore e alla verecondia cristiana metta nei loro cuori profonde radici.*

VII. *S'istituiscano e coltivino Associazioni femminili, che, col consiglio, l'esempio e l'opera si propongano d'infrenare gli abusi che si commettono nel portar abiti sconvenienti alla modestia cristiana, e di promuovere la purità dei costumi e l'onestà del vestire.*

VIII. *Nelle pie Associazioni femminili, non si ammettano quelle donne che indossano abiti disonesti; ammessele, se poi manchino in questa materia e ammonite non si correggano, siano espulse.*

IX. *Le fanciulle e le donne, che vestono abiti disonesti, siano allontanate dalla Santa Comunione e dall'ufficio di madrine nei Sacramenti del Battesimo e della Cresima e, nel caso, s'impedisca loro anche l'ingresso alla Chiesa.*

X. *Quando durante l'anno cadono feste, che siano particolarmente opportune per infervorare alla modestia cristiana, soprattutto le feste della B. V. Maria, i parroci e i Sacerdoti preposti alle pie Unioni e Associazioni Cattoliche, non omettano di richiamare e spronare, con parole appropriate, le donne alla cristiana correttezza del vestire. Nella festa poi dell'Immacolata Concezione, in tutte le Chiese cattedrali e parrocchiali si facciano speciali preghiere, non omettendo, quand'è possibile, opportune esortazioni nella predica solenne al popolo.*

XI. *Nel consiglio diocesano di vigilanza, di cui si parla nella dichiarazione del Sant'Ufficio del* 22 *marzo* 1928, *almeno una volta l'anno si studino di proposito i modi ed i mezzi migliori per provvedere efficacemente alla modestia femminile.*

*Affinchè poi quest'azione salutare si svolga efficacemente e con maggior sicurezza, i Vescovi e gli altri Ordinari, ogni tre anni, insieme alla relazione intorno all'istruzione religiosa, di cui nel Motu proprio* Orbem catholicum *del* 29 *giugno* 1923, *informino anche, con esattezza, questa Sacra Congregazione circa le condizioni del vestire femminile ed i provvedimenti adottati, a norma della presente Istruzione.*

oc enim summopere eis necessarium est si vere rtutem consequi velint. De eis plus quam de viris plicanda illa D. Pauli verba: *Non plus sapere uam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* Rom. XII, 3), neque facile suggerendum vel per-ittendum eis ut munia publica exerceant, nisi ad ocendum in scholis, ad medendos mulierum mor-os vel ad artes pulchras v. g. picturam atque usicam excolendas. Mulier enim sacerdos est fa-iliae in qua potius degere debet (1).

**259.** — 11. **Moderatio per epistolas.**

Etsi quandoque utile sit, imo necessarium poeni-ntes per epistolas hortari atque directionem spiri-ualem prosequi, tamen non expedit ut Confessarius ropensum se praebeat ad huiusmodi communica-onem, quia solum ob circumstantias locorum, per-onarum et rerum quae id exigant, poenitentibus el animabus quarum directio spiritualis iam su-epta sit, litteras dare oportet.

Cum autem, omnibus perspectis, prudens ac ae-uum sit litteras mittere, tunc, quoad fieri possit, urandum ut eae directe ad personas ad quas mit-ntur, certo perveniant quin aperiantur ab aliis; oc autem non praesumendum, neque sperandum

(1) *On ne prend jamais assez garde qu'il* (*S. Franç. de Sales*) *a réha-ité l'action sous ses formes les plus humbles et par conséquent les plus stères. Plus que personne il a travaillé à rendre grandeur et dignité à s plus obscures besognes quotidiennes... Il ne nous fait grâce d'aucun actes prescrits de minute en minute par le devoir d'état. Est-ce nc « peu » cela? Non seulement comme nous l'avons déjà dit, il met nstamment la sensibilité au service de l'action, ne faisant appel au ur que pour mieux entraîner la volonté, mais en réalité l'acte seul u prix à ses yeux. Et dans son système tout acte devient grand, même olus vil, pourvu qu'il soit voulu de Dieu. Il excelle à railler les pieuses eries sentimentales, qui ne tendent pas à agir* (Francis Vincent, *cit.*, p. 552).

neque exigendum praesertim circa eas personæ quae vita religiosa ligantur et sub superioris regimine vivunt (1).

Non convenit litteras dare nisi ad respondendum, nam numquam expedit ut Confessarius vel Moderator communicationem epistolarem incipiat aut excitet aut foveat. Laudabilis est, et valde commendatur, gravitas atque brevitas cum ad mulieres sermo sit dirigendus sive scriptus sive oralis.

Nisi autem Confessarius sanctitatem S. Francisci Salesii adeptus sit, huius S. Doctoris eloquium ac loquendi genus erga mulieres vitet, iuxta quod dictum est (**40**, **41**, **42**).

**260.** — 12. **Apostolatus.**

Quia Deus *mandavit unicuique de proximo suo* (Eccli. XVII, 12) et omnia novae Legis praecepta in uno charitatis instaurantur secundum illud: *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem* (I. c. 15, 12), Confessarius tenetur poenitentes sibi directos non solum in pietate et virtute ad utilitatem ipsorum colere, sed eos ad bonum proximi omni modo operandum idoneos, Dei gratia, efficere. Non enim perfectio christiana sub forma mere individuali cum Iansenistis est respicienda, sed in ordine ad aedificationem corporis Christi quod est

(1) De S. Franc. Salesio legitur: *Toute sa direction pourrait définir ainsi: un colloque intime, une conversation « entre deux ». n'écrit à peu près rien qui ne soit inspiré par le besoin présent de son disciple... Il a grand soin que tous ses avis aient non seulement la réalité mais l'apparence d'une conversation entre deux. Il veut que le destinataire les sente écrits pour lui seul. Faisant passer per la Mère Chantal une missive pour M.me de Baume, il lui recommande ce « Il la faudra bien cacheter, car je ne sais pourquoi mais il est vrai que les avis secrets frappent mieux le cœur jusqu'a ce que l'on soit plus avancé au renoncement de l'amour propre* (*Lettre*, 30 avr. 1618 (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 464).

Ecclesia, ut unusquisque adimpleat in seipso *quae desunt passionum Christi* (Col. I, 24).

Etsi autem sint animae ad contemplationem unice vocatae, pleraque tamen christianorum et religiosorum pars ad apostolatum proprie dictum in suo quisque statu vocatur. Est enim perfectius contemplata aliis tradere quam contemplari tantum; unde ordines religiosi perfectiores ii sunt qui vitam contemplativam a vita activa non separant neque unam alteri opponunt (1).

Neque parum ad apostolatum iuvat spiritus qui ex sacra liturgia hauritur. Nam aptius atque efficacius alitur vita spiritualis si e fontibus genuinis pietatis nempe ex sacramentis et sacra liturgia, praesertim eucharistica, attingitur (2).

Quisque, itaque, perfectionem consequi debet ad Dei honorem et gloriam, sed etiam ad bonum proximi. Pietas enim christiana est pietas socialis

(1) « Nobilior modus est, ait S. Thomas, provocandi homines ad devotionem per doctrinam et praedicationem quam per cantum ». (*Sum. Th.*, II-II, q. 91, a. 2, ad 3). — *Il est meilleur d'assister le prochain et porter le lait de la sainte exhortation aux faibles et ignorants que d'être toujours occupé en de hautes contemplations, de sortes que quelquefois il faut quitter l'un pour l'autre. Je ne dis pas qu'il ne faille point méditer et contempler; ô non certes... Mais je dis qu'il faut faire l'un pour se rendre plus capable de l'autre* (S. Fr. de Sales, in Cantic. 1, 1 sermon).

*L'excellence d'un Ordre religieux procède moins de sa rigueur que de la nature du but auquel il est ordonné et de la perfection des moyens employés pour atteindre sa fin. Or, dans la hiérarchie des religions, le sommet appartient à celles qui, vouées à l'enseignement et à la prédication, sont ainsi le plus proches de la perfection épiscopale* (P. Mandonnet, in *Revue des Jeunes*, 10 juin 1919).

(2) De S. Fr. Salesio legimus: *Affranchi de l'esprit de système qui enchaîne certaines âmes à une méthode exclusive, il unit étroitement l'indispensable vie liturgique à l'indispensable vie intérieure, ou plutôt il retient le maximum de vie rituelle compatible avec une ardente vie intérieure. Il insère l'une dans l'autre les deux vies et il les nourrit l'une par l'autre* (Francis Vincent, *op. cit.*, p. 138).

quae, dum sese amabilem praebet, facit ut Deus ametur. Quoniam « pietas autem *ad omnia utilis est* » (I Tim. IV, 8), poenitentes ad necessaria et varia hodiedum opera socialia et charitatis inducat pe- detentim Confessarius (1).

## ARTICULUS IV.

## Discretio spiritus et regulae.

### § 1. *Regulae ad discernendos spiritus.*

**261.** — Circa animas a Deo singulariter donis ditatas, necessarium est ut prae oculis semper ha- beantur regulae seu normae quibus bonus a malo spiritu distingui possit. Confessarius autem cer- titudinem vel probabilitatem, secundum casus, boni spiritus, consequetur ex sequentibus signis:

1. Si poenitens, vel directus in via perfectio- nis, sententias inscius vel conscius sequatur Sacrae Scripturae, quae est etiam regula secundum quam plerumque Deus erga animas operatur.

2. Videat si timore Dei filiali imbutus sit, simul cum magna spe ac firma animi fiducia in Eum.

3. Bonum indicium est, animi dispositio ad toleranda aequanimiter, et, a fortiori, lacto corde omnia adversa et naturae contraria. In hoc enim

(1) De S. Fr. legitur: *Il n'est pour ainsi dire pas un aspect de la propagande moderne dont il n'ait donné l'exemple ou le conseil: « vraiment, j'approuve fort que vous soyez maîtresse d'école », écrivait- un jour à la baronne de Chantal. Une autre fois il lui disait: « Je suis bien aise, ma Fille, que vous fassiez les lits des pauvres malades ». une femme du monde il conseille la visite des hôpitaux. Et tout récem- ment un économiste disait avec vrai semblance que, s'il vivait de nos jours, saint François de Sales fonderait des syndicats* (Fr. Vincent *op. cit.*, p. 143).

saepe dignoscitur vera et falsa virtus, necnon anima incipiens et proficiens in via virtutis. Malus fit peior in dolore suo, si nempe spiritu malo agatur, nisi Deus illius conversionem modo insolito operetur.

4. Signum quoque spiritus Dei est benignitas et misericordia in proximum; sicut, contra, signum est spiritus a diabolo decepti ille zelus, quo omnia iudicio proprio subiicere et omnes absque pietate corripere quis velit.

5. Bene sperandum de animabus quae virtutem sequi non desistunt ob difficultates advenientes, sive ex carne, sive ex diabolo, sive ex mundi spiritu. Fortis et constans esse nemo potest in virtute absque Dei Spiritu.

6. Signum certius boni spiritus ac sanctitatis est vera ac firma cordis humilitas et ardens charitas. Opera bona fieri possunt aeque a bonis ac a malis quoad exteriorem evidentiam, sed solum humilis corde veram virtutem sequi potest.

7. Videat Confessarius si actus poenitentium, conformes sint lumini supernaturali quod recipiunt, et, cum de Deo loquuntur, terminos affectatos vitent.

8. Non minus necessarium est observare utrum propriae opinioni et voluntati adhaereant fortiter, vel de gratiis aliisque quae a Deo recipiunt facile loquantur atque de iis nullam dubitationem umquam habeant. Tunc enim certo vel valde probabiliter in illusione sunt.

9. Rectitudo in intentione character principalis est boni spiritus, nam finis habitualis spiritui a quo procedit correspondit. Aliquando tamen animae, etiam valde piae, a diabolo de vanitate in operibus tentantur. Sed si quis habitualiter, licet per erroneam conscientiam, finem minus rectum quamvis non peccaminosum haberet, spiritu bono agere non esset dicendus.

10. Motio ad bona opera supernaturalia, simu cum discreto zelo, nonnisi a Deo venire potest. Spi ritus Dei prudentiam in casibus particularibus docet praesertim cum Dei ministrum adiri non posset

11. Discretio circa operabilia simplicitati e sinceritati a spiritu bono sociatur; quo fit ut pax tranquillitas ac libertas spiritus in anima efflore scant. Libertas, si vera sit, magnam cum Dei unionem praesupponit, nam cor ab omni affection deordinata, et ab omni sollicitudine agitante liberat

12. Voluntaria, interna atque externa mode rata austeritas atque sensuum subiugatio rationi verum Dei amorem sequitur.

Etsi autem non sit necessarium omnia haec signa simul reperire in anima ut bono spiritu imbuta dicatur, tamen expedit ut quaedam ex eis revera per repetitam et accuratam observationem in vita practica adesse constet.

### § 2. *Finis proximus spiritualis vitae.*

**262.** — Obiectum ad quod proxime convergere debet spiritualis vita normam quoque constituit unde bonus spiritus a malo dignosci potest. Quo autem spectare debeat pietas sic breviter ex peritis ac sanctis spiritus moderatoribus resumi solet:

1. Totam in Deo iactet curam et fidentiam simulque de seipso diffidat poenitens, facto quidem firmo proposito defectibus ac pravis naturae moti bus fortius obsistendi.

2. Cor a voluptatibus etiam licitis abstrahat familiaritatem, praesertim cum personis alteriu sexus, vitet, aestimationem propriam atque voluntatem non colat, neque aliquid propterea faciat quo adhaesionem illam augeat.

3. Desiderium Deum amandi impensius exci

tet atque colat: desiderium enim amorem cito parit vel adtrahit. Deus autem bonis huiusmodi desideriis delectatur, quae Ipse suscitat, quibus anima cooperatur. Plerumque vero desiderium illud forte ac constans propositum beneplacitum Dei sectandi in omnibus, excitat.

4. Omnem imperfectionem deliberatam fugiat, sed animum non despondeat postquam in eam inciderit; expedit potius ut se humiliet coram Deo et, si opus sit, coram quodam ad quem pertinet, atque propositum denuo firmiter simul cum verae contritionis actu eliciat etiamsi iam centies in eadem die circa eamdem imperfectionem lapsus sit.

5. Voluntati divinae intensius adhaereat et huius adhaesionis, seu conformitatis, actus saepe eliciat; nam perfectio non in gaudio de Deo, sed in eius voluntatis executione consistit. Actus autem ad hoc dirigat ut ipse paullatim voluntate, non semper autem sensibilitati coniuncta, de adversis gaudere et adversa benigne tractare valeat.

6. Perfectam obedientiam quam primum superioribus et Confessario assequi studeat ad perfectionem per sui ipsius abnegationem adipiscendam. Perfecte obedire est perfecte amare; nam voluntas voluntati Dilecti submittitur. Cum autem facultas eligendi, necessario vel consulto, relicta sit, id eligat quod perfectius esse viderit, sive quia superiorum voluntati magis concordet, sive quia propriae voluntati magis repugnet.

7. Praesentiae Dei recordationem colat ut per Eum rectius atque ferventius operari valeat. Grave patitur detrimentum anima quae Dei praesentiam negligit. Qui vero amat non obliviscitur quod amat. Multum iuvat signa quaedam ad excitandam memoriam prae oculis habere et orationes *iaculatorias* brevissimas frequenter elicere.

8. Soleat sacrae recollectioni incumbere singulis annis atque mensibus; orationes novendiales ob festa advenientia sequi, SS. Cordis Iesu, praesertim SS. Sacramenti, B. Virginis et S. Iosephi eius sponsi cultum impensius fovere. Moraliter impossibile est, iuxta S. Alphonsum et plerosque sanctos, in perfectione multum progredi absque ferventi ac tenera in Matrem Dei devotione.

## Articulus V.

## Alimenta pietatis.

### § 1. *Oratio mentalis* (1).

**263.** — 1. **Necessitas.**

Prudens Confessarius, ait S. Alphonsus, animam abhorrentem peccata mortalia et desiderantem progredi in amore divino, ante omnia debet disponere ad orationem mentalem, scilicet ad meditationem veritatum aeternarum, et bonitatis divinae faciendam. Et quamvis necessaria non sit ad aeternam salutem consequendam, sicuti est necessaria petitio, nihilominus videtur *valde necessaria* animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere; sed non possunt esse simul oratio et peccatum.

Anima, quae in oratione perseveret, ait S. Theresia, quotquot illi peccata opponat diabolus, tandem

(1) In hac materia S. Franc. Salesium et in sequenti *de statibus mysticis* S. Alphonsum M. de Ligorio potius sequimur, qui S. Thomam, S. Francisci Salesii, S. Theresiae, S. Ioannis a Cruce doctrinae circa hoc synthesim quamdam fecit. Notandum quod usque hodie nihil novi huic doctrinae additum est, imo ad illos Doctores revertuntur recentiores, saltem humiliores.

pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum adducet. Et ideo diabolus nullum aliud exercitium quaerit impedire, quam illud orationis, quoniam, inquit eadem Sancta, « novit daemon quod certe amittet animam quae perseveranter incumbit orationi ». Praeterea, solus amor est qui animam Deo iungit, sed fornax in qua accenditur flamma divini amoris est oratio, seu meditatio: *In meditatione mea exardescet ignis* (Ps. 38, 4) - (1).

**264.** — 2. **Methodus sequenda.**

Quoniam autem non tantum ii qui monasticam vitam ducunt, sed omnes fideles orationi incumbere debent, licet Dei Spiritus a methodo aliqua non dependeat, credendum firmiter quod et oratio mentalis omnibus est obvia et methodus eam facilem reddit (2).

Oratione mentali efflorescunt pia desideria sanctitatis ac germina virtutum, dummodo oratio methodica sit quoad fieri potest. Etsi vero profi-

(1) *C'est vraiment par le moyen de l'oraison que l'on pervient à la perfection, et saint Bernard, après en avoir marqué d'autres, dit que celui-ci les surpasse tous... Je ne dis pas que nous devons faire autant d'oraison les uns que les autres... Je dis bien néanmoins que si vous voulez bien faire votre devoir, il faut que vous priez Dieu, et c'est en l'oraison que nous apprenons à bien faire ce que nous faisons* (Saint Fr. de Sales, *sermon pour le 2 Dim. de Carême*). *Quand Notre Seigneur a voulu accomplir quelque grande chose, il s'est mis en oraison, mais non pas en une simple oraison faite sans préparation, mais il se retirait en la montagne et entrait en la solitude* (Id., *ibid.*).

(2) *Le monde dira que je présuppose presque partout que ma Philothée ait le don de l'oraison mentale, et que néanmoins chacun ne l'a pas, si que cette* Introduction *ne servira pas pour tous. Il est vrai, sans doute, j'ai présupposé cela, et est vrai encore que chacun n'a pas le don de l'oraison mentale; mais il est vrai aussi que chacun le peut avoir, voir les plus grossiers, pourvu qu'ils aient de bons conducteurs et qu'ils veulent travailler pour l'acquérir, autant que la chose le mérite* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 3e p., ch. XVII).

cientes a methodo interdum abstinere possint, incipientes male agerent eam saepe omittendo (1).

Item summopere expedit ut orationem praeparatio quaedam praecedat ne tantum ob consuetudinem fiat (2).

**265.** — 3. **Veritas consideranda.**

Praebere voluntati materiam ad proposita effor
manda est considerationis finis. Ad hoc neces
est ut virtus quaedam in suis particularibus cir
cumstantiis consideretur, alioquin in illusionem in
curritur. Imo expedit ut actus virtutum durant
oratione eliciantur. Confessarius non desistat mo
nere poenitentem ut difficultates superet, imo, u
ait S. Alphonsus, imponat ei ut saltem mane ve
vespere, vel etiam in ipsis negotiis agendis, quand
aliud tempus ei non sit, elevet mentem ad Deu
et meditetur veritates fidei ut sunt Novissima, quo
rum meditatio, et praecipue mortis, est utilior inci
pientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quae
meditatio est omnibus fructuosa. Si vero poenitens

(1) *Plusieurs se trompent grandement, croyant qu'il faille tant d choses, tant de méthodes, pour la bien faire. Folie très grande, comm si l'Esprit de Dieu était si délicat qu'il dépendît de la méthode ou de l contenance de ceux qui font oraison. Je ne dis pas qu'il ne faille s servir des méthodes qui sont marquées, mais l'on ne s'y doit pas at tacher et les affecter tellement que nous mettions toute notre confianc en elle* (Id., *sermon pour la Purification*).

(2) *Je ne sait, j'aime le train des saints devanciers et des simples Je ne dis pas que quand on a fait sa préparation, et qu'en l'oraiso on est attiré à cette sorte d'oraison, il n'y faille aller; mais prendr pour méthode de ne se point préparer, cela m'est un peu dur* (Id. *lettre à la B. Chantal*). *Est-ce dire que nous devons incliner les âme vers une oraison vague, paresseuse, libérée de toute méthode, sous pre texte de revenir à la manière des Pères du désert ou des Moines d temps de Charlemagne? Non, usage large des méthodes ne signifie pa suppression de toutes les méthodes répandues dans l'Eglise, surtout de puis le temps de saint Ignace et de saint François de Sales* (M. Le tourneau, curé de S. Sulpice, in *La libre Parole*, 5 janv. 1922).

non sit litterarum rudis, expediens est ut utatur aliquo libro quo magis in oratione proficiat, ut facere solebat S. Theresia. Moneat quoque ut seligat materiam illam in qua anima maiorem experitur devotionem, et in iis locis in quibus anima se vehementius affici et commoveri sentit, moretur aliquantum, imo relicta meditatione se exerceat in actibus voluntatis vel incumbat petitioni aut propositis faciendis ut denuo ad considerationem redeat (1).

Expedit imaginatione uti, sed sobrie et prudenter (2).

**266.** — 4. **Veritas amanda.**

Veritatem in meditatione ne cognoscamus nisi ut amemus et sequamur eam. Unde, utilitas actuum cognitionis et examinis est conditionalis et subordinata ad actus voluntatis (3).

(1) *Mais si vous ne rencontrez pas selon votre souhait en l'une des considérations, après avoir un peu marchandé et essayé vous passerez à une autre: mais allez tout bellement et simplement en cette besogne, sans vous y empresser* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 2e p., ch. V).

(2) *Cette imagination doit être fort simple et comme servant d'aiguille pour enfiler dans notre esprit ses affections et résolutions...* (Id., *à la Chantal*). « *Or, je ne dis pas qu'il ne se faille servir de l'imagination... O certes, il faut aller assurément après des personnages de telle autorité. Mais l'on ne s'est pas contenté de ce qu'ils ont laissé, mais on a fait plusieurs autres imaginations... La seconde manière est de ne point faire « d'imagination », mais se tenir au pied de la lettre, c'est-à-dire de se contenter de méditer purement et simplement les Evangiles et les mystères de notre foi. Or cette façon-ci est plus haute et meilleure que la première, et si même elle est plus simple et plus assurée* (Id., *sermon pour le jeudi après le 3 dim. de Carême*).

(3) *Bref, toujours quand les affections se présenteront à vous, il les faut recevoir et leur faire place, soit qu'elles arrivent avant ou après les considérations et quoique que j'ai mis les affections après toutes les considérations, je ne l'ai fait que pour mieux distinguer les parties de l'oraison; car c'est une règle générale qu'il ne faut jamais retenir les affections, mais les laisser toujours sortir quand elles se présentent* (Id., *Introduction*, 2e p., ch. VIII).

Pars affectiva constituere debet fundamentum solidum ad proposita elicienda circa praxim virtutis. Imo, decursu temporis oritur in anima, assidue meditante, quaedam veluti synthesis non tantum cognitionum sed et affectionum quae orando ipsa experta sit, adeo ut inde incipiat vere et proprie contemplari (1). Se exerceat anima, ait S. Alphonsus, in faciendis actibus humilitatis, actionis gratiarum, fidei, spei, et praesertim in repetendis actibus contritionis et charitatis erga Deum, offerendo illi se totam, totamque suae sanctissimae voluntati se resignando, et repetendo plus quam alios actum illum ad quem anima se magis sentit inclinatam.

**267.** — 5. **Veritas sequenda.**

Propositum efficax erit si in affectibus prius mollitum fuerit; attamen non est necesse ut reapse sentiatur, sed necessarium est ut in voluntate sit (2). Ne oratio remaneat infructuosa, ait S. Alphonsus, necesse est ut anima sese exerceat in statuendis mediis ad bene vivendum per ea lumina quae in oratione recipit. Unde, quemadmodum inquit S. Franc. Salesius, nemo debet imponere finem orationi nisi prius fecerit particularem aliquam determinationem,

(1) *Cet état de contemplation synthétique, de simple attention amoureuse, unissant en un seul faisceau toutes les forces affectives de notre âme est le point idéal vers lequel doit s'acheminer toute oraison. Contempler, tendre toute son âme vers Dieu d'un seul mouvement affectif, voilà ce que saint François de Sales propose comme but dernier à tous ceux qui méditent* (Francis Vincent, *op. cit.*, pag. 327).

(2) *Les vérités ascétiques ne s'incorporent solidement à l'âme que sous l'action de l'oraison fervente, faite en la présence prolongée du Soleil de Justice. Il faut toujours se méfier des convictions qui ont été acquises rapidement, en l'air, à l'air froid. C'est un fait d'expérience que connaissent bien tous les directeurs spirituels* (M. Letourneau, *Lettre à un converti*, p. 183).

puta vitandi defectus quosdam magis usuales, aut exercendi virtutem aliquam in qua se noscit debiliorem (1).

Imo, peracta oratione, negotiis incumbentes debemus determinationem illam, seu propositum, saepe renovare et quasi florem odorare ut ad exequendum id constantius pergamus (2).

**268.** — 6. **Methodus facilior.**

Ultimis hisce temporibus, Eucharistico cultu mire propagato et aucto, praesertim per viros a Deo ad hoc excitatos inter quos praecipuam fortasse partem habuit B. Petrus Iulianus Eymard, fundator Congregationis SS. Sacramenti necnon Ancillarum SS. Sacramenti, invaluit fere ubique, licet alias methodos non respuat nec eis obsistat, methodus orationis ab hoc Dei servo invecta et ex Liturgico spiritu hausta, quae ex quatuor Sacrificii finibus nomen accipit, quatenus anima meditans super quamcumque veritatem, in hac invenit ac meditatur quae admirationem, laudem Deo, sui exinanitionem ante Dei maiestatem, submissionem virium spiritualium et sensibilium, adorationem, parere atque excitare possunt. Deinde quae mentem, cor et vo-

(1) *Et ne suffit pas de faire cette résolution, mais il faut préparer les moyens pour la bien exécuter. Par exemple si je prévois de devoir traiter de quelque affaire avec une personne passionnée et prompte à la colère, non seulement je me résoudrai de ne point me relâcher à l'offenser, mais je préparerai des paroles de douceur pour la prévenir ou l'assistance de quelque personne qui la puisse contenir* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 2e p., ch. X).

(2) *Comme par une reprise d'haleine et de force protestez mille fois que vous continuerez en vos résolutions* (Id., *ib.*, P. 5, c. XV). *Notre esprit ayant discouru sur quelque mystère par la méditation, nous devons choisir un ou deux ou trois points que nous aurons trouvés plus à notre goût et plus propres à notre avancement pour nous en ressouvenir le reste de la journée et les odorer spirituellement* (Id., *ibid.*, 2e p., ch. VII).

luntatem ad grati animi sensus provocant, id est ad gratiarum actionem secundum veritatem quae consideratur. Exinde, facile erit cogitare ea quae, relatione instituta ad eamdem veritatem, contritionis sensus ob infidelitates proprias vel alienas, ob peccata aliaque quae in Deum et mysteria patrantur, necnon examen speciale circa modum quo ex veritate meditata agendum sit in casibus particularibus ad reformationem vel perfectionem vitae provocant. Dein, legitima consequentia, auxilium Dei ad determinationem vel propositum efformatum cum suis circumstantiis petitur, gratiae relate ad veritatem consideratam pro se, pro tota Ecclesia, pro quibusdam in particulari postulantur. Hinc adoratio, gratiarum actio, propitiatio vel satisfactio atque impetratio seu oratio locum habent secundum eosdem quatuor fines ob quos S. Sacrificium offertur Deo (1). Praxis utiliorem ac faciliorem hanc methodum demonstrat, quin tamen ceterae excludantur, imo has cognoscere prius utile erit.

**269. — 7. Oratio vocalis.**

In ipsa oratione mentali oportet ut adsit simul, saltem circa finem, oratio qua a Deo gratias vel auxilium petitur, quae proinde petitio dicitur. A petitione, ait S. Alphonsus, omne nostrum bonum dependet; et S. Augustinus dicit Deum ordinarie nullam gratiam hominibus concedere, et praesertim gratiam perseverantiae, nisi per canalem petitionis, dicente Domino: *Petite et accipietis*. Ergo, concludit S. Theresia, qui non petit non accipit.

Quapropter necesse est semper orare et ante omnia petere perseverantiam et amorem erga

(1) Circa hanc methodum sunt libri et opuscula quae fusius eam explicant. Taurini (Italiae) *vicolo S. Maria*, 1; apud Sacerdotes Adoratores.

Deum; et quidem nullum tempus opportunius est ad petendum quam tempus orationis mentalis. Qui non orat, difficulter petit quia raro considerat gratias quibus eget et necessitatem ipsam petendi. Qui, igitur, non meditatur, difficulter in Dei gratia perseverat.

Quia autem vita christiana praeparatio quaedam esse debet ad orationem proxime faciendam et veluti anteactae continuatio, opus est ut frequenter medium aptius ad hoc adhibeatur nempe *oratio iaculatoria*, quae ad instar iaculi ex corde, amore accenso vel desiderio amandi, elicitur. Hoc orandi genus saepe ipsam orationem mentalem supplere potest, cum v. g. tempus desit.

Omnibus obvia est quia in instanti fieri potest, ubique et semper. Iuxta S. Franciscum Salesium est genus orationis magis necessarium quam caetera (1). Ipse autem suggerit ut praeferantur ea quae sponte ex corde exeunt, et relinquantur quae ex aliis efformata sunt, etsi ex S. Scriptura excerpta: ex ista autem excerptae orationes iaculatoriae tempore ariditatis valde utiles erunt.

**270.** — 8. **Hortetur instanter Confessarius.**

Exigat Confessarius, ait S. Alphonsus (*Homo Apost.*, app. I), ab animabus piis rationem ora-

(1) *Or en cette exercice de la retraite spirituelle et des oraisons jaculatoires gît la grande œuvre de la dévotion: il peut suppléer au défaut de toutes les autres oraisons, mais le manquement de celui-ci ne peut presque point être reparé par aucun autre moyen. Sans celui-ci on ne peut pas bien faire la vie contemplative et ne saurait-on que mal faire la vie active* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 2e p., ch. XIII).

*L'importance donnée à l'oraison jaculatoire est vraiment la grande originalité de notre saint. On peut dire que s'il y a un secret dans son ascèse, il est là. Pour aucun autre exercice autant que pour celui-là il n'a multiplié les avertissements, les instances, les supplications* (Francis Vincent, *op. cit.*, pag. 347).

tionis, exquirendo ab illis quomodo in ea sese gesserint, aut saltem si fecerint; et imponat illis ut in confessione ante omnia se accusent de oratione omissa, quando eam intermiserint, quoniam relicta oratione anima salvari non poterit. Anima quae omittit orationem, aiebat S. Theresia, tamquam a semetipsa se collocat in inferno sine opera daemonum. O quantam Confessarii afferent animabus utilitatem, ait S. Doctor, adhibendo hanc minimam diligentiam! Et oh quantam Deo rationem sunt reddituri, nisi ita se gerant, quoniam ipsi tenentur procurare, quantum in ipsis est, spiritualem progressum suorum poenitentium! Oh quot animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque a recidivis lapsibus in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis et interrogandi postea saltem sub initiis vitae spiritualis utrum eam fecerint vel non! Quando anima se in oratione solidavit, difficillime Deum amittet; et ideo oratio mentalis insinuanda est non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui saepe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum (*Homo Apost.*, l. c.).

### § 2. *De Confessione hebdomadali.*

**271.** — 1. **Conscientiae discussio.**

Sciat Confessarius animas, praesertim pias, docere examen seu discussionem conscientiae, ne haec fiat tamquam imperfectionum catalogus, sed sit potius orationis mentalis consequentia. Mens enim non est circa praeteritum tantum fixanda, sed potius super futurum convergenda, ne praeterito simile sit. Examen fontem ipsam peccatorum vel imperfectionum vel defectuum scrutari debet ni velimus computationem mathematicam agere. Est enim actio

qua anima progredi vult et enixe ad hoc agit sicut dux in proelio. Caveat tamen poenitens ne progressum proprium tangere vel metiri cupiat; hoc Confessarii pensum est (1).

Hortetur Confessarius animas pias ut non fatigentur circa conscientiae discussionem. Ipsis enim, ut ait Frassinetti, non est opus, cum ad sacramentum poenitentiae accedunt, ut conscientiam accurate discutiant, sive quia peccata mortalia non admittunt, sive quia etsi graviter peccassent non indigerent nunc, id est cum adeunt Confessarium, examen instituere eo quod certo iam sciunt et dolent. Saepe contingit ut animae quae minus conscientiae examine indigeant, magis circa hoc torqueantur angore spiritus (2).

**272.** — 2. **Frequens confessio.**

Obsistere oportet opinioni cuidam qua creditur sacramentum Poenitentiae purificare tantum non

(1) *Embarqués dans les exercices de notre vocation, sous le vent de cette simple et amoureuse confiance sans nous apercevoir de notre progrès, nous le ferons grandement* (S. Fr. de Sales, *Entretiens*, entr. XII). *Cet examen quand il est fait avec anxieté et perplexité n'est qu'une perte de temps; et ceux qui le font ressemblent aux soldats qui pour se préparer à la bataille feraient tant de tournais et d'excès entr'eux que, quand ce viendrait à bon escient ils se trouveraient les... car l'esprit se lasse à cet examen si grand et continuel et, quand le point de l'exécution arrive, il n'en peut plus* (Id., *lettre à Soulfour*).

(2) *In verità è una miseria il dover sempre trovare tra di voi, o anime pie, certe anime le quali lungamente esaminandosi ogni volta che vanno a confessarsi, anche ogni otto giorni, si angustiano e si conturbano perchè non trovano peccati da confessare. E qual meraviglia, dico a costoro, che non volendo far peccati non ne facciate? Sarebbe una meraviglia se faceste dei peccati, non volendone fare... Se hanno commessi peccati pienamente avvertiti li ricordano assai bene, ancorchè siano peccati veniali, sopra i quali non cade obbligo di esaminarsi; e tanto più agevolmente ricorderebbero i peccati mortali, quando ne avessero commessi* (Frassinetti, *La divozione illuminata, istruz. sulla Confess.*).

autem fortificare animam poenitentem (1). Finis autem huius Sacramenti non est tantum ut peccata remittantur, sed etiam ut vitentur et ut bona proposita instaurentur. Hinc est cur Catech. Conc. Tridentini ut frequenter accedant fideles ad hoc sacramentum hortetur: « Sed nulla res fidelibus adeo curae esse debet, quam ut frequenti peccatorum Confessione animam studeant expiare. Etenim cum aliquis mortifero scelere urgetur, nihil ei magis salutare esse potest, ob multa, quae impendent, vitae pericula, quam statim peccata sua confiteri. Nam, ut sibi quisque diuturnum vitae spatium polliceri queat, turpe profecto est, cum in eluendis corporis aut vestium sordibus tam diligentes simus, non eadem saltem diligentia curare, ne animae splendor turpissimis peccati maculis obsolescat » (P. II, n. 255).

Circa temporis spatium ad Confessionem, dicendum cum S. Alphonso quod « quaedam animae delicatioris conscientiae consueverunt quotidie confiteri, sed generaliter loquendo sufficiet personis spiritualibus praesertim scrupulosis confiteri semel aut ad summum bis in hebdomada: Sed quando aliqua ex istis gravaretur aliqua culpa levi... non ideo omittere debet Communionem; ad remissionem enim venialium docet sacrum Concilium Tridentinum esse quoque alia media, ut essent actus contritionis et amoris » (*H. Apost.*, l. c., n. 28).

(1) *Par la confession vous ne recevrez pas seulement l'absolution des péchés véniels que vous confesserez, mais aussi une grande force pour les éviter à l'avenir, une grande lumière pour les bien discerner, et une grâce abondante pour réparer toute la perte qu'ils vous avaient apportée* (S. Fr. de Sales, *Introduction*, 2ᵉ p., ch. XIX).

## § 3. *Sacra Communio.*

**273.** — 1. **Communio frequens.**

Cum iam Ecclesia circa S. Communionis frequentiam locuta sit, per Decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » Confessarius tenetur poenitentes hortari ut ad sacram Synaxim frequenter, imo quotidie, quoad fieri possit, *statu gratiae piaque mente accedant* (Cf. can. 863). Experientia evidenter manifestat, ait S. Alphonsus, omnibus qui circa animas adlaborant, sicut et mihi, multum proficere per Communionem omnes eos qui desiderio ad eam accedunt, Dominumque illas mirabiliter ad suum amorem adtrahere, etsi saepe hoc ad maiorem earum utilitatem, eas relictas in desolatione et tenebris et absque sensibilis devotionis gustu celet.

**274.** — 2. **Effectus.**

Bonus director hortetur « *nimio studio* » ad Communionem quotidianam quotquot idoneos invenerit et explicet eis breviter effectus Communionis praecipuos nempe: *a*) augmentum gratiae sanctificantis, quae est vita animae; est enim caro Christi cibus; *b*) adeptio gloriae aeternae, iuxta promissionem Christi; *c*) largitio uberrima gratiarum actualium; *d*) debilitatio habituum malorum et emendatio vitiorum, praesertim libidinis; *e*) remissio peccatorum venialium; *f*) remissio poenae temporalis peccato debitae, secundum modum devotionis et fervoris; *g*) unio specialis cum Christo et membris eius; *h*) praeservatio a peccatis futuris.

**275.** — 3. **Praeparatio et gratiarum actio.**

Cum Sacramentum Eucharistiae effectum suum

operetur non modo ex opere operato sed etiam sicut cetera sacramenta, ex opere operantis, studeat Confessarius ut poenitentes, praesertim qui quotidie ad S. Communionem accedunt, venialia minuere nitantur, meliorem in dies dispositionem praeseferant et convenientem pro singulorum statu et facultate gratiarum actionem faciant (1).

Rari sunt directores, ait ipse S. Doctor, qui poenitentes hortentur ut per notabile tempus gratiarum actioni post Communionem incumbant; ratio est, ait, quia et ipsi exemplum circa hoc dare nequeunt ob negligentiam et tepiditatem animi (2).

Animum attollat eorum qui ob quotidianos defectus accedere ad S. Eucharistiam timent, modo tamen bonam voluntatem eos corrigendi ipsi habeant; si desit, eam excitet Confessarius ut ipsi S. Communionis frequentiam non praetermittant (3).

(1) *Certaines personnes en ces derniers temps, sous prétexte de lutter contre le rigorisme, ont affecté de communier avec une désinvolture cavalière, se précipitant à la Table Sainte aussitôt après être entrées à l'Eglise, sortant de l'Eglise aussitôt après avoir communié* (Letourneau, *Guide du prêtre*, p. 192).

(2) Notandum quod fas est omnibus adstantibus Missae a media nocte litatae durante Congressu Eucharistico, ob concessionem apostolicam, ad sacram Synaxim accedere; sacerdotes, qui nocturnae huiusmodi adorationi interfuerint, prima Missa expleta, vel prima post mediam noctem hora transacta, Sacrum peragere queunt; religiosique viri, qui ad Horas canonicas recitandas tenentur adorationi nocturnae praesentes, eadem perdurante, loco Officii proprii, Officium de SS. Sacramento recitare valent (Cfr. *A. A. S.* XVI, 156).

(3) *Et il ne fallait pas pour cela quitter la très sainte Communion laquelle, au contraire, il faut l'employer pour* remède *à tels petits défauts, qui ne viennent pas tant de mauvaise volonté, comme de surprise et faiblesse* (S. Fr. de Sales, *lettre à M.me de la Fléchère*). *O Dieu ma Fille, un peu de diligence de plus vous conservera, vos exercices sains et sauves entre tous ces tracas. Il s'en faut bien garder de quitter le manger quand il faut travailler; au contraire il le faut accroître* (Id. *ib.*).

Satagat Confessarius ut receptio sacramenti occasio fiat poenitenti in spiritu vere proficiendi per orationem quae Eucharistico Sacramento alitur, neque praetermittat Missae adsistentiam commendare, hortans ut Passionis dominicae durante Missa mysteria meditentur, v. g. per Rosarii recitationem (1).

**276.** — 4. **Communio spiritualis et piae practicae.**

Medium sanctificationis et spiritualis progressus, haud satis commendatum, est spiritualis Communio, a Concilio Tridentino tam laudata. Si spiritualiter saepe communicaveritis, ait S. Theresia, multum profectum habebitis; ne desistatis, ex hoc enim manifestum fiet si Dominum diligitis.

Hortentur Confessarii poenitentes ut SS. Sacramentum visitent et imaginem B. Virginis honorent, Rosarium quotidie recitent, quoad fieri possit, orationes vocales paucas et breves et determinatas habeant, saepe corde potius quam ore SS. Nomen Iesu et Mariae pronuntient. Ieiunium ex devotione semel in hebdomada commendetur, discretionem circa somnum servandam moneant, adeo ut intra quinque vel sex horas contineatur, quoad fieri possit, nisi tamen debilis sit poenitens valetudinis.

(1) *A la Messe je vous conseille plutôt de dire votre chapelet qu'aucune autre prière vocale; et le disant, vous le pourrez rompre quand il faudra observer les points que je vous ai marqué à l'Evangile, au Credo, à l'Elévation, et puis reprendre où vous avez laissé. Et ne doutez nullement qu'il n'en sera que mieux dit pour toutes ces interruptions; et si vous ne le pouvez achever à la Messe, ce sera à quelque heure du jour et ne sera que de poursuivre où vous aurez laissé* (Id., *lettre à M.me Burgeois*).

### § 4. *Discretio circa mortificationes.*

**277.** — 1. **Monita salutaria.**

« Quoad mortificationem, ait S. Alphonsus (*Hom Ap.*, ap. I, § 3), oportet advertere quod quand animae vitam spiritualem incipiunt, ex eo quc solet tunc Dominus eas allicere consolationibus sen sibilibus, in primis illis fervoribus vellent se inte ficere disciplinis, ciliciis, ieiuniis et similibus ex ercitiis afflictivis. Interea oportet ut director s parcissimus in huiusmodi mortificationibus conc dendis: nam alias, superveniente inde tempore ari ditatis, ut ordinarie solet accidere, facile anim destituta suo pristino fervore sensibili, omittet om nes suas mortificationes; et incipiens inde diffi dere, relinquet etiam orationem et vitam ipsam spi ritualem, utpote res minus sibi accomodatas, e consequenter omittet omnia.

« Aliquando etiam accidit ut hae animae inc pientes, ratione primi illius fervoris se dent in re immoderatas et incidant in morbos corporales, e tunc ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiri tualia non sine ingenti periculo amplius ea no resumendi.

« Ideo director curare debet ut prius ipsae i vita spirituali solidentur, et postea consideratis cir cumstantiis sanitatis, occupationum atque fervori concedat illis eas mortificationes externas quas ip magis iudicaverit convenire secundum christiana prudentiam » (1).

(1) *Pour moi, Philothée, je n'ai jamais pu approuver la métho de ceux qui pour réformer l'homme commencent par l'extérieur, par l contenances, par les habits, par les cheveux... Il me semble, au co traire, qu'il faut commencer par l'intérieur... car aussi, le cœur éta la source des actions elles sont telles qu'il est* (S. Fr. de Sales, *I troduction*, 3e p., ch. XIII).

**278.** — 2. **Error vitandus.**

« Verum quidem est, quod mortificatio interior passionum est a poenitentibus potissimum exigenda: ut ex. g. esset, non respondere iniuriis, non quaerere neque manifestare aliis quae tendunt ad propriam aestimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati condescendere (sed sine damno spirituali); unde expedit aliquando alicui animae prohibere omnes mortificationes externas, quousque se sentiat liberam ab aliqua passione magis dominante, ut vanitatis, rancoris, cupiditatis rerum huius mundi, aestimationis propriae, aut propriae voluntatis. Sed absolute asserere mortificationes externas nihil aut parum prodesse, maximus error est. Dicebat S. Ioannes a Cruce, ei qui reprobat poenitentias, nullam adhibendam esse fidem etiamsi miracula perpetraret ».

**279.** — 3. **Norma.**

« Qui contra obedientiam poenitentias agunt magis progrediuntur in vitiis, ait S. Ioannes a Cruce, quam in virtutibus. Satis erit ab initio eis concedere aliquam tenuem sed raram mortificationem, ut disciplinam, catenulam ferream, abstinentiam, potius ad ingerendum in eorum animis mortificationis desiderium, quam ad eos, ut convenit, mortificandos, et postea processu temporis poterit liberalius agere iuxta progressum quem anima faciet in virtutibus; quando enim illa erit solidata, non poterit ei sine scrupulo opportunas mortificationes denegare.

« Ceterum, ordinarie loquendo, generalem hanc regulam sibi proponat, numquam scilicet concedendi mortificationes externas nisi prius requisitus, quia hae non multum prosunt, si absque magna appetentia recipiantur: et quoties concedit, semper minus quam postulatur concedat, et potius, ut inquit

Cassianus, excedat in denegando quam in concedendo.

« Meliores mortificationes, utiliores et periculis minus obnoxiae sunt negativae, ad quas faciendas regulariter loquendo, non est necessaria obedientia directoris, ut esset privare se visione aut audition rerum curiosarum, loqui parce, contentus esse cibi gustui minus acceptis, seu male conditis, non acce dere ad ignem tempore hyemis, eligere pro se re viliores, exultare et laetari deficientibus quibusdar rebus etiam necessariis; quoniam in hoc consisti virtus paupertatis, ut ait S. Bernardus: *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor pauperta tis* (1). Insuper non queri de incommodis tempo rum, de contemptu sui ipsius, de persecutionibus molestiisque infirmitatum corporis. Scalpro crucia tuum et dolorum perficiantur lapides Hyerusalem coelestis. Credere quod Deus, ait S. Theresia, ad mittat ad suam amicitiam gentem commoditatis ami cam, dementia est. Animae quae vere diligun Deum, nesciunt quietem expetere ».

Haud parva mortificatio est aliquis aspectus hu militatis, nempe occultatio bonorum operum. Circ hoc autem distinguendum:

« Opera communia ad virtutem christianam ne cessaria exerceri debent palam; ut esset frequenti

(1) De B. Ioseph Cafasso legitur: *Restio a permettere gran austerità egli inculcava invece con tutto il suo fervore la pratica quei, ch'egli chiamava i piccoli sacrifici. Non sono le penitenze rig rose che distruggono le passioni, egli diceva, ma la soda pietà quot diana ed odierna, che non dà negli occhi. Insisteva quindi molto di no lasciarsi sfuggire le occasioni che giornalmente ci si presentano di con pierli, ripetendo spesso che con queste piccole cose si accumulano gran tesori, anzi un vero fardello di meriti per il Paradiso. Le piccole mort ficazioni, con cui egli conduceva le anime privilegiate per le vie de l'amor di Dio, erano infinite nelle loro varietà* (*Vita*, aut. cit., pag. 37 Vol. I).

Sacramentorum, oratio mentalis, visitatio SS. Sacramenti, audire Missam genibus flexis et cum interiori spiritus recollectione, deferre oculos modestos, silentium in ecclesia servare, dicere se velle fieri sanctum, fugere garrulitatem necnon conversationes periculosas curiositatesque et his similia.

« Opera vero quae dicuntur supererogationis extraordinariae, et quae sapiunt singularitatem, ut supra enarratae poenitentiae externae ciliciorum, flagellorum, orationis cum brachiis in crucem expansis, comestionis herbarum amariorum, suspiriorum, fletus tempore orationis, etc. occultari debent, quantum possibile est. Reliqua vero opera virtutis, ut ministrare infirmis, erogare eleemosynam pauperibus, humiliare se facienti iniurias, et similia, haec melius erit occultare quantum fieri potest. Sed si forte exerceri nequeant nisi publice, non debent praetermitti dummodo fiant tantum intuitu placendi Deo » (*H. A.* l. c.).

## Articulus VI.

## Infirmitates spirituales et probationes.

### § 1. *Ariditas spiritus.*

**280.** — **1. Necessitas.**

« Initio quo anima se tradit vitae spirituali, solet Deus illam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrymis et sensibilibus aliis consolationibus; sed elapso aliquo tempore solet intercidere hanc venam ut probet eius fidelitatem et ut eam ad maiorem perfectionem extollat, subtrahens ei omnem dulcedinem sensibilem cui facile anima

adhaeret non sine impuritate quadam et culpa ex amore sui ipsius».

**281.** — 2. **Ad perfectiora.**

«Consolationes sensibiles et attractiones supernaturales sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus; unde ipse, ut animas sibi dilectas avellat etiam a donis suis, ut Donatorem puriori amore diligere cogantur, efficit ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum et solitam consolationem, sed taedia, ariditates, tormenta, et quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere Confessarius ad confortandas animas istas, ne orationem omittant, et Communiones. Revocet illis in memoriam verba illa S. Francisci Salesii, scilicet: Plus valere coram Deo *unciam* orationis in medio desolationum, quam *libras* centum inter consolationes.

«Qui enim Deum diligit ob consolationes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligit; sed qui Deum amat, eique adhaeret sine consolationibus istis, hic verum ostendit amorem» (S. Alph. *l. c.*).

## § 2. *Scrupuli.*

**282.** — 1. **Quomodo dignoscendi et tractandi.**

Conscientia scrupulosa ea est quae ex levi formidine dubitat de alicuius actionis honestate, adeoque semper formidat peccatum esse ubi non est. Multae adsignantur regulae pro scrupulosis; sed revera praeter orationem nullum his remediis efficacius, imo unicum ut bene ait P. Segneri, erit nisi obedientia omnimoda directori prestanda. Hinc ante omnia Confessarius suadeat huiusmodi poenitenti hoc duplex principium. *Primum*, quod coram Deo tuto incedit, si patri spirituali obtem-

peret, ubi evidenter peccatum non apparet: tunc enim non homini obedit, sed ipsimet Deo, qui dixit: *Qui vos audit, me audit*. Ita docent omnes doctores et magistri spiritus cum S. Bernardo, S. Antonino, S. Francisco Salesio, S. Philippo Nerio, S. Theresia, B. Dionysio Carthusiano, B. Umberto, ven. P. Avila, magno Gersone etc. — *Secundo*, quod maior scrupulus, qui debet eum angere, erit inobedientia, propter quam non tantum amittendi animi pacem, devotionem, et in virtutes progressum, sed etiam desipiendi, sanitatem consumendi, et, quod deterius est, etiam animae faciendi iacturam, magno se exponit periculo: possent enim eo devenire scrupuli, ut vel ad tantam eum redigerent desperationem, qua sibimet mortem inferret, sicut non paucis accidit; vel ut praecipitem se ad omne vitiorum genus deflecteret.

**283.** — 2. **Obedientia exquirenda.**

Item Confessarius insinuet poenitenti scrupuloso quod cum Deo non sunt calamo, ut dici solet, rationes colligendae. Deus enim, boni nostri causa, vult nos incertos vivere de nostra salute. Qua de re moralem diligentiam adhibendo ne eum offendamus, in eius misericordiam nostra cura iactanda est, et nostram non posse agere salutem sine eius gratiae adiutorio confitentes, haec cum perseverantia, fiducia et pace expostulanda nobis erit. Optimum est, aiebat S. Franciscus Sales., caeco ductu incedere sub divina Providentia inter huius vitae tenebras et perplexitates. Expedit non quiescere, dum a patre spirituali intelligimus nos bene progredi, quin eius rei causam perquiramus. Numquam periit obediens.

S. Philippus Nerius asserebat Confessario obsequentem se certum esse, Deo non redditurum de

suis operibus rationem. Qui autem non quiescit circa illa quae ex Confessario audit, superbia peccat et in fide deficit, iuxta S. Ioannem a Cruce.

**284.** — 3. **Quid expediat.**

Curet Confessarius ut percrebris sermonibus nimiam fiduciam in Iesum Christum excitet in scrupuloso; necnon magnam spem erga SS. eius Matrem, quae maxima potentia a Deo donata est in eos qui ad se confugiunt: quare hortetur ut vivat securus semper ac Iesu et Mariae se committat auxilio. Prohibeat quominus libros quibus scrupuli excitari possent, legat nec cum scrupulosis versetur, nec sermones terrorem incutientes audiat, nec conscientiam discutiat ubi scrupulos apprehendit.

Circa scrupulum qui pravas cognitiones respiciat, Confessarius doceat poenitentem huiusmodi cogitationes potius poenas quam peccatum esse. Et in hoc praecipue prae oculis habeat regulam nempe eum qui timoratae est conscientiae, nisi plus quam certus sit de peccato mortali, immunem a peccato iudicandum esse. Expedit pariter imponere ut de huiusmodi cogitationibus nihil confiteantur nisi certo sciant et iurare possint, se consensisse.

Erga scrupulosos non per regulas peculiares, sed generales procedendum est: particulares enim scrupulosis numquam erunt ad deliberandum aptae dubitantes semper num illa regula apta sit pro praesenti casu: qui semper ei videbitur differre a casu quem a Confessario audivit.

**285.** — 4. **Benigne et fortiter.**

Benigne erga scrupulosos agendum est, sed cum inobedientia delinquunt, cum rigore tractandi sunt; si enim hac obedientiae anchora destituantur, nihil eis remanebit. Si peccare formidant quodcumque

faciant, iubendi sunt ut libere agant semper ac non vident illam actionem evidenter esse peccatum. Et nihil refert quod cum actuali timore operentur, non deposito dubio (quod pene desperandum a scrupulosis); is enim timor non est verum conscientiae dictamen, quod alio nomine conscientia formata dicitur, ut bene distinguit Gerson (1) et S. Thomas (2); nec est verum dubium practicum, nec tollit iudicium ante factum (quod virtualiter perseverat, licet ad illud propter timoris vehementiam non advertantur) nempe, se non peccare in eo quod non cognoscunt evidenter esse malum; siquidem tunc, non contra conscientiam agunt, sed contra illum inanem timorem. Imponat, igitur, Confessarius huiusmodi poenitentibus ut parvipendant et superent scrupulum, libere operando id in quo scrupulus eis est impedimento: item eis iniungat, ut deinde amplius de illo non confiteantur (Cf. S. Alph., *H. A.*, I, 9).

**286.** — 5. **Tentatio et habitus.**

Saepe ad curandum hunc scrupuli morbum admodum necesse est ut bene distinguant tam Confessarius quam poenitens statum habitualem scrupuli et huius tentationem. Habitualis scrupulosus est qui facile tentationi scrupuli cedit, sicut qui facile cogitationibus pravis consentiat. Saepe autem est diabolica tantum obsidio, praesertim cum adsit ratio credendi quod originem habeat scrupulus ex indole poenitentis. Cum huiusmodi autem ten-

(1) « Conscientia formata est quando post discussionem et deliberationem ex definitiva sententia rationis iudicatur et firmatur aliquid esse faciendum vel non » (Gerson, *tract. de nat. consc.*).

(2) Conscientia importat ordinem scientiae ad aliquid; et ideo conscientia est applicatio cognitionis vel scientiae ad ea quae facimus » (S. Th., *Sum. Th.*, p. I, q. 79, a. 13).

tatione eodem modo agendum est ac cum ceteris. Si poenitens intelligat vere se esse tentatum, scrupulum etiam contemnere potest.

Hortetur poenitentem Confessarius ut cogitationes de scrupulo tamquam pravas depellat, atque obedientia, non materiali sed formali, iudicium suum submittat iudicio Confessarii. Saepe poenitentes scrupulosi curati sunt humilitatis actibus atque iaculatoriis precibus de hac virtute saepe repetitis.

**287.** — 6. **Normae particulares.**

*a*) Doctrina qua scrupulosus operari possit contra scrupulum non est applicanda omnibus scrupulosis indistincte. Abuterentur enim ea ii qui etsi scrupulosi sub uno respectu, sunt laxae conscientiae sub alio respectu.

*b*) Blasphemiae menti suggestae vel phantasiae a daemone repraesentatae, si obiectum abominationis atque poenae sint, purificationi magis inserviunt quam peccato. Sed contra, si anima eas indifferenter admittit vel considerat ut obiectum delectabile, excitanda est fortibus monitionibus ut vigilantius sese gerat; non enim ut scrupulis affecta tenenda est.

*c*) Neque ut scrupulosa habenda, est ea quae timet semper se non satis dixisse malitiam peccatorum et denuo ea confiteri velit, vel nova confitetur exaggerans ob metum non dicendi integram veritatem. Huiusmodi animae indigent potius ut instruantur.

*d*) Eum qui scrupulis agitatur circa peccatorum dolorem seu detestationem, bonum erit docere quod sufficit doloris actus vespere antecedenti vel mane emissus cum animo confitendi mane vel vespere sequenti, nisi retractatus fuerit.

*e*) Cum poenitens futili ratione motus interroget

super quemdam casum vel obligationem, quae adest sed ob aliud motivum, Confessarius si praevidet monitionem non profuturam, veritatem dissimulare potest quin conscientiam erroneam poenitentis approbet; et hoc tamen in casu quo scrupulus talis sit ut bonam fidem non tollat.

*f*) Scrupuli qui ex hypochondriaca affectione procedunt medici curae potius sunt subiiciendi et labore etiam manuali vel distractionem afferente curandi, praesertim charitatis operibus praeoccupandi sunt. « Magnopere sciendum est, ait S. Gregorius Magnus, quia nonnulli ita inquieti sunt ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent; quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius vacant » (*Moral.*, lib. VI, c. xx).

*g*) Haud raro scrupuli alicui animae valde proficui sunt, si vere humilis sit, quatenus etsi angoribus agitata, in Deo confidere ac eum amare non desistit. « Est morbus, ait S. Ioannes Climacus, qui ad elationem animi retundendam valet... et quandoque etiam animam ab improbis cogitationibus et vitiositatibus purgat » (Gr. 28). Ideo legitur in vita S. Philippi Nerii quod etsi donum haberet curandi animas a scrupulis, tamen quibusdam scrupulos reliquit sciens ex iis eos maiorem fructum consequi.

## § 3. *Tentationes.*

### 288. — 1. Necessitas et utilitas.

Quamvis non liceat tentationes propter seipsas desiderare ac expetere, licet tamen gaudere de utilitate quam praestant ad perfectionem secundum illud: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* (Iac. I, 2). Mul-

tum conferunt tentationes ad sui ipsius cognitionem: *Qui tentatus non est, qualia scit?* (Eccli. cap. XXXIV, 11); multum item ad perfectionem atque ad amicitiam cum Deo augendam: *Nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 9). Saepe autem animae a Deo magis dilectae tentationi exponuntur, Domino ipso in deserto per tentationem a diabolo vexato exemplum praebente et gratiam. Unde huiusmodi animabus expedit illa repetere: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te* (Tob. XII, 13). *Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis* (Eccli. XXVII, vers. 6).

Generatim debilis et inconstans est virtus quae tentationi adhuc non fuerit subiecta: « Nulla sunt enim, dilectissimi, sine tentationum experimentis opera virtutis; nulla sine perturbationibus fides; nullum sine hoste certamen; nulla sine congressione victoria » (S. Leo Magnus, *Serm. I Quadr.*).

**289.** — 2. **Remedia.**

Generalia remedia contra tentationes sunt: invocare SS. Nomen Iesu et Mariae et signo crucis se munire, studio vel labori manuali incumbere (1).

(1) « Quisquis enim in sacras disciplinas incumbit, rem utique adgreditur, quae magno labore et molimento et incommodo constat, pariterque desidiae illi inertiaeque repugnat, quae mater est et magistra multorum malorum; atque idem studiosus hac haud mediocri cogitationum intentione, praeterquam quod assuescit nihil quicquam praeponere deliberare inconsulteve agere, longe facilius coërcet cupiditates ac cohibet, quibus qui imperare neglegat, iam in deteriora flectitur inque vitiorum caenum prolabitur. In quo haec habet Hieronymus: « Ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis... » (Epist. CXXV ad Rust.). « Sed religiosus vir ad ea studia exercenda impelli quoque debet conscientia officii, quo ex sua ipsius vocatione obstringitur, perfectae adipiscendae virtutis. Quam quidem ad perfectionem cum nemini liceat efficaciter contendere tutoque pervenire sine vitae interioris usu, num haec quibusvis

Sed ob particulares tentationes praestat hic particularia remedia cum S. Alphonso aliisque sanctis indicare.

I. Adversus *fidei tentationes*. Ab hac terribili tentatione praesertim agitantur qui, cum perditam egerint vitam, sibi suoque iudicio nimis adhaeserunt; praecipue si viri eruditi sint. Doceat Confessarius poenitentem, praesertim in articulo mortis constitutum, ut constanti animo tantum generatim dicat: Ego credo quod S. Mater Ecclesia credit, quae veritatem credit et confitetur. Horteturque infirmum ut maximas Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiae sinum ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa fide usque ad extremum vitae perseverare velle profiteatur. Praecipuus tamen modus et utilior ad huiusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque varios eligere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum et similia. Expedit etiam, perseverante tentatione, ostendere quod nostrae fidei, per se sanctae et intemeratae, a pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusae, tot miraculis, ac tot millium martyrum sanguine, qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatae, argumenta luce clariora sunt, et manifeste illam veram esse patefaciunt, licet veritates, quas ipsa docet, nunc per speculum in aenigmate videamus; nam si mysteria, de quibus nos instruit, essent evidentia, ubi esset meritum fidei? quae ideo fides dicitur quia res quas docet, obscurae sunt et non apparentes. Hinc dictum est: *Beati qui non viderunt et crediderunt* (Ioan. xx, 29).

aliis tam abunde nutrimentis, quam divinarum rerum studio, educatur atque alitur?... » (Pius P. XI, *Epistola apostolica ad supremos Ordinum atque Congreg. moderatores*. Cfr. *A. A. S.* XVI, 138).

II. Adversus tentationes *desperationis* qua infernus vehementius aegrotos impetit, oportet illis de misericordia Dei, Salvatoris passione, divinis promissis et Dei Matris intercessione loqui. Motiva suggerat:

*a*) Deus occurrit, ut est *Pater misericordiarum*, etiam non quaerentibus se; magis cupit Ipse nos salvos facere quam nos salutem optamus. Amplecti quaerit, ut ait S. Bernardus, a quibus desertum esse se queritur; Ipse est totus pronus ad ignoscendum; inquit quod, cum peccator sua detestatur peccata, Ipse eorum memoriam amittit. Unus tantum verae poenitentiae actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit.

*b*) Passio Iesu Christi magnam spem infundit; nam Ipse non ad aliud quam ad peccatorum salutem in terram se descendisse protestatur. Ipse est bonus ille pastor qui dispersas oves quaerit, et si quam reperit, exultat, eam amplectitur, suisque humeris imponit.

*c*) Divina promissa spem roborantia multa sunt. Multis in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia, et non solum iustis sed et peccatoribus. Satis igitur est gratias a Deo petere ad salutem, ut certe obtineantur.

*d*) Sanctorum intercessio et praesertim Deiparae nobis semper parata est et veluti in exercitio. Vult Deus ut B. Virginem cum tota Ecclesia salutemus nostrum refugium, vitam et spem nostram. Unde merito ipsa B. Virgo appellatur spes desperantium et adiutrix destitutorum.

III. Adversus tentationem *vanae gloriae* S. Bernardus ait quod vana gloria est quaedam sagitta quae leviter penetrat, sed non leviter vulnerat, praesertim si tentatus timoratae sit conscientiae. Cum certum sit nullum suae salutis aeternae

divinaeque gratiae infallibilem certitudinem habere posse, ideo quisque semper pavere debet.

IV. Adversus tentationes *impatientiae* ostendatur quanta martyres pro Christi nomine tormenta passi sunt, dicatur quod si dolores aliaque quis invitus patitur, male nunc et in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo acceptat, non solum hic a morbi poena levabitur, sed minus postea purgatorii tormenta experietur, magisque postea in coelo remunerabitur. Doceat Confessarius quod poenas patienter tolerare aliis cunctis operibus perfectius opus est. Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, quia crux est nostrae praedestinationis securius signum. Memoret illud: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* (Rom. VIII, 18).

V. Adversus tentationes *odii et vindictae*, intimetur divinum praeceptum de diligendo inimico; dicatur quod qui non dimittit, nec veniam sperare potest a Deo; e converso Deus veniam certam promittit illi peccatori qui veniam dat offensori suo ex illo: *Dimittite et dimittemini* (Luc. VI, 37). Subdat poenitenti Confessarius quod si inimicus iniuste laeserit ipsum, quanto iniustius ipsum Deum? Ostendat quam gratam rem Deo exhibet qui iniurias dimittit.

VI. Contra tentationes *diffidentiae et timoris mortis*, suggerat Confessarius quod nullus speravit in Domino et confusus est; repraesentet poenitenti imaginem Iesu in horto agonizantis et in cruce morientis. Mors sancta non est timenda; est enim veluti somnus super pectus Domini. Suggerat omne bonum in Dei voluntate consistere, Deumque nobis quod melius est velle; unde expedit Paradisum desiderare ac proinde mortem non timere.

**290.** — 3. **Obsessiones.**

Circa daemonum obsessiones, certum est poss daemonem sua naturali vi, Deo permittente, mem bra hominis agitare (S. Thomas, *Sum. th.*, I-I q. VIII, a. 3) et inducere aliquem ad faciendu aliquem actum malum ligando per vires inferiore rationis usum, quin tamen vim voluntati infer valeat vel ad peccatum eam cogere, praesertim ratio sit ligata. Si poenitens, durante violentissim tentatione, nihil omnino cogitet de peccato neq cognoscat bonum neque malum, prout evenire p test etiam animabus vere piis, iudicandus est culpa immunis. Potest Confessarius proferre in da monem exorcismum privatum qui licitus est (S. A IV de Adiur.), hoc vel simili modo: *Ego ut D minister praecipio tibi, spiritus immunde, ut rece das ab hac creatura Dei.*

Ne sit facilis ad credendum poenitentibus ali quin piis qui talia passive experti sunt ac conf tentur tamquam mortalia; ipse daemon eis suade nititur eas amicitiae Dei prorsus esse expertes de earum salute iam actum esse. Plerumque ha obsidiones daemon animabus in via perfection pleno gradu incedentibus movet adeo ut cogantu interdum mentis oculo, quandoque etiam et corp rali, obscenissima quaeque videre, sicut et audi turpissima, Deo sic disponente ad earum sanctif cationem.

### § 4. *Tepiditas.*

**291.** — Animae tepidae circa virtutem et pi tatem, excitandae sunt a Confessario energic atque opportunis monitionibus. Peccatum venia praesertim si habituale, sicut in statu tepiditat est Dei iniuria quae vitari debet plus quam quae

poena, ut docet S. Thomas: « Quilibet debet potius mori et praeligere omnem poenam in generali, quam peccare venialiter » (II-II, q. cx, a. 3). Cum fit habitus circa veniale « ponitur dispositio ad peccatum, quod est mortale: etenim qui spernit modica, paulatim decidet » (Id. I-II, q. LXXXVIII, a. 3). Meminerit Confessarius quod ipse S. Doctor docet de venialibus: *Peccata venialia sine poenitentia remitti non possunt; et sicut peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale. Ideo de venialibus debet homo habere displicentiam, ita ut proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitae non patitur; et debet habere propositum ea minuendi* (P. III, q. LXXXVII, a. 1).

## ARTICULUS VII.

## Status mystici (1).

**292.** — 1. **Contemplatio.**

Quando anima aliqua a Deo contemplationis gratia donatur, oportet ut Confessarius optime sciat modum quo eam dirigere debeat et ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum illi afferet damnum et, quemadmodum ait S. Ioannes a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem (2).

(1) Sequimur S. Alphonsum in sua synthesi circa hanc materiam. Cfr. *Homo Apost.*, App. I, § II. Sufficit enim haec sequi quae doctrinam continent S. Thomae, S. Theresiae, S. Ioannis a Cruce, sancti Francisci Salesii.

(2) *Une fois la contemplation constatée, il faut au contraire stimuler l'âme à s'en nourrir et à progresser; ce qui veut dire s'y adonner en faisant les sacrifices voulus: sacrifices des curiosités de l'esprit, des*

Contemplatio multum differt a meditatione. In meditatione quaeritur Deus labore discursus; in contemplatione sine huiusmodi labore contemplatur Deus iam inventus. Insuper, in meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum; in contemplatione operatur Deus, et anima tantum patitur recipiens in se dona quae a divina gratia sibi infunduntur absque speciali sua operatione, quoniam ipsa lux et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter intentam ad contemplandam Dei bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

**293.** — 2. **Oratio recollectionis.**

Advertere etiam oportet, quod Deus, antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dictam *Raccoglimento*, vel otii contemplativi, ut illam vocant mystici, quae non est adhuc contemplatio infusa, quoniam anima adhuc est in statu activo. Haec recollectio (naturalis) habetur quando intellectui opus non est cum labore quasi extra animam exire ad considerandum mysterium aliquod aut aeternam veritatem, sed avulsus a rebus externis, et collectus quasi intra animam ipsam, absque labore, immo cum suavitate magna attendit illi veritati aut mysterio, quodcumque sit. Otium contemplativum est fere idem, nisi quod in collectione

*écarts de l'imagination, des inutilités de la conversation, des occupations sans bute ordonné à la charité envers Dieu ou envers le prochain enfin et surtout des libertés du cœur et des sentiments, libertés qui sont pour la charité des servitudes et des entraves dont il faut la libérer. Surtout il faut mettre l'âme en garde contre l'amour propre et l'égoïsme. Elle ne doit pas se coller à ce qu'il y a de délicieux dans les communications divines; elle doit malgré la jouissance et par delà la jouissance chercher Dieu purement, c'est-à-dire qu'elle doit s'exercer à jouir de Dieu uniquement pour lui-même, à la façon des élus du ciel* (P. De la Taille, *L'oraison contemplative*, p. 41).

anima attendat alicui devotae cogitationi particulari; in otio vero cum generali quadam Dei notitia sentit se in seipsa collectam et suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo, dicunt quidam mystici, quod etsi haec oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum a meditatione sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis etc., et tantum manere debet in quadam amoris vigilantia et attentione ad Deum, absque eo quod actum aliquem faciat. Verumtamen huiusmodi incantationibus, ait S. Alphonsus, ego prorsus acquiescere non valeo.

Nulli dubium, quod quando anima collectam se cernit non debet se applicare meditationi, quia iam invenit sine ullo labore quidquid ipsa postulabat; praeterquam quod ipsa ordinaria meditatio, ut ait P. Segneri in suo aureo opusculo de *Concordia inter laborem et quietem* (P. I, c. 1, n. 1), producit post aliquod tempus contemplationem quae dicitur *acquisita*, nempe illam quae unico intuitu cognoscit veritates quas ante nonnisi longo discursu et labore cognoverat.

**294.** — 3. **Recollectio activa sit.**

Sed his non obstantibus nescio cur anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis; et quodnam tempus opportunius his faciendis actibus esse poterit quam tempus quo anima se collectam sentit? Verum quidem est quod S. Franciscus Salesius consilium dedit S. Ioannae de Chantal, ut in sua oratione, cum se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus; sed quare? quia scilicet illa iam pervenerat ad contemplationem passivam (1). Unde,

(1) Non est confundenda contemplatio passiva et virtus passiva. Illa cum prudentia, ut hic exponitur exercenda; haec vero numquam quasi noxia vel obsoleta fugienda. Unde P. Pius XI ait: « Atque

quando anima adhuc est in statu activo, non est ratio cur actus boni impedire debeant gratiae operationem. Idem S. Franciscus Salesius praefigebat animabus devotis a se directis determinatum numerum aspirationum per amorem, faciendum intra certum temporis spatium.

Quando quis ad statum contemplationis passivum pervenit, tunc etsi non mereatur, quia in contemplationis actu non operatur, sed tantum patitur, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum maiori perfectione. Sed quando anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo; atque sunt haec opera quibus aliquis meretur gratiam divinam.

Unde recte concludit idem P. Segneri, quod Deo loquente et operante, oportet ut anima taceat et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex parte sua, circa principium, quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes; sed quando Deus non loquitur, necesse est ut se adiuvet eo modo quo potest ad coniungendum se Deo, scilicet meditationibus, quando hae sunt necessariae, affectibus, precibus, et determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti: unde illi tantum-

sunt fortasse qui adhuc censeant, virtutes, quae iniuria passivae nun cupantur, dudum obsolevisse et pro vetere claustrorum disciplina latiorem liberalioremque substituendam esse virtutum activarun exercitationem: quae quidem opinio — quam immortalis memoria decessor Noster Leo XIII in Epistola *Testem benevolentiae*, die XXI mensis ianuarii an. 1899 data, refutando ac diluendo reprobavit — nemo non videt quam sit christianae perfectionis doctrinae atqu usui probrosa et exitialis. Facile, ceteroqui, intellegitur, mult plus ad Ecclesiae incrementa et humani generis salutem confer eos, qui assiduo precum, macerationumque officio funguntur, qua qui dominicum agrum laborando excolunt; divinarum enim gr tiarum copiam nisi in agrum irrigandum illi e coelo deducerent, ia evangelici operarii sane tenuiores e labore suo fructus perciperent (*A. A. S.* XVI, 388).

modo sunt faciendi ad quos se anima sentit suaviter inclinatam.

**295.** — 4. **Purgatio spiritualis.**

Insuper advertendum est quod Deus antequam introducat animam in orationem contemplationis, solet eam purgare in ariditate supernaturali, quae appellatur *purgatio spiritualis*, ut eam purificet a suis imperfectionibus, quae illi impediunt contemplationem (1). Atque hic distinguendum est inter ariditatem sensibilem, quae pertinet ad sensum, et ariditatem substantialem quae pertinet ad spiritum.

*Ariditas sensibilis* quando est naturalis fert secum quoddam taedium rerum spiritualium et obscuritatem quamdam leviorem, et minus durabilem; sed quando est supernaturalis, de qua hic agimus, ponit animam in quadam obscuritate profundiori, quae diutius durat, et quotidie maius accipit incrementum. Nihilominus anima in tali statu constituta, licet sentiat se magis a creaturis alienatam, et habeat cogitationem semper in Deum defixam una cum ingenti desiderio, et determinatione eum perfecte amandi, tamen sentit se redditam tamquam impotentem ad hoc exequendum ob suas imperfe-

(1) *Etant donnée la loi de la Providence sur la croissance et le développement de la grâce, on peut dire que dans un sujet donné, passe un certain point ou il peut parvenir par l'exercice humain des vertus et des dons surnaturels, il n'y aura plus progrès régulier et normal que par la voie passive. Ce point de soudure est loin d'être le même pour toutes les âmes. Pour certaines, il est proche des débuts de la vie chrétienne; pour d'autres, il est à un niveau supérieur de vie spirituelle. De sorte que certaines âmes procéderont très longtemps et très loin et (relativement) très haut par leurs propres moyens aidées de la grâce, avant d'arriver à ce point où il leur faudrait franchir les confins de l'humanité, pour entrer dans les régions de la lumière infuse qui se suffit sans aucun commerce avec les facultés sensibles, sans aucun emprunt, au langage et aux conceptions de la raison* (P. De la Taille, *L'oraison contemplative*, p. 37).

ctiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis; sed interea, hoc non obstante, non cessat se recte gerere in virtutibus. Haec molesta ariditas est quidam tractus gratiae, est lux quaedam supernaturalis, sed lux quae affert poenam et obscuritatem, quoniam volens se nudo spiritui communicare, et inveniens sensus, atque potentias animae suae non adhuc capaces, ex eo quia nondum prorsus a consolationibus sensibilibus sint disiunctae, et consequenter materialibus, quae plenae sunt formis, imaginibus et figuris; producit in anima huiusmodi tenebras tam molestas, sed valde utiles, quoniam per ipsas anima pervenit ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis, quam spiritualibus; et insuper acquirit magnam suarum miseriarum cognitionem, atque impotentiae ad quodvis opus bonum perficiendum, et simul magnam erga Deum venerationem, qui illi repraesentatur venerabilis et terribilis. In hoc statu director debet animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea; insinuet ei ne conetur se exercere in meditatione, sed ut humiliet se, faciat actus oblationis, totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus suae voluntatis, quae tota tendit ad bonum nostrum.

**296.** — 5. **Ariditas substantialis.**

Post hanc purgationem sensus solet Dominus concedere donum contemplationis, quae dicitur gaudii; scilicet recollectionis supernaturalis, quietis et unionis, de qua deinceps loquemur; sed ante unionem, et post recollectionem et quietem, solet Deus purgare animam ariditate spiritus, quae dicitur ariditas *substantialis*, qua Dominus vult, ut anima se totam in seipsa annihilet. Ariditas sensus est sub-

tractio devotionis sensibilis, sed ariditas spiritus est quaedam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihilum agnoscat. Atque hic est, ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia; nam etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, et magis attenta ad Deo placendum, nihilominus quo magis agnoscit suas imperfectiones eo sibi videtur a Deo expulsa atque derelicta, tanquam ingrata beneficiis acceptis, immo et ipsa spiritualia exercitia quae peragit, ut sunt orationes, communiones, mortificationes, eam magis contristant; nam cum ea omnia non sine magno taedio et poena perficiat, credit omnia digna suppliciis, et se Deo odibiliorem. Quin multoties animae istae videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam Deus eas iam reprobaverit, tanquam sibi inimicas; et adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum poenas, et divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut huiusmodi desolationes comitentur mille aliae tentationes, ut motus impuritatis, iracundiae, blasphemiae, incredulitatis, et praesertim desperationis: ita ut miserae in magna illa obscuritate et confusione non valentes discernere resistentiam voluntatis (quae revera tunc adhuc adest, sed ipsis est occulta, aut saltem dubia ob praesentes tenebras), timeant iam consensisse, et ideo tanto magis existimant se derelictas a Deo.

**297.** — 6. **Confessarii opera.**

Hic ergo Confessarius, quando ei aliqua ex animabus istis occurrit, quae iam per perfectionem progreditur, et opinatur se derelictam, imprimis non terreatur videndo confusionem hanc, et audiendo tot expressiones timoris et desperationis, nec se ostendat timidum, aut ullo modo haesitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timen-

dum: et eo tempore, plusquam alias, animet ad confidendum in Deo, recitans illi ea verba, quae Dominus dixit S. Theresiae, quod scilicet nemo Deum amittit quin cognoscat amittere. Dicat ei omnes illas suggestiones blasphemiarum, incredulitatis, impuritatis, et desperationis non efficere consensum, sed poenas, quae si cum resignatione tolerantur, animam magis magisque Deo coniungunt. Dicat a Deo numquam odio haberi animam, a qua amatur, et quae bonae est voluntatis. Addat, Deum ita se gerere cum animabus a se magis dilectis. *Ariditatibus, et tentationibus* (dicebat S. Theresia) *probat Deus suos amatores. Quamvis aridítas tota vita perduret, anima non omittat oratiónem, veniet tempus quo omnia ei persolventur.* O quam iucundam pro anima desolata sententiam! Hortetur ergo, ut fórti animo sit, et viriliter expectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis, moneat etiam, ut primo, humiliet se utpote dignam quae ita a Deo tractetur ob anteactae vitae defectus: secundo, ut divinae voluntati se totam resignet, paratissimam se praebendo ad ea omnia perferenda, immo et maiora pro omni tempore quo Deo placuerit; tertio, proiiciat se tanquam mortuam in brachia divinae misericordiae, et committat protectioni Mariae SS. quae Mater misericordiae et afflictorum consolatrix iure appellatur.

Ariditas sensus perdurat quousque, purificatis sensibus, anima apta ad contemplationem reddatur. Ariditas vero spiritus durat quousque reddatur capax divinae unionis; quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus ut anima iterum redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa, ne anima seipsam negligat, et ut identidem suum nihilum agnoscat.

**298.** — 7. **Species contemplationis.**

Completa ergo purgatione sensus, et ad finem perducta ariditate sensibili, ponit Deus animam in statu contemplationis. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. *Affirmativa* est quando anima beneficio lucis divinae, sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem aut creatam, ut infelicitatem inferni, felicitatem paradisi, etc., aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. *Negativa* est quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere cum confusa quadam notitia, sed quae ingerit conceptum longe maiorem magnitudinis divinae: et ita etiam in confuso agnoscit aliquam veritatem creatam, ut horribilitatem inferni, etc. Sed en primos contemplationis gradus: hi sunt: recollectio interior spiritus, et quies: de unione loquemur postea.

**299.** — 8. **Recollectio supernaturalis.**

Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali iam diximus, quae tunc habetur, quando animae potentiae colliguntur ad considerandum Deum intra se; et dicitur *naturalis*, non quia anima ex se valeat illam operari; omnis enim actio virtutis, ut possit aeternum praemium promereri, indiget auxilio gratiae; unde generatim loquendo est etiam supernaturalis: sed *naturalis* dicitur, quia anima tunc est in statu activo, et beneficio gratiae ordinariae operatur. Recollectio vero *supernaturalis* est illa, quam operatur Deus ministerio cuiusdam gratiae extraordinariae, et per quam Deus collocat animam in statu passivo: ita ut recollectio supernaturalis, seu infusa tunc proprie habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animae, sed

beneficio lucis quam Deus infundit, et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus. In hoc statu non est cogenda anima ut interrumpat discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus, quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio: sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit.

**300.** — 9. **Quies.**

Secundus gradus est *quietis*. In recollectione vis amoris communicatur immediate sensibus externis; quos Deus ipse veluti intra animam facit colligere. Sed in quiete amor communicatur immediate spiritui: et amor ipse est ardentior, qui deinde etiam ad sensus externos diffunditur: hoc vero non semper: unde multoties accidit quod anima habeat orationem quietis, sed sine ulla dulcedine sensibili. Ex S. Theresia (in vita c. XIV) in hac oratione non suspenduntur omnes potentiae: suspenditur quidem voluntas, et remanet tanquam ligata, quia tunc nullum aliud obiectum praeter Deum valet amare, qui eam sibi trahit: sed intellectus et memoria, aut phantasia quandoque remanent liberae, et huc illucque excurrunt. Unde dicit Sancta (*Cammin. di Per|ez.*, p. 200) animam de hoc non debere tristari: *Rideat* (inquit) *de sua cogitatione, illamque deserat veluti stultam, et maneat in sua quiete: et cum voluntas sit domina, ipsa cogitationem ad se reducet, absque ullo vestro labore.* Quod si anima velit se applicare ad colligendam cogitationem, nihil omnino consequitur, et suam quietem amittet. In hoc statu multo minus quam in recol-

lectione anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex seipsa emendicatos; eos tantummodo faciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli.

**301.** — 10. **Clara caligo.**

Nunc aliqua de oratione purae contemplationis, scilicet de contemplatione negativa superius enuntiata, quae est longe perfectior quam affirmativa. Haec contemplatio *negativa*, dicitur *clara caligo*, quia ob nimiam lucis abundantiam intellectus obscuratur: quemadmodum qui intuetur solem, radiorum fulgore obcaecatus nihil cernit, sed tantum intelligit solem esse magnum quoddam lumen: sic Deus in ista caligine infundit animae lucem magnam, quae facit, ut illa intelligat non iam veritatem aliquam particularem, sed acquirat generalem quamdam et confusam notitiam suae incomprehensibilis bonitatis, unde anima incipit efformare altissimam de Deo ideam, licet confusam. Quando anima aliquantulum noscit aliquam ex divinis perfectionibus, conceptum quidem suae bonitatis concipit, sed longe melior est conceptus quem format, quando cognoscit divinam perfectionem non posse comprehendi. Hanc orationem propterea vocant orationem caliginis, quia in hac vita anima non est capax clare intelligendi Divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo; sed intelligit longe melius omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia, cum Deus non sit res quae formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare; et ideo nihil aliud intelligit, quam quod illum non valet intelligere, quapropter huiusmodi intelligentia vocatur ab Areopagita, *sublimis cognitio Dei per ignorantiam*. In hac oratione caliginis suspenduntur omnes interiores potentiae animi, et quandoque etiam sensus

exteriores: ita ut anima aliquando ingrediatur in *ebrietatem spiritualem*, quae facit eam prorumpere in quaedam amoris deliria, ut cantus, clamores, fletus immodicos, saltus, et his similia, quemadmodum eveniebat sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis.

**302. — 11. Status unionis.**

Post gradus istos Dominus animam ad unionem ducit. Unicus animae scopus hic esse debet, unio scilicet cum Deo; sed ut anima perfectionem attingat, non est necessaria unio *passiva;* satis est illi pervenire ad unionem *activam*. Paucissimae, inquit S. Theresia, sunt animae illae, quae diriguntur a Deo per vias supernaturales: et nos in coelo permultas aspiciemus quae sine huiusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quae gratias istas receperunt. Unio *activa* est perfecta uniformitas divinae voluntati, in qua certe consistit tota perfectio divini amoris: *Perfectio,* inquit S. Theresia (*Concetti dell'Amor di Dio, Conc.* 3) *non consistit in extasi; sed vera unio animae cum Deo est unio voluntatis cum divina voluntate.* Haec unio est necessaria, non vero unio *passiva:* et animae illae quae solam habent activam, inquit eadem Sancta (*Avvisi per l'oraz., avv.* 22), *fieri potest quod habeant meritum longe maius, quia maiorem patiuntur laborem, et Dominus dirigit eas ut fortes, et consolationes quas in hac vita non habent servat, ut postea de eis in alia.* Absque contemplatione infusa recte quidem potest anima beneficio gratiae ordinariae pervenire ad unionem propriae voluntatis et ad eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo, quam voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus, tamen hi non impediunt illi praefatam transformationem; unde cum in ho

posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare et petere a Deo, quam ut dirigatur ab ipso, et in ipso suam efficiat voluntatem. S. Theresia tractando de unione passiva, asserit (Mans. V, cap. I) quod anima posita in ea, *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere;* quoniam ex abundantia lucis et amoris efformatur illa beata caligo, in qua suspenduntur omnes potentiae animae; memoria enim non recordatur nisi Dei: voluntas coniungitur Deo tali amore, ut nequeat amare aliud obiectum, et intellectus tanta luce repletur, ut nullam rem aliam valeat cogitare, nec etiam gratiam quam actu tunc recipit: unde intelligit multum, sed nequit percipere quid intelligat. Unde, anima in hoc statu constituta habet claram et experimentalem cognitionem Dei praesentis qui in animae, ut ita dicamus, centro eam sibi coniungit. Haec unio, inquit S. Theresia (*in vita*, c. XVIII), non multum perdurat, sed ad summum dimidiam horam non excedit. In aliis contemplationibus, de quibus antea locuti sumus, Deus praebet se videndum tanquam proximum animae, hic vero tanquam praesentem; et anima experitur eum sibi coniunctum per suavem quemdam contactum. Unde, inquit Sancta (Mans. V, cap. I), in aliis contemplationibus posse animam dubitare, utrum fuerit Deus, in hac vero non. Hoc tamen non obstante, debet eam Confessarius monere non ideo evasisse impeccabilem, et propterea, quo magis se videt a Deo huiusmodi gratiis donatam, eo magis esse debet humilior, et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, et vivendo divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore quod infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob maiorem, qua admittentur, ingratitudinem. S. Theresia (Mans. V et VI) affirmat se cognovisse plures animas, quae, cum antea ad hunc statum unionis

ascendissent, postea in peccata mortalia praecipites ceciderunt.

**303.** — 12. **Species unionis.**

Tres dantur species unionis: unio *simplex*, unio *desponsationis*, et unio *consummata*, quae vocatur unio *matrimonii spiritualis*. Unio simplex est illa, de qua usque adhuc locuti sumus. Dicendum nunc est de unione *desponsationis*. Hanc unionem solet ordinarie praecedere ariditas substantialis, quae est purgatio spiritus, de qua iam supra locuti sumus. In hac vero unione desponsationis tres sunt alii gradus diversi, scilicet *extasis*, *raptus*, et *elevationis spiritus*. In simplici unione suspenduntur potentiae, sed non sensus corporei, quamvis hi remaneant valde infirmi ad operandum. In unione autem extasis amittitur quoque usus sensuum, ita ut persona non videat, non audiat, et non percipiat neque incisiones, neque adustiones. Raptus vero nihil aliud est quam impressio quaedam gratiae validior, qua Dominus non solum elevat animam ad unionem, sed etiam rapit illam motu quodam subitaneo et violento: ita ut aliquando elevetur etiam corpus, et reddatur leve ad instar plumae. Elevatio spiritus *contingit*, quando anima sentit se rapi quasi extra se, et extolli supra seipsam cum magna quadam violentia, unde ab initio magnum experitur timorem. In elevatione spiritus continetur tam extasis, quia intervenit amissio sensuum, quam raptus, id est motus violentus. Retulit persona quaedam similibus gratiis a Deo donata, quod in talibus elevationibus spiritus videbatur sibi tanquam si anima e corpore fuisset avulsa et elevata cum tanta velocitate, ac si conficeret decies centena millia milliaria in quovis temporis momento non sine magno terrore, quoniam igno-

rabat quo esset ascensura; sed cum postea subsedisset, tunc illustrabatur ad cognoscendum aliquod divinum arcanum. Sed hic oritur dubium: si in hac unione suspenduntur potentiae, et intellectus obscuratus a lucis abysso nequit attendere rebus quas intelligit; qua unquam ratione potest ibi anima intelligere, et verba facere de illo divino arcano? Respondent mystici, quod quando Deus vult, ut anima intelligat aliquod secretum, aut immittere illi aliquam visionem intellectualem, vel imaginariam, minuit nonnihil lucem, ita ut anima remaneat habilis ad cognoscendum, et perpendendum quodcumque Deus voluerit.

**304.** — 13. **Unio consummata.**

Tandem perfectior unio quae dicitur *consummata*, et maior quam in hac vita possit Deus concedere animae viatrici, est illa quae dicitur *matrimonii spiritualis*, per quam anima transformatur in Deum, et fit unum quid cum Deo: eodem modo quo vas aquae infusum mari evadit unum cum aqua maris. Et advertendum hic est, quod in reliquis unionibus, ut loquuntur mystici, potentiae remanent suspensae; in hac vero minime suspenduntur; quoniam potentiae purificatae a sua sensibilitate, et materialitate, iam effectae sunt capaces divinae unionis; ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat, et attendat huic intimae divinae unioni, quae iam facta est in animae *centro*, quod accidit eodem modo ac si quis intueretur solem, et sine ulla offensione oculorum solis splendorem cognosceret. Insuper est advertendum, quod haec unio non est transitoria, ut duae priores, sed permanens; ita ut anima fruatur habitualiter divina praesentia iam sibi coniuncta, et fruatur in pace stabili: nam passiones nihil amplius eam

perturbant: illas quidem anima cernit dum faciem suam ostendunt, sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar eius qui forte habitans super nubes cerneret tempestates inferius evenientes, et ipse non tangeretur ab illis.

**305.** — 14. **Visiones.**

Hic abs re non erit aliqua dicere de visionibus, locutionibus, et revelationibus ad discernendas falsas a veris. Visiones vel sunt *externae*, vel *imaginariae*, vel *intellectuales*. *Externae* sunt quae oculis cernuntur. *Imaginariae* quae spectantur in phantasia, seu imaginativa. *Intellectuales*, quae neque oculis, neque in phantasia videntur, sed a solo intellectu divina luce adiuto, quae species intelligibiles ingerit; atque haec visionum species, teste S. Theresia, tota est spiritualis; nullam enim in ea partem habent sensus neque externi, neque interni qui sunt imaginativa, et phantasia. Notandum quod neque oculis, neque phantasia potest anima cernere res sibi repraesentatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiae spirituales. Contra, beneficio intellectus res cernuntur tanquam spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel ut melius dicam, noscuntur, non videntur; sed noscuntur longe melius quam si oculis cernerentur.

**306.** — 15. **Signa ad distinguendum.**

Advertendum tamen hic est, quod visiones istas tam Deus quam diabolus potest operari, quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere S. Ioan. a Cruce (*Salita*, l. II, c. XXIII) contra id quod sentit Cardinalis Petruccius; quamvis multo facilius corporales, quae ut plurimum et praecipue in foeminis ab ipsa phantasia efformantur. Signa ad distinguendas veras a falsis sunt:

1. Si veniant ex improviso sine ulla praecedenti animae cogitatione. 2. Si ab initio afferant confusionem et terrorem, sed postea relinquant animam in pace. 3. Si sint rarae, quia frequentes sunt valde suspectae. 4. Si parum durent, quoniam, inquit S. Theresia (Mans. VI, c. IX), quando anima intuetur per longum tempus rem sibi repraesentatam, signum est quod sit potius actus phantasiae. Visio divina, ut plurimum, transit ad instar fulguris, sed remanet inde immobiliter menti infixa. 5. Vera visio relinquit animam in summa pace, et vivida cognitione miseriae suae, non sine ingenti desiderio perfectionis, ad differentiam visionum diabolicarum, quae parum remanent impressae, et relinquunt animam in quadam siccitate, perturbatione, motibus propriae aestimationis, et cum fame sensibili harum gratiarum. Verum cum omnibus signis superius memoratis, inquit S. Theresia (ibid.), nullam certam haberi posse securitatem, quoniam multoties daemon scit simulare quietem, cogitationes humilitatis, desideria perfectionis; quae omnia incertum est a quo procedant; quoniam saepe ipse daemon, ut ei fides praestetur, solet haec insinuare, ut tandem illum percipiat fructum, et deceptiones, quas intendit. Unde director, regulariter loquendo, non prohibeat animae enarrare sibi huiusmodi visiones, immo imponat illi ut manifestet quaecumque videt, sive vera ea sint, sive falsa, ut docet S. Theresia (Mans. V, c. IX); sed e contrario nullam ostendat curiositatem sciendi huiusmodi visiones, neque de his minute animam interroget, nec praeveniat dicendo: *Num fuit sic? Vidistine hoc, vel illud?* quia tunc facile anima respondet affirmative aut ex sua malitia, aut simplicitate. Si aperte noverit huiusmodi visiones esse opus phantasiae, aut diabolicum, quia forte alienant animam ab obe-

dientia, humilitate, aut ab alia virtute, tunc aperte ei hoc dicat. Si vero id Confessarius non discernat, omnino non expedit indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasticas, quemadmodum solent quidam nimis increduli (ad differentiam aliorum, qui nimis creduli, omnes habent ut veras); sed dicat poenitenti, ut oret Deum ne amplius ducatur per vias adeo periculosas, se protestando quod quamdiu vivet in terris velit Deum cognoscere solum per viam Fidei. Caeterum insinuet ut ex visionibus habitis vel falsis, vel veris illum percipiat fructum, qui magis est necessarius, et praecipue se recte cum Deo gerendi; ita enim agendo, quanquam visiones fuerint a daemone, daemon remanebit elusus.

**307.** — 16. **Locutiones.**

Quod vero ad *locutiones* attinet, *locutio* esse potest *successiva, formalis,* et *substantialis*. *Successiva* est quando anima meditando aliquam veritatem Fidei, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea. Haec, quando bonos parit effectus, ut essent amoris, aut humilitatis extraordinariae, esse potest speciale Dei lumen: sed quando non videt augeri consuetum amorem, indicium est eam esse intelligentiam proprii intellectus. *Formalis* est quando anima audit aliqua verba formata, sed extra se; et potest haec percipi vel auribus, vel imaginativa, vel intellectu. Haec ut discernatur utrum sit divina, vel diabolica, videndae sunt res quas exprimit, aut faciendas imponit, et effectus quos relinquit. Praecipue, si est divina, imponitque opera patientiae, propriae abiectionis, aut quodvis aliud opus spirituale, relinquet facilitatem quandam ad omnia toleranda, ad operandum, et se humiliandum. *Substantialis* est

eadem ac formalis, et solum differt in effectu; quoniam formalis aut instruit, aut imponit; substantialis vero cito operatur id quod exprimit ut e. c. si diceret: *Consolare; Noli timere; Dilige me:* anima tunc in eodem temporis puncto remanet consolatione repleta, intrepida, aut amoris igne succensa. Haec locutio caeteris omnibus est securior; prima enim est valde incerta: secunda, id est formalis, est multum suspecta, praesertim quando iubet res exequendas: unde director si observat ea quae iubentur esse christianae prudentiae opposita, debet ea omnino prohibere; si vero non sint prudentiae contraria, expedit ut earum suspendat executionem, quousque deveniat in maiorem securitatem, et multo magis si res sint extraordinariae.

**308.** — 17. **Revelationes.**

Denique quod attinet ad *revelationes* rerum occultarum, aut futurarum, ut scilicet mysteriorum Fidei, status conscientiarum, praedestinationis animarum, mortis, promotionis ad aliquam dignitatem, et his similia; hae possunt tripliciter haberi, nempe per visiones, per locutiones, et per intelligentias nudarum veritatum. In huiusmodi revelationibus debet director magnam adhibere prudentiam, nec sit nimis facilis ad credendum, praecipue ad exequendum quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in revelatione acceptam. Ante omnia iubeat animae, ne revelationem aliis indicet, et ipse cautissime semper procedat, immo utatur sapientiorum consilio, quoniam ut plurimum tales revelationes dubiae sunt et suspectae. Minus vero suspectae sunt intelligentiae simplicium veritatum circa mysteria, attributa divina, malitiam peccati, damnatorum infelicitatem, et his similia; hae quando sunt Fidei conformes, inquit S. Ioannes a Cruce (*Salita*, lib. II, c. XXXIII),

anima non debet illas expetere; sed si ipsi concedantur, humiliter sunt accipiendae et non refutandae.

**309.** — 18. **Quomodo sese gerendum.**

Quaeritur, utrum omnes istae species gratiarum et communicationum supernaturalium debeant reiici aut acceptari. Et distinguendum est, ut ait doctus quidam auctor (F. Bern. de Castelvetere, *Dirett. Mist.*, lib. II, c. 1) cum Sancto Ioanne a Cruce, et aliis: gratiae illae quae elongant a Fide, ex eo quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, has oportet omni conatu reiicere; sed illae ex opposito, quae sunt uniformes Fidei, ut sunt notitiae confusae et generales, et tactus divini qui uniunt animam Deo, non sunt reiiciendae, immo possunt humiliter expeti et desiderari, ut magis magisque Deo uniatur, et in suo sancto amore solidetur. Hoc nihilominus intelligitur pro illis animabus quae iam donantur huiusmodi favoribus; quoniam pro aliis tutior via est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, quae ut diximus, est unio voluntatis nostrae cum divina voluntate. Director igitur, quando ei occurrerit anima cum his communicationibus contemplationis, aut caliginis, aut unionis, non debet ei imponere ut eas reiiciat, sed ut humiliter et cum gratiarum actione recipiat. Semper vero utatur verbis quae ad tempus animam non omnino securam efficiant, sed relinquant quemdam timorem, qui eam etsi non conturbet, detineat vero in humilitate, et ab omnibus alienatione. Gratias autem quarumdam notitiarum distinctarum quae habentur per viam visionum, et his similium, ut superius diximus, iubeat Confessarius constantissime recusari, semper tamen in spiritu humilitatis (et

sine ullo contemptu, ut expuendi in faciem, irridendi, etc. quod non licet, ut plures asserunt); et protestando coram Deo se velle ei in pura Fide servire. Caeterum, inquit S. Theresia, quod quotiescumque anima sentit se suaviter accendi ad amorem erga Deum, habere debet communicationem tanquam divinam, non ideo ut credat se aliis meliorem, sed ut animum attollat ad perfectius coram Deo ambulandum; ita enim agendo Deus efficiet ut daemon, etiamsi iste aliquam partem haberet, victus remaneat, et suis ipsis armis sibi damnificet.

**310.** — 19. **Normae particulares.**

Director ergo 1. Imponat animae, ut superius diximus, ut fideliter enarret omnes communicationes quas habet in oratione, nullum tamen eas sciendi desiderium demonstret; nec umquam aliis manifestet gratias supernaturales suo poenitenti concessas; fiet enim ut illi eius precibus se commendent, eumque maximo superbiendi periculo exponant: vel si post hanc notitiam levissimum intueantur defectum multum scandalizabuntur, et in derisione habebunt. 2. Non ostendat huic animae talibus favoribus distinctae particulare aliquod signum aestimationis, et multo minus mittat alias poenitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem; potius ostendat minoris eam facere, quam alias animas, quae ambulant per viam Fidei: quoniam animae his favoribus ornatae, regulariter loquendo, semper, et multum sunt humiliandae. 3. Si advertat animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adiuvare, immo et securam facere, quoties expedire Confessor cognoverit. Affirmat S. Theresia quod anima nunquam movebitur

ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit magna accepisse a Deo. Et quidem eadem Sancta, quando a Ss. Francisco Borgia, et Petro de Alcantara fuit facta securior, dona, quae ipsa acceperat, esse vere divina, ex eo tempore ad perfectionem non amplius cucurrit, sed evolavit. Neque ex eo quod cernit director animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, aut commissi cum adhaerentia et contemptu), reputare debet omnes huiusmodi communicationes pro mendaciis et illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantum animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ea scilicet ratione, ut liberet eas a suis imperfectionibus et ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur quod per huiusmodi communicationes anima magis magisque se liberet a passionibus, et proficit in amore divino, atque in desiderio perfectionis, signum est quod illae sint bonae. De reliquo, quando agitur de gratiis externis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, regulariter loquendo, ut diximus, tutius est, ut director ostendat parvi eas facere, dicendo id quod ait S. Theresia (*vita*, c. xv et Man. VI, c. ix) e coelo post obitum suum cuidam personae religiosae: *Ne fidant animae visionibus et revelationibus particularibus; ne collocent perfectionem in eis habendis: licet enim aliquae ex eis sint verae, plures nihilominus sunt falsae et mendaces: et difficile est invenire unam veritatem inter plura mendacia* (quare plures sunt visiones falsae quam verae); *et quo avidius expetentur, et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide et humilitate, quae est via tutior quam posuerit Deus.* Quare det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem a rebus terrenis, et a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem

nunquam valebit pervenire. Quod si unquam director advertet animam non esse bene fundatam in suae miseriae cognitione, et vellet pro certo tenere quod suae communicationes sint divinae, et turbaretur audiendo quod director nollet eas credere ut tales, pessimum signum est: signum est enim quod illae sint daemonis et hoc ex effectibus qui observantur, scilicet adhaesionis superbiae; aut indicium est quod anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare debet, quoties dubitat Confessarius, et ideo in hoc casu omnibus modis est humilianda, et in timore detinenda quantum fieri potest; et tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communione, et severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur a daemone. Denique director etsi iudicaret reddere animam certiorem, quod suae communicationes sint a Deo, tamen ei insinuet, ut in oratione semper prae oculis habeat (vel saltem in principio) punctum aliquod vitae, vel passionis Iesu Christi. Dicebat S. Theresia animam, quae amittit directionem boni Iesu, nunquam perventuram ad perfectam cum Deo unionem. Animae incipientes meditantur Domini passionem per modum discursus; contemplativae vero non utuntur discursu, sed proposito sibi mysterio aliquo, admirantur bonitatem, misericordiam, amorem divinum; et hinc Deus facit eas transire, quando ei placuerit, ad contemplationem suae Divinitatis.

CAPUT V.

# VITAE STATUS ET OFFICIA PARTICULARIA

## Articulus I.

## Pueri.

**311.** — 1. **Interrogatio.**

Si prudens esse debet Confessarius circa interrogationes in genere erga quoscumque poenitentes, praecipue vero circa puerorum interrogationes. Unde hodiedum expedit omittere quasdam ex iis interrogationibus quas enumerat S. Alphonsus (*H. A.*, tract. ult., n. 37).

Attamen in pueros adhibenda est magna charitas et modi suaviores eligendi quantum fieri potest. Curet Confessarius ut ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sint; et postea interrogari poterunt, secundum casus, an tacuerint aliquod peccatum, an blasphemaverint, vel Missam audire in festis omiserint, an parentibus fuerint inobedientes. Circa peccatum turpe, si timeat ne illi aliquod taceant, incipiat interrogare de longe et verbis generalibus: et prius an dixerint mala verba, an iocati fuerint male cum aliis pueris vel puellis, praesertim an iocos clam exercuerint. Multoties etsi pueri negent, ait S. Alphonsus, prodest

uti interrogationibus suggestivis, v. g.: Et nunc dic mihi, quoties haec fecisti? Quinquies, decies?

Bene meminerit Confessarius quod saepe pueri ob ignorantiam confundentes peccatum veniale cum mortali et viceversa sacrilege confitentur, etiamsi non agatur de sexto praecepto.

**312.** — 2. **Circa absolutionem.**

Circa autem absolutionem his pueris impertiendam, magna requiritur prudentia. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis iam habeant, prout si distincte confitentur, vel adaequate interrogationibus respondent, et appareat quod ipsi iam intelligant offendisse Deum et meruisse infernum; tunc si videantur dispositi absolvantur.

Si in peccatis lethalibus sunt recidivi, tractandi sunt sicut adulti. Si autem dubium sit an puer perfectum usum rationis assequutus sit, et est in periculo mortis aut in obligatione implendi praeceptum paschale, absolvendus est sub conditione; praesertim si confessus sit aliquod dubium mortale peccatum. Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus.

Et probabiliter pueri dubie dispositi absolvi possunt sub conditione, licet sola venialia afferent, ne careant diu gratia sacramentali. Oportet autem curare ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium, modo respectu ipsorum magis proprio. Poenitentia autem illis iniungenda levis sit quantum fieri potest et curandum quod ab ipsis quantocius impleatur, alioquin aut obliviscentur aut omittent.

Sancta est consuetudo, ait S. Carolus in suis *Monitis ad Confessarios*, ut pueri et puellae etiamsi perfecte ad usum rationis non pervenerint, ad confessionale invitentur et paulatim ad sacramentum suscipiendum praeparentur, ut statim ac expediat

aut sint dispositi absolutionem recipiant (*l. c.* p. 22-24).

**313.** — 3. **S. Communio.**

Quoad admissionem puerorum ad primam Communionem, reiectis omnibus disputationibus, necessest hodie magis quam antea Ecclesiae voluntastare ut a sacra mensa non arceantur illi qui usurationis adepti sunt, qui in quibusdam citius, aliis vero serius manifestatur. Quapropter notardum:

*a*) Iuxta Cod. I. Can. pueri usum rationiadepti circa septimum annum, sive supra sivetiam infra, tenentur praecepto confessionis et communionis (Cf. can. 859, § 1 et nn. 318-320) - (1)

*b*) Iudicium de sufficienti dispositione pertinead Confessarium et ad parentes et ad illos qui vicecorum gerunt (can. 854, § 4).

*c*) Parochus, si adsit prudens suspicio ne parentes vel confessarius imprudenter se gerant, advigilare debet ne pueri accedant ante adeptuusum rationis vel sine sufficienti dispositione, itemque curare, ut usum rationis assecuti et sufficientedispositi, quamprimum hoc divino cibo reficiantu(Ib., § 5), et habere semel vel pluries in ann

(1) In litteris Episcopo Nursiensi datis, die 20 febr. 1920, Card. Gasparri, praesidens Commissionis ad interpretationem Iuris Canonic interroganti respondebat usum rationis ad S. Communionem nece sarium illum esse *clare* indicatum can. 854, § 2 et 3; usum vero rtionis ad praeceptum Confessionis annualem, de quo in can. 90illum esse qui hactenus requisitus est. Ex hac distinctione sequitquod pueri ex quo incipiunt habere usum rationis (non penitus pefectum), etsi peccandi mortaliter incapaces sint et ideo non teneantpraecepto Confessionis, tenentur tamen ad praeceptum Communioniuxta can. 859, § 1, qui tamen subdit: « nisi forte de consilio propsacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius peceptione duxerit abstinendum ». Causa autem haec potest esse dbium an puer aliqualem usum rationis adeptus sit.

communionem generalem puerorum et admittere non modo eos, qui nondum communicaverunt, sed etiam eos qui parentum confessariive consensu, iam primam peragerunt communionem, praemissis pro utrisque aliquot diebus instructionis et praeparationis (1).

*d*) Obligatio praecepti confessionis et Communionis quae impuberes gravat, recidit praecipue in eos, qui curam ipsorum habere debent, hoc est in parentes, confessarium, institutores et parochum (Cf. can. 860).

## Articulus II.

## Iuvenes.

**314.** — **1. Electio status.**

Circa statum ab adolescente eligendum, non audeat Confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum ad quem prudenter iudicare potest ipsum a Deo vocari. Circa eos qui religionem ingredi volunt, curet imprimis ne illis viam obcludat, imo eis viam consiliorum adaperiat si propensos videat ad omnia relinquenda, recollectionis amantes, dociles iudicio ac voluntate, dummodo ad religiosam vitam am-

(1) Indulgentiae. — *Indulgentia plenaria:* 1° pro adolescentibus confessis et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae pie orantibus, die quo primam S. Synaxim celebraverint. 2. pro eorundem adolescentium consanguineis ad tertium usque gradum, piis caeremoniis primae communionis adstantibus, si pariter sacramentali confessione rite abluti S. Synaxim susceperint et uti supra oraverint. — Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum pro Christifidelibus, qui corde saltem contrito eisdem caeremoniis interfuerint.

plectendam a quadam suavi, constanti, quieta, pura in suo fine et uniformi inclinatione moveantur, un cum iudicio vitam illam securiorem sibi fore ad vitam aeternam consequendam.

Inclinatio autem illa colenda est reflexione se consideratione, saepe repetita, et per notabile tem pus, circa statum quem eligere quis velit; ad ho vero multum prodest opera ac experientia Confes sarii, praecipue oratio assidua utriusque ad lume clarius a Deo obtinendum.

Determinatione facta, Confessarius poenitente in ea confirmare ac sustinere studeat contra diabol incursus atque insidias, necnon parentum obstacula quae plerumque ex sola inconsiderata affection procedunt.

**315.** — 2. **Signa vocationis ecclesiasticae.**

Vocationis praecipua signa sunt iuxta S. Alphon sum (n. 802): *scientia* conveniens, *probitas* vitae *recta intentio*, seu desiderium vacandi divinae glo riae et saluti animarum. Unde qui sine vocation ex talibus signis explorata, in sacrum ministerium se intrudit, non potest forte a gravi culpa excu sari. Maiori autem periculo se committunt Epi scopi, non vocatos ad ordines sacros promoventes Unde S. Alphonsus sic ait: «Ad hanc... probatio nem ab Episcopo exquirendam, non quidem suffi cit quod ipse nihil mali noverit de ordinando, se debet fieri certus de eius positiva probitate... Qu de re Episcopi in hac probatione expetenda no debent esse contenti simplici attestatione paroch rum, qui humanis ducti respectibus in huiusmod attestationibus concedendis facile clericis indulgen ne in se attrahant ipsorum odium eorumque pro pinquorum; sed insuper ab aliis fide dignis, capt secreta informatione, certi fieri debent, non solu

quod initiandus non fuerit malus... sed etiam quod positive bonus sit, sc. quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in ecclesiis, Sacramenta frequentet et orationem, vivat a saecularibus segregatus » (n. 803).

**316.** — 3. **Recens declaratio.**

Anno 1912 Papa Pius X speciali Cardinalium commissioni mandavit ut examini subiiceret doctrinam contentam in libro cui titulus: *La vocation sacerdotale* Canonici Lahitton. Post severum examen, responsio cum plena Summi Pontificis approbatione die 2 Iulii 1912 pubblici iuris facta est; quae ita declarat:

« Opus praestantis viri Ioseph Can. Lahitton, cui titulus *La vocation sacerdotale* nullo modo reprobandum esse; imo qua parte adstruit: 1. Neminem habere umquam ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem Episcopi. — 2. Conditionem, quae ex parte ordinandi debet attendi quaeque *vocatio sacerdotalis* appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subiecti, seu invitamentis Spiritus Sancti ad Sacerdotium ineundum. — 3. Sed, e contrario, nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab Episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita, et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, quae spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte subire, eiusdemque obligationes sancte servare queat: esse egregie laudandum » (Cf. *Acta Ap. S.*, vol. IV, p. 485).

Codex canonicus aeque statuit: « Sacram ordinationem licite recipit, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordi-

narii, praeditus sit, neque ulla detinetur irregularitate, aliove impedimento» (can. 986, § 1).

**317.** — 4. **Quid vitandum.**

Vocatio ad statum ecclesiasticum in saeculo obeundum ordinarie dignoscitur per specialem, suavem ac fortem inclinationem ad sacerdotium, necnon per ardentem amorem ad ecclesiasticas virtutes, praesertim ad castitatem, una cum tenera devotione ad B. Virginem, scientiarum sacrarum studio, ministerii sacri amore et exercitiis sacerdotis propriis. Non est necessaria inclinatio sensibilis, nam haud pauci iuvenes, veram habentes vocationem, quamdam experiuntur ab initio repugnantiam. S. Gregorius, S. Basilius, S. Ambrosius nimis timuerunt sacerdotium. Neque per se signum contrarium est quod quis tentationes contra castitatem experiatur, modo habitualiter victoriam cum Dei auxilio reportet.

Si iuvenis requisita ad veram ecclesiasticam vocationem habeat, sed rectitudinem intentionis deficiat, efficaciter ac paterne est corrigendus a Confessario, ea spe quod Deus illi quod necessarium est ad vocationem concedat.

**318.** — 5. **Indigni arcendi.**

Repellendi sunt incunctanter a sanctuario illi qui post notabile experimentum et repetita examina virtutis ac morum, nihil vel fere nihil fecerunt ad passiones evincendas, indolem subiugandam, neque de mortificatione et virtute sufficientem aestimationem conceperunt.

Qui iam puberes, aiunt graves doctores, turpia perpetrarunt cum aliis personis, sive eiusdem sive alterius sexus, non semel aut iterum et quasi ex inopinato occursu, sed voluntarie, deliberate, fre-

quenter et per longum tempus, prorsus repelli debent a statu ecclesiastico. Qui numquam praedicta peccata luxuriae cum mulieribus consummarunt, sed vehementer inclinantur ad mulieres, nimia familiaritate utuntur, libenter cum illis facete loquuntur, turpes cogitationes inde erumpentes non aegre ferunt, eisque quandoque adhaerent, nec in studio, nec in pietatis exercitationibus, praesertim oratione, ferventes apparent, a sacris ordinibus arceantur, quia in periculis sacri ministerii ruent (v. Gouss., II, 658, ex Bouv.).

Quando opus est, ait S. Alphonsus, Confessarii denegent absolutionem etiam seminaristis, qui abnuunt certiorem reddere episcopum vel rectorem de aliquo gravi scandalo ut remedium apponant; et advertendum est quod multoties ab hac delatione non excusarentur ob grave incommodum vel damnum, quia praevalet malum commune removendum.

**319.** — 6. **Vocatio religiosa.**

Ordinaria vocationis signa sunt: impedimentorum absentia, aptitudo et voluntas. Impedimenta invalidantia enumerantur can. 542, § 1; illicitam admissionem reddentia, can. 542, § 2. Aptitudo consistit praesertim in iudicio recto, indole bona, animo submisso obedientiae iugo, et scientia relative sufficienti. Voluntas debet esse *constans* contra daemonis tentationes ac naturalem repugnantiam, et *recta*, quae, nempe, oriatur ex desiderio salutem consequendi, gloriam Deo dandi, opem spiritualem proximo ferendi.

Confessarius negare non potest absolutionem ei qui etsi veram vocationem ecclesiasticam aut religiosam habuerit eam non sequatur, nec potest eum adigere ut eam sequatur, nam dubia nunc evadere potest; de caetero *per se* graviter non peccat qui

se vocatum sentiens vocationi non obsequitur, nec qui non vocatus vitam religiosam aggreditur.

Meminerit Confessarius fas esse filiis religionem ingredi insciis parentibus imo invitis, si tamen expediat.

Si vocatio dubia sit, Dei gratia postuletur et nisi voluntas firma adsit, Confessarius ingredi religionem non permittat, nisi dubium vel timor versetur tantum circa idoneitatem, quia in hoc casu, si prudentia suggesserit, experimentum in novitiatu fieri poterit.

Confessarius non permittat nec consilium det puellis ingrediendi monasterium in quo regularis observantia non vigeat, praesertim si desit regula determinata.

## Articulus III.

## Sponsalia et matrimonia.

**320.** — 1. **Frequens difficultas.**

Iuveni interroganti num liceat amorem fovere erga puellam ut videat si ipsam sibi conveniat uxorem ducere, facile respondere Confessarius poterit theorice casum esse faciliorem, nam non est «in numero eorum quae habent deformitatem inseparabiliter annexam» (S. Th., *Quod.*, l. IX, a. 1); sed quoad executionem i. e. circa amoris manifestationem haud facile est casum resolvere. Nam non tantum scientia quantum prudentia opus est, qua circumstantiae bene ponderentur et examini subiiciantur. Periculum enim peccati raro deest; unde ut caute procedant huiusmodi iuvenes hortandi sunt. «Ne tantum itaque, ait S. Ioannes Chrysostomus, peccata fugiamus sed ea etiam quae videntur indifferentia

et paulatim in haec peccata nos pertrahunt» (*Hom. ad pop. Ant.*); attamen non potest nec debet declarare peccatum grave id quod reapse ut tale certo non constet. Ubi non adest indicium turpitudinis, sufficere debet periculi indicatio, quin peccatum exaggeretur, iuxta illud S. Thomae: «Omnis quaestio in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse habeatur, periculose determinatur. Et praecipue periculosum est ubi veritas ambigua est» (*Quodl.*, IX, a. 15).

Sponsis permitti possunt aliquando oscula et amplexus iuxta morem patriae, non aliter quam solutis, modo non sint pressi et per notabile tempus protracti, quia tunc adest periculum commotionis spirituum; ubi adest ratio cohonestans, v. g. timor ne appareant singulares aut ne ludibrio exponantur, vel ne alteri displiceat, licet eis eadem facere etiam cum aliquo periculo motuum libidinis sed *sine periculo eis consentiendi*, cum aliunde sponsalia hos actus cohonestent (Bouv. ap. Scav. III, 460, e v. S. Alph. 452). Nunquam licet ea facere ob delectationem carnalem vel tantum sensitiva (id., *l. c.*).

Sponsa non tenetur sponsum dimittere vel eius visitationem respuere cum periculo matrimonium impediendi etsi sciat ex eius collocutione vel ab eius ornatu illum mortaliter quandoque lapsurum (S. A., III, 53).

**321.** — 2. **Matrimonii consilium.**

Numquam debet Confessarius (minusque autem simplex sacerdos) in negotia matrimonia respicientia, sese ingerere. Interroganti autem ob consilium, respondeat Deum orare oportere.

Neque iis qui pravis moribus vivunt, illico matrimonium ineundum consulere expedit; nam prius oportet alia remedia ad vitium curandum adhibere

**323.** — 4. **Sponsalia.**

Ex nova disciplina ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parecho aut loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotandum; et alius testis addendus est, qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet.

Sponsalia autem certo valida: obligant ex iustitia commutativa et sub gravi ad matrimonium contrahendum; implenda sunt tempore praefixo; obligant etiamsi sponsus sponsalia cum alia postea iniverit et iuramento et copula firmaverit. Attamen, ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem explenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, datur tamen ad reparationem damnorum si quae debeantur (can. 1017, § 3).

Etiam post novam disciplinam sponsalia solvi possunt mutuo tantum consensu, quin ullo modo necesse sit documentum conscribere de sponsalibus dissolutis; immo etiam quoad probationem dissolutionis secutae sufficit adducere testimonia vel quamcumque aliam legitimam probationem.

**324.** — 5. **Impedimenta.**

Impedimenta ad matrimonium sunt vel impedientia vel dirimentia.

Impedientia ex iure canonico sunt quatuor: Ecclesiae vetitum, mixta religio, cognatio legalis et votum.

*a*) *Ecclesiae vetitum*, id est vel lex Ecclesiae quae prohibet ex. gr. matrimonia sine denunciationibus (can. 1022), vel praeceptum particulare au-

ctoritatis ecclesiasticae quae ob rationabiles causas prohibet uni vel utrique parti ne audeant matrimonium inire. Ita ex. gr. ob timorem gravem rixarum et scandali vel ob suspicionem alicuius impedimenti de quo inquisitio prius facienda est (can. 1039).

*b*) *Mixta religio,* tum ob periculum perversionis partis catholicae et prolis nasciturae, tum ob communicationem in sacris (can. 1060 et seqq.).

*c*) *Cognatio legalis ex adoptione.* In regionibus ubi lege civili cognatio ex adoptione orta, nuptias reddit solum illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est (can. 1059).

*d*) *Votum* simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum (can. 1058).

Dirimentia autem sunt quindecim, nempe:

I. *Error* in personam vel in qualitatem. Error in personam verificatur quando quis intendit contrahere cum persona certa et determinata et contrahit cum alia quam falso pro alia putat. Error in qualitatem ut v. gr. circa divitias, bonitatem, nobilitatem, etc., *per se* non dirimit matrimonium, quia accidentalis; excipe casum quo qualitas sit determinativa personae, vel fuerit posita tamquam conditio consensus (can. 1083, § 2).

II. *Conditio,* seu potius error circa conditionem nullum reddit matrimonium cum persona quae libera putabatur et postea deprehenditur esse in statu servitutis stricte sumpto (can. 1083, § 2, n. 2).

III. *Votum* nempe vota sive solemnia sive simplicia in religione emissa (can. 1073).

IV. *Ordo.* In Ecclesia latina hoc impedimentum afficit tantum clericos in sacris, scilicet in maio-

ribus constitutos dummodo ordinatio fuerit valida, post pubertatem, voluntaria et a coactione immunis (can. 1072).

V. *Cognatio*. Potest esse naturalis, spiritualis et civilis.

1. Naturalis ea est que ex consanguinitate oritur. In consanguinitate distinguuntur:

*a*) *Stipes* seu persona ex qua tamquam ex proximiori principio communi aliae descendunt, et *linea* quae est series personarum ab eodem stipite descendentium.

*b*) *Linea* autem potest esse: *recta* si consideratur series personarum quarum aliae ab aliis descendunt immediate ut filii a parentibus, vel mediate, ut nepotes ab avis; *obliqua* seu collateralis, seu transversalis si personae, licet ab eodem stipite derivent, aliae tamen ab aliis non descendunt, v. gr. duo fratres, duo consobrini, etc. Haec vero linea dicitur *aequalis* vel *inaequalis* prout personae consanguineae aequaliter vel inaequaliter distant a stipite.

*c*) *Gradus* seu distantia unius personae ab altera in ordine ad consanguinitatem. In linea autem *recta* tot numerantur gradus quot personae, stipite dempto, seu tot sunt gradus quot generationes; in linea *obliqua* aequali tot sunt gradus quot sunt personae in una parte dempto stipite. In linea obliqua *inaequali* tot sunt gradus quot personae in linea longiori, stipite dempto. Quare patruus et nepos, filius et soror patris, sunt consanguinei in secundo gradu.

His positis, notandum quod, in linea recta consanguinitatis, matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos, tum naturales; in linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii

impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur (can. 1076).

2. *Cognatio legalis* est propinquitas personarum quae per fictionem iuris ex adoptione legali oritur. Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione orta, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere (can. 1080).

3. *Cognatio spiritualis* oritur ex baptismo et ex confirmatione; sed impedimentum exurgit tantummodo ex baptismo; et contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus (can. 768).

VI. *Affinitas* oritur ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato, et viget inter virum et consanguineos mulieris, inter mulierem et consanguineos viri. Dirimit matrimonium in linea recta in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive (can. 1077). Qui sunt consanguinei viri iidem in eadem linea et gradu sunt affines mulieris et viceversa (c. 97).

VII. *Crimen.* Hoc impedimentum, quod est ex iure ecclesiastico, contrahitur:

*a*) Per *adulterium* perfectum, materiale, formale, cum promissione matrimonii vera, externa et acceptata, id est, mutua et pura, non conditionata circa quod praesupponit solutionem matrimonii; vel cum attentatione matrimonii per actum tantum civile.

*b*) Per *occisionem coniugis* ex mutua conspiratione, cum intentione contrahendi matrimonium, ex actione physica vel morali alterutrius ex qua mors realiter sit secuta.

*c*) Per *adulterium* formale cum coniugicidio post adulterium, quamvis altero inscio vel invito, cum secuta morte ab alterutro patratum (can. 1075).

VIII. *Cultus disparitas,* viget inter non baptizatos et catholicos (can. 1070).

IX. *Vis et metus,* gravis, extrinsecus, iniustus (can. 1087).

X. *Ligamen,* id est vinculum matrimoniale iam contractum.

XI. *Aetas.* Cod. I. Can. exigit aetatem 16 annorum qui sint expleti ex parte viri, 14 vero ex parte mulieris (can. 1067). Cod. Italico aetas requiritur 18 annorum pro viro, 14 pro muliere (art. 55). Ita etiam ius gallicum. Codices vero hispanicus et lusitanus concordant circa hoc cum Cod. I. Can.

XII. *Clandestinitas,* quae habetur cum contrahitur matrimonium absque praesentia parochi et duorum testium. Ex nova disciplina canonica contrahentes possunt se sistere parocho non proprio si iste suae paroeciae iam officium iniverit, nec sit suspensus neque gravi metu coactus ad adsistendum matrimonio et consensum contrahentium prius exquisiverit et obtinuerit (can. 1095). Extra paroeciam propriam, permissionem a parocho loci petere tenetur. Debet parochus facere ut sibi constet de statu libero contrahentium, eorumque domicilio vel quasi domicilio (ubi nempe morati sint per mensem integrum, saltem unus contrahentium); si desit hoc quasi domicilium licentia petenda est a parocho loci ubi alter moratus sit, nisi gravis necessitas excuset ab ea requirenda (In C. I. Can. *error, vis, metus, clandestinitas,* non recensentur inter imp. dirim., sed iis fit locus ubi de consensu matrimoniali et de forma celebrationis matrimonii).

Extra casum necessitatis parochus non potest licite adsistere matrimonio *vagorum* (qui ne menstruam commemorationem in una paroecia fovent) absque consensu Ordinarii.

Matrimonio regulariter assistit parochus proprius (1) sponsae; sed quaevis iusta causa ab hoc excusat (can. 1097).

In periculo mortis, nunc valide et licite contrahi potest, si parochus haberi commode nequit, coram quolibet sacerdote et duobus testibus. Et in iisdem rerum adiunctis quilibet sacerdos dispensare potest super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae, consummato matrimonio (can. 1043). Requiritur tamen probabile periculum mortis alterutrius coniugis, periculum vere imminens, ratio consulendi vel conscientiae vel legitimationi prolis. Tenetur autem sacerdos de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem facere (can. 1046). Deficiente sacerdote, contrahi potest coram duobus testibus, etiam extra articulum mortis si per mensem integrum sacerdos haberi nequeat (can. 1098).

XIII. *Honestas*, est impedimentum quod ex matrimonio invalido vel a publico et notorio concubi-

(1) Ad normam can. 1096, § 1, sacerdos non est determinatus, si parochus Superiori monasterii in casu particulari declaret, se ad matrimonium proxima Dominica in ecclesia filiali celebrandum delegare *aliquem* sacerdotem religiosum, qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die Dominica ibi celebrandam deputabitur (Cfr. *A. A. S.* XVI, 115).

Vicarius oeconomus legitime constitutus in paroecia vacante, ad normam cann. 472 et 473, potest licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti *determinato* ad matrimonium *determinatum*. Idem potest vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, post Ordinarii approbationem, si nullam limitationem Ordinarius apposuerit. Item, vicarius parochi religiosi, post Ordinarii approbationem, etsi ante approbationem Superioris religiosi. Pariter vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in can. 465, § 5, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit (Cfr. *A. A. S.* XVI, 115).

natu, vel ex solo matrimonio civili exurgit et dirimit nuptias in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris et viceversa (can. 1078).

XIV. *Raptus* impedit matrimonium inter raptorem et mulierem raptam intuitu matrimonii, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit (can. 1074)

XV. *Impotentia coeundi* dirimit matrimonium si fuerit antecedens et perpetua. Quia autem ne medici quidem saepe iudicare valent de impotentia, Confessarius Ordinarium prius adeat (c. 1068) - (1).

**325.** — 6. **Divortium.**

Quoad vinculum matrimoniale, bene retinendum, quod divortium *semiplenum* i. e. quoad torum et habitationem tantum, admitti potest gravibus de causis nempe: ex adulterio non condonato, non mutuo, voluntario, perfecto et consummato, vel ob haeresim, ob grave periculum spirituale vel corporale, vel demum ex mutuo consensu. Divortium a toro fieri potest etiam privata auctoritate et etiam quoad habitationem propter adulterium, dummodo,

(1) Hodie certa videtur doctrina quae docet potentiam generandi non requiri ad essentiam matrimonii, sed sufficere potentiam coeundi. Copula coniugalis integritatem physicam et moralem viri et mulieris efficit. Iuvat hic legere, inter cetera, haec quae habet Mons. Aloysius Cornaggia Medici in opusculo « *Dell'essenza del matrimonio* » pag. 14: *Il contratto matrimoniale non è un contratto aleatorio, ma, per sua natura, il contratto più certo che si possa pensare: la procreazione, invece, è tra le cose più aleatorie che si possano concepire, anche con gli organi più idonei. Ora, non potendo la procreazione essere voluta come « certa » dalla volontà dei due nello scambio dei consensi, così non può formare l' « oggetto » di un contratto « certo » com'è, per essenza sua, il contratto matrimoniale. Ma se non può formarne l'oggetto, esso non entra a far parte dei suoi elementi costitutivi. Dunque il matrimonio è valido anche se all'atto del suo contratto non vi è quella* potentia generandi, *che è « incerta » sempre nel suo effetto: « la procreazione ».*

si delictum sit occultum, scandalum absit, quod vix abesse poterit, et verius etiam propter haeresim et propter periculum imminens.

Per se et ratione adulterii nemo obligatur ad dimittendum alterum, nisi adsit motivum grave, v. gr. scandalum vitandum, quasi alter coniux consentiat, vel spem correctionis. At, quia haec obligatio nonnisi ex charitate procedit, non est obligandus coniux cum gravi incommodo. Coniux innocens potest revocare coniugem, vel religionem ingredi vel ordines sacros recipere si divortium est perpetuum; quod non licet dimisso nisi ex licentia saltem praesumpta dimittentis (1).

Si autem divortium fuerit temporaneum tenetur coniux recipere coniugem ad fidem reversum vel amoto periculo ob quod divertit. Aequalis imo maior obligatio adest si ipse coniux dimittens in peccatum adulterii labatur, etiamsi divortium factum fuerit sententia iudiciali, a fortiori si privata auctoritate.

Quoad filios iam natos, unanimiter statuitur filios educandos apud partem innocentem. Si divortium fit culpa patris, eius expensis educanda est prolis; at si mater in culpa est, videtur aequum ut quod statutum est pro uno accipiatur et statutum pro altero. Ceterum hodie in his consulendae leges singulorum locorum. Monendum tamen quod quando alter coniux est infidelis vel haereticus, proles semper educanda est apud fidelem (can. 1132).

(1) Uxor a viro malitiose deserta, potest ad normam can. 93 § 2 obtinere proprium ac distinctum domicilium si a iudice *ecclesiastico* obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum (Cfr. *A. A. S.* XIV, 526). Absque hac sententia iudiciali uxor non potest virum convenire coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii, sed convenire debet coram Ordinario domicilii vel quasi-domicilii viri (Ib., 529). Si proprium ac distinctum domicilium uxor habeat, potest convenire virum coram alterutro Ordinario (Ibid., 530).

Ubi viget lex civilis divortii etiam a vinculo matrimonii, videtur licitum divortium petere, sententiam divortii proferre, vel causam defendere, si in societate sit communis persuasio omnia ista fieri solummodo propter effectus civiles, et nullo modo praesumi aliquid contra matrimonii sacramentum agere, proportionata existente causa, modo excludatur intentio dissolvendi vinculum matrimoniale et declaretur ipsa ad scandalum vitandum.

**326.** — 7. **Dispensationes matrimoniales.**

Ab omnibus impedimentis matrimonii quae non sint de iure naturali vel positivo divino absoluto, S. Sedes dispensat, et in praxi Ordinarius loci. Quando autem matrimonium differri nequeat absque gravis mali periculo, parochus vel sacerdos delegatus (pro foro interno Confessarius) dispensare potest, sed tantum pro casibus occultis (c. 1045). Dispensatio non est valida si petita fuerit cum *subreptione* vel *obreptione*. Tamen, circa impedimenta minora (consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis, honestas in secundo gradu, cognatio spiritualis, crimen in adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam tantum civilis) dispensatio concessa «nullo sive obreptionis, sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in praecibus exposita falsa fuerit» (can. 1054).

Circa impedimenta publica vel quae si innotescant scandalum non pariant, ad Congregationem de disciplina Sacramentorum recurrendum erit; circa occulta autem ad S. Poenitentiariam quae in *foro conscientiae* dispensat. Hinc matrimonium celebratum omissis declarationibus et secreto ad normam canonum 1104 et seqq. dicitur matrimonium *conscientiae*.

**327.** — 8. **Convalidatio et sanatio.**

Matrimonium invalidum ob defectum consensus vel ob aliquod impedimentum, vel ob defectum formae revalidari potest per consensum partis quae non praestitit; si vero antea dispensatio necessaria sit, consensus, ipsa obtenta, secrete dari debet; si ab altero tantum coniuge defectus notus erat, hic tantum consensum emittere debet et quidem secrete, si tamen consensus alterius perseverat (cc. 1135-1136).

Ad revalidandum matrimonium invalidum ob defectum formae, iterum contrahendum est iuxta legitimam formam coram parocho et testibus, et publice si nullitas est publica (can. 1137). Si altera pars renuit se sistere coram parocho, aut per procuratorem agat, *sanatio in radice* petatur; si vero utraque pars renuit, possunt coniuges vi can. 1098, n. 1, coram solis duobus testibus contrahere, imo dispensari possunt in casu a forma canonica per S. Sedem, vel etiam per Ordinarium.

Quantum ad *sanationem in radice*, haec quoad forum internum a S. Poenitentiaria, pro foro externo a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum petitur; et conceditur etiam insciis iis pro quibus petitur (modo tamen mutuum consensum habuerint in eorum praesumpto contractu matrimoniali), quia Ecclesia tollere potest effectum legis vel obstaculum quod obest efficaciae consensus, etiam independenter ab eorum cognitione vel postulatione circa hoc (can. 1138, § 3). Attamen matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti (c. 1139). Si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus (can. 1140).

## Articulus IV.

## Coniuges.

**328.** — 1. **Quid citra peccatum grave.**

Si Confessor, coniugum conscientiam nec laxam nec piam dirigat, haec teneat quae ex Ciolli compendiose habemus: Non est mortale per se... tactus et aspectus turpes inter coniuges propter solam voluptatem (non excepto osculo in verendis quia est simpliciter tactus) sine ordine ad copulam modo absit periculum pollutionis, et etiamsi copula ipsis esset vetita ob morbum vel impotentiam quae supervenit, quia cum copula sit ipsis licita, hi actus non possunt esse graviter illiciti; nec tactus pudici cum periculo pollutionis quando adest gravis causa, puta, ad fovendum mutuum amorem, vel suspiciones amovendas (S. A. 934); nec si coniuges, incoepta copula, cohibeant seminationem mutuo consensu modo absit periculum pollutionis, quod tamen ordinarie adest, quia illa penetratio reputatur tantum tactus impudicus (S. A. 918, Ball. ad G. II, 919 cum comm.); nec si interrumpant actum coniugalem, etiamsi ex naturae concitatione sequatur pollutio, modo sit iusta causa interrumpendi, puta, vitandi scandalum ob aliquem advenientem vel periculum morbi; nec si foemina se retrahat a seminando postquam vir iam seminaverit, vel si vir non expectet seminationem mulieris (S. A. 918). Nec si foemina e converso se excitet ad seminandum quando vir se retraxit post propriam seminationem; nec si coëant tempore menstrui tum extraordinarii tum ordinarii, vel quando uxor morbo laborat ex quo tum coniugi sano tum infirmo grave periculum

vitae non immineat; nec si propter senectutem vel aliam dispositionem coniuges nonnisi imperfectissime actum perficiant (S. A. 954, d. 2, Ber. *Prax.* 9, IX).

Non possunt certo damnari de mortali, saltem quia est dubium, actus turpes quos coniux habet cum semetipso, altero absente et secluso pollutionis periculo.

**329.** — 2. **Onanismus viri.**

Circa onanismum, mulier dummodo peccato viri omnino dissentiat, opportunas admonitiones ei faciat de hoc scelere non patrando, iustam et gravem causam habeat hoc permittendi, non peccat graviter, quia, his positis, cooperatio est tantum materialis, nec caritas, qua peccatum viri impedire tenetur, obligat abstinere cum tanto incommodo nisi forsan semel vel bis (S. Poenit. 13 nov. 1816; 8 iun. 1842; 1 febr. 1853; S. A. 944-47); unde potest non solum reddere sed et petere. Non peccat vero si consensum internum voluptati praebeat, nec si delectetur non de onanismo viri in se, sed de effectu sequuto, puta, de immunitate ab incommodis gestationis vel partus; nec si post copulam a viro onanista abruptam et semen extra vas effusum, tactibus se excitet ad explendam libidinem, si continere se non possit. Confessor, quando adest *fundata* suspicio quod poenitens huic crimini sit addictus et tamen de illo silet, tenetur prudenter ac discrete interrogare nec non monere de huius peccati gravitate, eique absolutionem tunc solum impertiri cum sufficienter constet, eumdem dolere de praeterito et propositum habere non amplius onanistice agendi, ut iterum declar. S. Poenit. 10 mart. 1886 (v. Bucceroni, *Enchiridion*, n. 927).

**330.** — 3. **In quo «inquietandi non sunt».**

Certum est usum matrimonii esse licitum quando mulier certa sterilitate laborat vel ob aetatem inabilis evasit, vel consummatio matrimonii dilata est usque ad aetatem, qua nulla spes concipiendi affulget; licitum quoque iis in adiunctis quibus fecundatio difficilior evadit, licet semper possibilis.

Etsi variando situm vel eligendo dies non ita certa sit proles, hoc non reddit congressum illicitum, neque ex parte actus, neque ex parte intentionis seu desiderii prolem non suspiciendi tum quia finis praecepti non cadit sub praecepto, tum quia cum desiderium non multiplicandi prolem non sit ex se malum accedente iusta causa, puta, impossibilitate alendi numerosiorem prolem, fit licitum (Sanch. *matr.* IX, d. 8, n. 10, d. 16, n. 6 ubi haec omnia optime firmantur). Exploratum est mulieres difficulter concipere ante menstruationem, quinque dies, vel plus quam quindecim diebus postea, si menstruatio sit regularis.

Circa hos agendi modos S. Poenit. die 16 Iun. 1880 respondit: Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis coniugibus caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine adducere frustra tentaverit (Marc, 2118, q. III). Ex quibus, sequitur, ait Ciolli, pariter licitum esse viro, si penetret quidem aliquantulum in vas uxoris, sed totum semen effundat in introitu vaginae quin in uteri interiora eiaculet. Peccaret tamen affective si hoc efficiendo intenderet generationem impedire; haec non impeditur per se hoc efficiendo quia semen ad interiora absorbi potest per virtutem capillarem, ut aiunt.

## Articulus V.

## Genitores.

**331.** — 1. **Obligationes.**

Confessarius moneat frequenter parentes circa obligationes erga filios ut ipsos timorem Dei doceant potius operibus quam verbis, observantes fideliter ipsi legem Dei et Ecclesiae necnon officia proprii status; hortetur ut valde invigilent ne pueros pravos sequantur eorumque conversationem et exemplum fugiant; severe sese gerant in hoc neque sinant eos libere et facile, praesertim puellas, cum quibuscumque loqui; libros legere pravos, obscenos aut triviales, imagines haud honestas retinere aut videre; non sinant, atque eos arceant ab illa theoria insana quae dicitur sexualis, qua nempe venenum lente bibendum eis porrigitur (1).

(1) Circa educationem sexualem, quam vocant plerique incaute, haec haud praetermittenda.

*Noi siamo profondamente persuasi che il voler fare la detta rivelazione per prevenire pericoli solo possibili, o più o meno probabili, anche prima che si verifichino circostanze speciali nelle quali il pericolo del peccato — senza tale rivelazione — è moralmente certo, è un metodo d'educazione che, lungi dall'ottenere lo scopo di preservare i giovani dal vizio, spalanca anzi loro la porta alla corruzione.*

*E la ragione è appunto questa: che il conoscere i misteri della vita è, regolarmente parlando, il principio della tentazione; giacchè giusta il proverbio:* nil volitum quin praecognitum, *la concupiscenza non s'eccita se ignora ciò che è oggetto di essa. Chi poi rifletta con quanto furore soglia scatenarsi nei giovani la concupiscenza di cui parliamo, e come d'altra parte, gli stessi giovani generalmente parlando, abbiano ancora assai debole il giudizio e la volontà per resistere a questa terribile passione, potrà facilmente intendere a quali vere tentazioni si possa esporre un giovane al quale si rivelino i misteri della vita, ancorchè ciò si faccia con ogni cautela* (*Civiltà Cattolica*, n. 1594, 19 febbr. 1916, pag. 164).

Praeclarus P. Bucceroni in suo *Compendium Thelogiae Moralis*,

**332.** — 2. **Quaedam animadvertenda.**

Pietas in Deum pietati et amori in coniugem et filios non obstat (1). Non faciat parentibus Con-

*Appendix* (Romae, 1913, pag. 355 et seq. edit. VI), theoriam illam vocat « non necessariam, non utilem, sed summopere nocivam et immoralem », imo errorem theologicum esse declarat, nam, ut ipse demonstrat, « cognitione venerearum rerum venerea peccata et vitia impediri, quasi ea cognitio novam et validam afferat voluntati virtutem ad vehementes carnis superandas tentationes, alienum est omnino a veritate. Neque vero sine theologico errore, id asseri potest ». Sacra Congr. Ind. nomine Pii X, datis litteris Em. Card. Casanas, statuit ut « libri quibus traditur quid debeat scire puella, e manibus praesertim puerorum penitus essent arcendi ». « Si igitur ait Bucceroni, non convenit educare in Hispania pueros et puellas, secundum regulas in illis traditas, poteritne convenire in Italia, in Gallia, aliisque nationibus? Nonne ubique locorum pueri sunt? Nonne ubique locorum prohibetur scandalizare unum de pusillis istis? (Matt. 18, 6) ». Ceterum, haec legenda conclusive ex Littera Encyclica Pii XI, regn. Pont., (31 Dic. 1929), quae de christiana iuvenum educatione agit: « *Massimamente pericoloso è poi quel naturalismo, che, ai nostri tempi, invade il campo dell'educazione in argomento delicatissimo qual è quello dell'onestà dei costumi. Assai diffuso è l'errore di coloro che, con pericolosa pretenzione e con brutta parola, promuovono una così detta educazione sessuale, falsamente stimando di poter premunire i giovani contro i pericoli del senso, con mezzi puramente naturali, quali una temeraria iniziazione ed istruzione preventiva per tutti indistintamente, e anche pubblicamente, e, peggio ancora, con esporli per tempo alle occasioni, per assuefarli, come essi dicono, e quasi indurirne l'animo contro quei pericoli. Costoro errano gravemente non volendo riconoscere la nativa fragilità della natura umana e la legge, di cui parla l'Apostolo, ripugnante alla legge della mente* (Rom. VII, 23) *e misconoscendo anche l'esperienza stessa dei fatti, onde consta che, segnatamente nei giovani, le colpe contro i buoni costumi, non sono tanto effetto dell'ignoranza intellettuale quanto principalmente dell'inferma volontà, esposta alle occasioni e non sostenuta dai mezzi della Grazia. In questo delicatissimo argomento, se attese tutte le circostanze, qualche istruzione individuale si rende necessaria, a tempo opportuno, da parte di chi ne ha da Dio la missione educativa e la grazia di stato, sono da osservare tutte le cautele, non tissime all'educazione cristiana tradizionale* ».

(1) *Certes la grande sainte Paule, qui était si sainte, aimait si fort sont mari et ses enfants, qu'elle pleurait toujours tant à leur trépa*

fessarius conscientiam de peccato gravi si filios a statu religioso vel ecclesiastico amplectendo retrahant, quando constet eos id facere ob affectionem non rectam potius quam ob malam voluntatem, neque constanter et pro semper. Non expedit absque eorum consensu filios, qui aetatem legalem nondum attigerunt, hortari vel permittere ut religionem ingrediantur, nam ius illis est ex lege civili (Cod. It. a 221) manu militari domum eos reducere.

Cum certum non sit quod lex civilis obligare possit ad aequalitatem sequendam circa haereditatem filiis distribuendam, non sunt inquietandi parentes aut filii si partes aequales non fecerint, si praesumitur eos ob graves causas inaequalitatem servasse, neque spes sit ut quod factum sit corrigatur, nisi tamen sententia iudicialis ad aequalitatem faciendam postea superveniat.

## Articulus VI.

## Clerici.

**333.** — Quoad clericorum absolutionem Confessarius si alicuius clerici in peccato habituali confessionem audiat, meminerit quod etsi laicus in peccato habituatus absolvi possit semper ac dispositus sit ad Sacramentum Poenitentiae, clericus tamen oportet ut dispositus sit etiam ad rite suscipiendum Sacramentum Ordinis; unde, ex S. Alphonso, si non est dispositus ad hoc nec ad illud recipiendum paratus

*qu'elle en pensait mourir de douleur, tant son inclination d'aimer était si grande sans qu'elle y peût remédier. Elle ne laissait pas pour cela d'être une grande sainte et bien resignée à la volonté de Dieu* (S. Fr. de Sales, *Entretiens*, entr. XVII).

est. Non enim sufficit ut gratiam Dei per Sacramentum consequatur, sed necesse est ut habitum peccandi deserat ne indigne sacram ordinationem recipiat. Si, igitur, vere habituatus sit in peccato, absolutionem recipere nequit nisi sacrae Ordinationi renuntiet, quam recipere non potest nisi post longam probationem. Sententia enim communis est non sufficere bonitatem communem, i. e. statum gratiae hic et nunc, sed requiri bonitatem positivam et specialem qua liberatus sit a pravis habitibus (Cf. S. Alph., *Praxis,* n. 76).

Excipitur tamen casus extraordinariae poenitentiae et compunctionis quae cor illico renovet ac a pravitate liberet, nam, ut ait S. Thomas, «quandoque tanta commotione convertit Deus cor hominis ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem».

S. Leonardus asserit ad sacros Ordines non sufficere propositum firmum non peccandi de coetero, sed requiri clericum ordines recepturum sincere et secundum conscientiam spem habere bene fundatam quod Dei gratia adiutus emendabitur a pravis habitibus; etsi autem haec opinio aut spes non sit necessaria ad sacramentum Poenitentiae, necessaria tamen est ad Ordines sacros recipiendos.

## Articulus VII.

## Personae religiosae.

**334.** — 1. **Obligatio Confessarii.**

Confessarius eorum qui vitam religiosam ducunt iuxta regulam approbatam, maiore obligatione tenetur scire et sequi ea omnia quae vitam spiritualem, nempe perfectionem christianam respiciunt.

Necesse est ut sit « bonis moribus imbutus, maturae aetatis, probatae vitae et sufficienti scientia praeditus ».

Quae autem dicta sunt cap. IV sequenda etiam ad religiosas personas dirigendas.

Notandum cum S. Theresia expedire magis directori deficere potius bonitatem quam debitam scientiam; nam illi defectui supplere possunt per se ipsas praesertim religiosae et moniales, sed scientiae haud facile suppletur.

**335.** — 2. **Obligationes religiosi.**

Religiosus peccat graviter contra obligationem tendendi ad perfectionem si saepe vota infringit. Superiores tenentur promovere regularem observantiam et executionem decretorum Ap. Sedis quae religiosos respiciunt (can. 509, § 1). Peccarent ergo si, ob eorum dissimulationem, negligeretur passim observantia eorum quae multum ad disciplinam conferunt (1).

(1) Notandum quod moniales votorum solemnium tenentur *sub gravi* legem ecclesiasticam circa clausuram servare. Ex *instructione* autem S. Congr. de Religiosis quaedam excerpsimus:

Sancta Sedes, pro monasteriis id petentibus, antistiti facultatem concedit designandi religiosas, quotquot videantur necessariae, quae, tempore quo nemo est in ecclesia et haec omnino clausa manet, in eam descendere possint, ut ea omnia agant quae ad cultum ecclesiae eiusque munditiem pertinent.

Ad excipiendas confessiones aegrotantium ingredi clausuram potest, quoties requiratur, non solum confessarius ordinarius, sed etiam extraordinarius vel adiunctus aut confessarius quilibet a graviter aegrotante accersitus, de quo in can. 523 fit sermo.

Debitae cautelae adhibendae pro Communione administranda in decreto S. Congr. de Religiosis diei 1 septembris 1912 exhibentur: « Oportet ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem, aliquas consecratas Particulas continentem deferre, Sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam

Cum regula religiosa per se non obliget sub peccato nec veniali, nisi aliud expresse dicatur, qui observantia eorum quae sub gravi obligent contentus, cetera nihil curare statueret, contra obligationem tendendi ad perfectionem non peccaret *graviter*, sed gravi periculo (remoto) se committeret.

A religioso sedulo vitanda sunt non solum peccata contra votum sed etiam quae contra virtutem voti sunt. Religiosus superiori vere praecipienti inobediens duplex peccatum facit: unum contra praeceptum naturale, alterum contra votum. In dubio an res praecepta sit licita necne, obtemperandum est, sive dubium sit positivum sive negativum.

Praeceptum obedientiae obligat sub gravi si declaratum sit ob motivum grave, clare aut formaliter contentum in regula, vel si respiciat voti materiam gravem (1).

eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a *Rituali Romano* pro Communione infirmorum statutis ».

Pro Confessione excipienda sequentes cautelae praescribuntur: duae moniales confessarium ad cellam infirmae comitentur ibique ante ostium cellae apertum expectent, dum Confessionem audit, ut redeuntem ad monasterii ianuam iterum comitari possint.

(1) Notandae circa religiosos novae declarationes: 1. Facultas concedendi sodalibus religiosis, utriusque sexus, dispensationem super leges ieiunii eucharistici ad sacram Synaxim recipiendam, pertinet ad S. Congr. de Religiosis. Quae respiciunt obligationes Ordinibus maioribus adnexas vel validitatem sacrae Ordinationis, quoad sodales religiosos, decernenda pertinent ad S. Congreg. de Sacramentis, ad normam can. 1993, C. I. C. (Cfr. *A. A. S.* XV, 39).

2. Religiosi novitii in articulo mortis admitti possunt ad professionem religiosam. Facultas recipiendi professionem, praeter Superiorem monasterii aut domus novitiatus vel probandatus, intelligitur competere etiam ad respectivos Superiores maiores iuxta Constitutiones, et ad praedictorum omnium delegatos (Cfr. *A. A. S.* XV, 156).

3. Iuxta can. 657, § 2, Religioso professo votorum temporariorum

Inter votum et virtutem *castitatis* hoc est discrimen quod in his quae virtute prohibentur, violatio voti duplex peccatum includit; in aliis, quae virtute non prohibentur, unum tantum. Sic, qui voto simplici ligatus, matrimonium contraheret, hoc utendo unicum peccatum, nempe contra votum, committeret. Insuper, praeter obligationes quas imponit, mera quoque consilia suadet.

Non laeditur paupertas per actus mere internos, nisi pro obiecto habeant actus externos contra votum; neque per actus externos circa spiritualia, vel temporalia pretio non aestimabilia, ut fama, reliquiae, etc.; neque per merum rei depositum, saltem probabiliter, sc. si rem deposito accipias ita ut deponens servet dominium et usum; sed plerumque id regulis prohibetur; neque per acceptionem rei distribuendae in pauperes etiam determinatos, nisi religiosus eos eligens suo nomine res distribuat. Distributio haec, si ob periculum paupertatis vetetur, saltem obedientiam laedit (Cf. Lehmkuhl, I, 684); neque per actus proprietatis circa *manuscripta*, quae sibi quisque parat ad usum mere personalem, v. g. notas spirituales vel scientificas. Manuscripta vero alicuius valoris i. e. quae religiosus «durantibus votis» studiose exaravit, ac proinde rationabiliter speretur typis aliquando mandatum iri «donare aut quocumque titulo alienare»

qui a Superioribus dimissionis decretum recipit, est facultas recurrendi ad Apostolicam Sedem, et, pendente recursu, dimissio nullum iuridicum habet effectum. — Sacra Congr. de Religiosis, die 20 iulii 1923, interrogata circa spatium temporis ad recursum interponendum respondit: « Tempus utile ad interponendum recursum quoad effectum suspensivum, de quo in can. 647, § 2, esse decem dierum ab intimatione decreti religioso dimisso facta, iuxta normam traditam in similibus casibus, ut can. 1465, § 1, et 2155, § 1, 2 ». Addit quod tempus decem dierum non decurrit si dimissus recurrendi ius ignoret aut agere non valeat iuxta dispositiones can. 35.

prohibetur (S. C. de Relig., 13 iul. 1913, A. A. S. 5, 366). Eadem autem manuscripta destruere non constat esse contra votum, neque contra iustitiam, nisi religiosus scribendis libris ex officio sit addictus, vel monasterium ad hanc scriptionem expensas fecerit.

*Laeditur vero paupertas:* aliquid sibi accipiendo, ut inscio Superiore retineatur; comedendo vel bibendo, non solum ex rebus monasterii, sed etiam apud amicum, sine licentia (attamen probabilis videtur sententia negantis haberi tunc peccatum contra votum: datur enim tantum usus passivus in casu, ut si religiosus invitetur ad eundum simul in curru, quod etiam est pretio aestimabile); dando vel alienando aliquid; commodato vel mutuo dando vel accipiendo; sed tunc maior requiritur quantitas ad peccatum grave; re utendo ultra tempus concessum, eamve occultando ne a Superiore sumatur; rem ad certum usum datam ad alium adhibendo; in administratione rerum contra voluntatem Superioris sive largius sive parcius procedendo; negligendo custodire res concreditas; expendendo sumptus in res illicitas aut superfluas.

In peccatis quae sunt unice contra votum, ad peccatum grave ea quantitas videtur requiri quae in materia furti vocatur absolute gravis.

## Articulus VIII.

## Aegroti.

**336.** — 1. **Monita ad sacerdotes.**

Nullum charitatis opus, ait S. Alphonsus, adeo acceptum Deo extat, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitae periculo

positos ad sancte moriendum adiuvare: nam tempore mortis, a quo uniuscuiusque aeterna vita pendet, inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quam gratam habeat assistentiam moribundis praestitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit angelos religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes. Nec id parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam sacerdotum. De parochis tamen Rituale Romanum praesertim loquens, ait praecipuam sui muneris partem esse aegrotantium curam habere; quapropter vult, ut ipsi statim ac aliquem ex suis parochianis aegrotare intelligunt, non expectent ut infirmus parochum arcessat, sed ipse parochus ultro eum invisere curet; idque non semel tantum, sed frequenter, si infirmum etiam spiritu aegrotare adverterit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem praestandum provideat per alium sacerdotem, modo hic sit pius et prudens; quidam enim sacerdotes hoc munus exercendo, magis quam utilitati, damno esse solent tam infirmis quam sibi et infirmorum domesticis, quorum profectum sacerdos assistens etiam respicere debet. Monet, insuper Rituale, quod si sacerdos forte deesset, id parochus praestandum curabit saltem per aliquem laicum pium et christiana charitate praeditum, qui sanctis verbis infirmo praesto sit (Cf. S. Alph., *H. A.*, App. II).

**337.** — 2. **Quid expediat.**

Sacerdos clam procuret a medico scire an infirmitas sit mortalis. Detestabilis mos medicorum est aegrotos decipere ne eos et propinquos contristent, neque alium medicum arcessant, perinde ac si infirmis de confessione loqui idem esset ac mortem nuntiare.

Postquam morbum periculosum esse deprehenderit, imprimis non alloquatur infirmum, nisi vere pium noverit, de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat, benigne interroget. Hortetur inde ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti poenas coniungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat; et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moneat ut omnem suam spem in Deo ponat, qui potens est ipsum in pristinam, si velit, reducere sanitatem. At eodem tempore sensim efficiat ut aegrotus suae infirmitatis periculum agnoscat. Praesertim advertat ne ille omnino fidem praebeat medicis et propinquis qui forte eum morbi gravitatem celabunt, ne ipsum moerore afficiant. Dicat sapientis esse praevidere futura; hortetur ut, dum mens valet, confessionem peragat quae corporis saluti, si animae expedierit, etiam proderit. Refert Belluacensis de quodam moribundo, quod statim ac ipse sua confessus fuit peccata, e strato sanus surrexit. Pariter Cantipratensis enarrat, ait S. Alphonsus, quod quidam eques, cui multa non profuerunt medicamenta, confessionis virtute statim convaluit.

**338.** — 3. **Dilatio confessionis.**

Si aegrotus dilationem ad confessionem quaerit et periculum mortis, lethargi vel delirii non immineat, poterit ei indulgere. Curet tamen ut ille determinet tempus, puta vesperarum, vel diem crastinum, confessioni explendae. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum D. Augustino moneat quod Deus non promisit peccatores expectare, sed tantum parcere eis si eos poeniteat: « Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit ».

Quod si adhuc infirmus nec etiam per haec monita ad confessionem adduci possit, sacerdos numquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciae argumentis curet ipsum expergiscere et provideat ut tam privatae quam publicae pro huius miseri salute preces ad Deum effundantur.

**339.** — 4. **Casus particulares.**

Si aegrotus vult pro sua anima aliquid testari, ipsum moneat ne onus illud haeredibus imponat: quia experientia docet, legata pia pene nulla satisfieri; sed potius hortetur ut aliquod corpus morale relinquat aut pecuniae summam, ad Missae celebrationem aut aliam piam operam persolvendam. Caveat sacerdos ne consulat infirmis quidquid aliis praeiudicio esse potest, cum Christi ministros non deceat aliorum odium sibi commovere (1).

Si moribundus sit vir bonae famae et teneatur tamen ad restitutionem, quin tamen oblivisci aut negligere possit heredes necessarios, si adsint, quibus necessarium est relinquere legitimam partem sub poena nullitatis circa testamentum, res ita disponat, quoad fieri possit, ut quod superest operibus piis assignetur quibus prudenter satisfiat iis qui damnum experti sint si innotescant; si vero non sint noti vel iis resarcire nequeat damna, le-

(1) Ordinarii locorum suadere debent patronis (de iure patronatus) ut loco iuris patronatus quo fruuntur. aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent; et hinc patroni, praesertim ecclesiastici, optime se gerunt si hisce suasionibus obsequantur (Cfr. *A. A. S.* XIV, 663). Si beneficia iuris patronatus laicalis sint obnoxia concursui iure particulari ex. gr. fundationis vel legitimae consuetudinis, conferri semper debent per concursum ita ut patronus etiam laicus non possit praesentare nisi clericum legitime ex concursu probatum (Ibid., 663).

gata relinquat pro pauperibus aut ad Missas celebrandas.

Publicus usurarius, etsi bona fide, absolvi non potest absque restitutione si scandalum publicum exinde oriatur.

Moribundus vivens cum complice, non tenetur eam dimittere, etsi factum notorium sit, si nulla alia persona adesset ad eum assistendum; sed tenetur ei longe a se, quoad fieri possit, locum adsignare nec frequenter videre. Si concubinatus est occultus, separatio exigenda est si non adsit periculum mortis et absque scandalo fieri possit.

Publice censuratus et in articulo mortis constitutus tenetur scandalum reparare coram Confessario et duobus testibus, et declaratio eius sufficienter publici iuris fiat antequam Viaticum recipiat atque deinde ulterius publicetur post eius mortem ab Episcopo (S. Poenit. 5 iul. 1856).

Simili modo procedendum cum eo qui sectae cuidam nomen dederit. Hereticus impoenitens moribundus absolvi nequit si sensibus est destitutus et signa poenitentiae non dederit. Si quis in articulo mortis constitutus absolutionem desiderat etiamsi manifestaverit et manifestet se parum credere veritates fidei, absolvi potest dummodo paratus sit veritatem amplecti statim ac noverit, et abiurationem faciat. Absolvi non debet nec sub conditione catholicus sensibus destitutus qui ob malam voluntatem in vita et in morte Sacramenta recusaverit; in dubio autem an respuerit absolvi potest sub conditione; item si sacerdotem non respuerit sed sacramenta tantum, i. e. consilium ut confessionem faceret.

«Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specia-

lissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi» (Cod. I. Can. can. 2252) - (1).

## Articulus IX.

## Officia quaedam particularia ecclesiastica.

**340.** — 1. Ordinarius loci potest admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio paroeciali in favorem parochi renuntiantis (*S. Comm. Pontif. ad cod. can. auth. interpr.*, 20 *maii* 1923. Cf. A. A. S. XVI, 116).

2. Per can. 824, § 2 Codicis abrogata censeri debent ea quae S. C. Concilii statuerat sub die 15 octobris 1915 (in responsione ad III), de retributione non recipienda ne ratione quidem extrinseci incommodi in secunda et tertia Missa in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum (Cf. A. A. S. XVI, 116).

3. In casu translationis cadaveris ex uno coemeterio, v. g. castrensi, in aliud, videndum est, utrum, occasione primae tumulationis, exequiae, i. e. ritus sepulturae ecclesiasticae, persolutae fuerint, an

(1) Ex responsione Pontificiae Commissionis, 12 nov. 1922, Episcopus, de quo in cit. canone, mandata dare non potest, nisi facultatem habeat a iure vel ex Sedis Apostolicae concessione (Cfr. *A. A. S.* XIV, 663).

non. Si hoc *alterum*, iusta funebria sunt peragenda, et quidem ad normam Codicis (can. 1216 ss.); si *primum*, necesse non est, stricte loquendo seu ex iuris praescripto, ut functiones funebres (translatio cadaveris ad ecclesiam, Missa *de Requie*, depositio cum ritu sacro) peragantur; opportune tamen fieri poterunt. Cum in hoc casu non applicetur ius commune sive Codicis (can. 1215 ss.), quod nonnisi ordinem exequiarum proprie dictum praescribit, ius illas functiones peragendi non pertinet *per se* (i. e. salvo iure *peculiari*) ad parochum proprium, neque ad parochum ecclesiae cathedralis, neque, hac deficiente, ad rectorem paroeciae in qua situm est coemeterium. Nec praescriptum can. 1230, § 7 applicari debet si agatur de translatione cadaveris *nondum humati*, quod e paroecia, ubi mors acciderit, in aliam mittitur. In hoc casu, proprie loquendo, ius sacros ritus peragendi nemini competit, deficiente lege unde ipsum derivetur; hinc est quod *officium* ex parte familiae sive propinquorum aut aliorum non existit, procurandi nempe ut ii peragantur (Cf. A. A. S. XVI, 190).

4. Vicario Generali, qui non sit canonicus, etiam in choro et in actibus capitularibus, locus competit cum praecedentia super omnibus canonicis et dignitatibus, ad normam can. 370, § 1, iuxta responsum S. Congr. Concilii 15 dec. 1923 (Cf. A. A. S. XVI, 372).

5. Parochi vel vicarii curati religiosi examen, de quo in can. 130, § 1, subire non tenentur coram Ordinario eiusve delegato, si coram Superiore religioso eiusve delegatis examen subierint, de quo in can. 590. In casu negligentiae Superiorum religiosorum circa examen, de quo in cit. can. 590, recurrendum est ad S. C. de Religiosis (Cf. A. A. S. XIV, 526).

6. Ad normam can. 189, § 2, Ordinarius renunationem valide acceptare potest, elapso iam integro nense a renuntiatione facta, nisi resignatarius ante acceptationem renuntiationis, renuntiationem Ordinario exhibitam revocaverit, et revocationem Ordinario significaverit (Ib., XIV, 527).

7. Can. 460, § 2 applicatur non solum ad paroecias erigendas post promulgationem Codicis, sed etiam ad paroecias iam erectas, et etiam ad paroecias in quibus pluralitas parochorum inducta est non consuetudine aut privilegio, sed legitimo statuto. Pro applicatione vero canonis ad casus particulares recurrendum est ad S. C. Concilii (Ibid. XIV, 527).

8. Ad normam can. 473, § 1, collati cum can. 466, § 2, vicarius oeconomus, qui plures paroecias tempore vacationis regit, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare (Ibid. XIV, 528).

9. Nomina parentum illegitimi nati ita inserenda sunt, ut omnis infamiae vitetur occasio; in casibus vero particularibus recurrendum est ad S. C. Concilii (Ibid. XIV, 528).

10. Ecclesiae, in quibus ad normam can. 1274, § 1, sine Ordinarii licentia fieri potest Expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et infra octavam inter Missarum sollemnia et ad Vesperas, sunt illae tantum quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, firmo praescripto can. 1171 (Ib. 529).

11. Ad normam can. 1517 et can. 1551, Ordinarius ob imminutos reditus, onera Missarum reducere valet, si id in tabulis fundationis expresse caveatur (Ibid.).

12. Non potest pars ratione contractus conveniri ad normam can. 1565, § 1 coram Ordinario loci, in quo contractus initus est vel adimpleri debet,

etiamsi e loco discesserit, salvo praescripto § citati canonis.

13. Ad normam can. 1874, § 5, et can. 189 n. 3, nullitatis vitii laborat sententia lata a trib nali collegiali, et subscripta tantum a praesi tribunalis et notario (Ibid. 529).

14. Ad normam can. 2233, § 2, ob violatione praecepti peculiaris, quod communitum erat cer sura ferendae sententiae, statim post delictum con probatum censura infligi potest quin nova monit praemittatur (Ibid. 530).

15. Pontificia Commissio Biblica declaravit licer in editionibus versionis Vulgatae tam Novi quar Veteris Testamenti lectiones varias aliave huius modi studiosorum adiumenta ad calcem non a marginem textus adiicere (Cf. A. A. S. XIV, 27

16. Ad normam can. 180, § 1, concurrente po stulatione cum electione, si in primo, altero et tert scrutinio suffragia dividantur inter postulatum e eligibilem, atque nec postulatus duas tertias parte suffragiorum obtinuerit, nec eligibilis maioritate absolutam, sed relativam tantum, hic valide ele ctus est. Si plures sint eligibiles, inter eos valid eligitur is qui obtinuit maioritatem relativam, ex cluso hoc quoque in casu postulato (Cf. A. A. S XIV, 406).

17. Ad normam can. 396, § 1 Sedi Apostolica reservatur collatio dignitatum, quae nullam prae bendam, nulla emolumenta, aut valde exigua ac nexa habent (Ibid.).

18. Ad effectum de quo in cann. 1044 et 104 § 3, censendum est Ordinarium adiri non posse, nonnisi per telegraphum vel telephonium recur possit (Ibid. XIV, 663).

19. Canon 774, § 1 ita intelligendum est, ecclesia quae ius fontis habet cumulativum cu

aliis totius civitatis ecclesiis paroecialibus, illud obtineat etiam prae ecclesiis paroecialibus noviter in civitate erectis cum fonte baptismali. At ius fontis cumulativum in posterum obtineri nequit ex consuetudine, quae corruptela dicenda est (Cf. A. A. S. XIV, 662). Ecclesia vero quae ante Codicis promulgationem habebat ius fontis *exclusivum* prae aliis ecclesiis paroecialibus, post Codicis promulgationem erectoque in iisdem ecclesiis fonte ad praescriptum citati canonis, nonnisi ius cumulativum obtinet, salvo praescripto can. 778 (Ibid.).

20. «Iurisdictio Episcoporum non modo in iis exercetur quae ad religiosas et ecclesiasticas res pertinent, sed in ceteris etiam quaestionibus cuiusvis naturae, quae directe vel indirecte cum Ecclesiae sanctae emolumento animarumque salute coniunguntur. Itaque Episcopi triplici sua potestate utentes, *magisterii* scilicet, *ministerii* atque *regiminis*, tueri debent et auctoritative moderari quae sequuntur: tum *administrationes ecclesiasticas*, quamvis in iis regundis laudabili opera utantur sacerdotum vel laicorum, cum Episcopus renuntiatus sit in canonibus sacris tutor natus cuiuslibet pii operis vel fundationis: tum *catholicam iuventutis educationem*, quae quidem numquam a religiosa institutione seiungenda est; cum enim Servator Dominus de se loquens professus sit «unus est magister vester, Christus», Christus vero in persona Episcoporum vivat et doceat, iuxta illud «qui vos audit me audit», ipsorum est legitimas ferre normas quas magistri catholici perdiligenter sequantur in iis quae ad scholas catholicas et ad clericorum conformationem in Seminariis maioribus vel minoribus spectant: tum denique *necessitudines* seu *relationes fidelium cum acatholicis* in vita civili, iudicando si usus et consuetudo cum quibusdam

coetibus vel adhaesio quibusdam philantropicis consociationibus, quae neutrales seu areligiosas se esse dictitent, grave periculum praebeant, in aliquo casu vel regione, a recta fide deficiendi. Praeterea in eo qui praeest non solum persona hominis sed, quavis ratione posthabita, Deus ipse conspiciendus est qui nos alloquitur, admonet, moderatur, iuxta illum Scripturae locum: «tamquam Deo exhortante per nos» (II Cor., v, 20). Omnes profecto exoptant, etiam in religiosis rebus, se ab iis gubernari qui sint eiusdem nationis» (Bened. XV, A. A. S. XIV, 8).

21. «Si vi constitutionis civitatis, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi sint de iure senatores, et Sancta Sedes aliquo modo id probaverit, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi possunt sine speciali licentia Sanctae Sedis huiusmodi munus explere, dummodo per Vicarium generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant. In quolibet autem alio casu Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi sive residentiales, sive titulares indigent venia Sanctae Sedis» (A. A. S. XIV, 313).

Ordinarii locorum in concedenda licentia sacerdotibus, qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt, potius difficiles se praebere debent (Ibid.).

22. Ad decernendum circa ea quae respiciunt sacerdotes sive alumnos sive magistros in scholis laicalibus, competens est S. Congregatio Concilii; circa ea quae respiciunt associationes inter clerum earumque foederationem competens est S. Congr. Concilii. Haec tamen in iis quae respiciunt associationes vel earum foederationes inter clerum alicuius nationis universae, informationem petere a S. Congr. Consistoriali non omittit. Circa erectionem et suppressionem unius vel alterius dignitatis

in Capitulis constitutis vel circa reditus et bona ad mensas episcopales spectantia, competens est S. Congr. Consistorialis.

Concessio facultatis alienandi bona, quae spectant ad Seminaria dioecesana, pertinet ad S. Congreg. de Seminariis et Studiorum Universitatibus (Cf. A. A. S. XV, 39).

23. Abrogatae sunt leges particulares, revocata privilegia et reprobatae consuetudines, vi quarum canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis, in qua sedem habet ecclesia, conferri possint; salva lege fundationis, et firmo praescripto canonum 3 et 1435, § 3, ita tamen ut etiam in his casibus, si nullus inter indigenos reperiatur idoneus, seu dignus, canonicatus conferri possint ac debeant aliis idoneis et dignis, ad normam c. 404 (Cf. A. A. S. XV, 128).

24. Sacerdotes dispensati a ieiunio eucharistico, ante secundam Missam sumere possunt ablutionem in prima. S. Congr. S. Officii, 2 maii 1923 (Cf. A. A. S. XV, 585).

## Articulus X.

## Officia quaedam laica.

**341.** — 1. **Medici atque chirurgi.**

Medicus peccat ob voluntariam ignorantiam aut culpabilem negligentiam. Remedia adhibere potest minus efficacia quando efficaciora haberi nequeant aut quando ipse aegrotus nolit aut non possit iisdem uti. Non licet usus narcotici aut saporiferi usque eo ut systema nerveum pessumdetur sicut per usum morphii et similium.

Valde dubium est an liceant operationes capitales

(amputatio brachii, cruris et huiusmodi) ad removendas infirmitates non mortales.

In casu desperatae salutis, si non adest nisi remedium dubium quod prodesse et nullo modo nocere potest, illud adhiberi potest et debet; si prodesse, sed etiam mortem accelerare potest, illud adhibere licet, dummodo consentiat infirmus eiusve familia. Extra hunc casum desperatae salutis, non licet adhibere remedium quod prodesse et nocere potest.

Usus morphii ad sedandam cupiditatem, veniale non excedit si *moderate* adhibetur sc. sine sensuum privatione et sanitatis aut vitae notabili detrimento; ad *graviores dolores* sedandos, licitus pariter est, modo sit moderatus (12 ctg. in die) et *non arbitrio infirmi* permittatur; ad mortem placidam obeundam regulariter illicitus est. Licet tamen Confessario passive se habere si moraliter certa sit dispositio debita moribundi.

Usus cloroformii in partu ordinario generatim potest esse beneficus mulieri, dummodo vita prolis in periculum non adducatur.

Ex gravi incommodo excusatur medicus si infirmum non moneat de morte proxima, quoties sciat morali certitudine eum esse in statu gratiae et res suas composuisse, vel ita in sua impietate obcoecatum ut monitio sit non profutura, imo obfutura (1). Generatim usus monendi tantum cum morbus periculosus est tolerari potest.

(1) Medicus tamen qui rogatus ab aegroto vel propinquis eius an mors immineat negaret veritatem, graviter peccaret. An liceat medico manifestare morbum secretum quod sit periculosum disputatur, sed probabiliter ipse obligari non potest ad manifestationem. En quod ex *Osservatore Romano* (26 Maggio 1923) colligitur: *Sotto il titolo un po' peregrino di « Déontologie médical d'après le Droit naturel », un professore dell'Università Cattolica di Shangai ha pubblicato (presso l'editore Beillère di Parigi) un libro molto opportuno e nuovo di etica medica, che può essere considerato come un Manuale o*

Diuturna opera medici eminentis vel difficilis operatio chirurgica, excepto casu liberae conventionis, pretium iustum habeat quod peritissimi in

*una Guida per la formazione morale di tutti coloro che si consacrano alla professione dell'arte della medicina. Il ch. A. dopo aver tracciato minuziosamente il ritratto di un vero medico, e dimostrato le qualità intellettuali, morali e civili che debbono adornarlo, si propone e risolve i casi di coscienza più comuni e più delicati che un medico può incontrare nell'esercizio della sua professione.*

*Così, per esempio, egli si domanda se in certe circostanze sia lecito al medico di mentire, per non allarmare con la verità il malato e aggravare il suo stato. E risponde che il medico, pur potendo in certe circostanze e per giuste ragioni dissimulare la verità, non può mai affermare ciò che egli sa essere falso o negare ciò che egli sa essere vero.*

*Questo dovere di sincerità riveste nel medico speciale gravità, nel caso in cui un malato, presentendo la reale gravità del suo stato e volendo regolare gli affari della sua coscienza, chiedesse al medico di dirgli francamente se egli si trovi in pericolo di vita. Il medico che, richiesto in termini così formali, rispondesse e assicurasse il malato che egli non corre alcun pericolo di vita, mentirebbe gravemente e la sua menzogna non avrebbe alcuna scusa; molto più che al medico incombe l'obbligo grave, se non di giustizia, almeno di carità, di preavvisare egli stesso, in simile caso, i famigliari o il confessore del malato, affinchè questi possa provvedere a tempo ai suoi affari temporali e spirituali.*

*Molto giustamente poi l'A. insorge contro l'uso che si diffonde ogni giorno più, di anestetici, somministrati ai moribondi per abbreviar loro con la vita le sofferenze e sottrar loro nell'ora suprema, ogni coscienza intellettuale.*

*Affrettare la morte ad un individuo, significa ucciderlo nel senso più reale della parola. E anche quando il moribondo fosse in regola e con gli uomini e con Dio, non si deve privarlo della possibilità di acquistarsi nuovi meriti con l'accettazione cosciente dei suoi dolori e del supremo sacrificio della sua vita.*

*Il medico deve lasciare l'uomo morire da uomo e non da bruto; e per lenire le sofferenze del suo cliente non gli è permesso che l'uso di calmanti.*

*Più complessa e delicata è la questione sul segreto professionale del medico.*

*Il nostro A. si pone tra la sentenza di molti igienisti e sociologi moderni, i quali affermano che in certi casi (malattie contagiose) il medico è « obbligato » a parlare e la sentenza dei più autorevoli moralisti, che sono per il silenzio assoluto in ogni caso; e afferma che, in certi casi, il medico « può » parlare. A sostegno della sua opinione porta*

similibus casibus a personis paris condicionis petere solent.

**342.** — 2. **Personae curiales.**

Peccat graviter qui sententiam iuste ferens, legitimum tamen ordinem iudicii iuxta acta et probata non servat.

*Iudex* acceptare potest, ex legitima consuetudine, parva dona quae dicuntur *xenia* vel *esculenta* et *poculenta*.

Tenetur restituere quod accepit pro sententia iusta ferenda sed non quod sponte ab utraque parte litem gerente oblatum est ei, nec absque iudiciali sententia obligari potest ad restituendum quod accepit ad ferendam iniustam sententiam.

*Notarius* non tenetur restituere fisco ob actum venditionis in quo scripsit summam minorem ea quae realiter est; ob consuetudinem generalem ita agitur ab iis quoque qui probi sunt.

*Iurati* tenentur absolvere eum qui ex processu resultat reus sed quem ipsi noverunt ex scientia privata esse innocentem; viceversa tenentur absolvere qui videtur innocens etsi ipsi sciant ex

*questa ragione: « Il diritto naturale permette a ogni uomo di difendersi e di difendere gli altri contro una ingiusta aggressione. L'interesse sociale si unisce con l'interesse privato per esigere il segreto professionale. Ma questo segreto cessa di essere obbligatorio, nel caso in cui è necessario respingere la forza con la forza, e liberare chi è minacciato da un ingiusto aggressore. Nel caso nostro, l'ingiusto aggressore è il cliente che si nasconde dietro al segreto professionale del medico per commettere, a danno di un innocente, una gravissima aggressione. Il medico è autorizzato a difendere l'innocente, ingiustamente attaccato, e se l' « unico mezzo » di difesa è la rivelazione del segreto, egli lo può manifestare; così facendo, egli si limita a respingere la forza con la forza... Tuttavia, poichè molti autorevoli moralisti, in nome dell'interesse generale, sono per l'inviolabilità assoluta del segreto, il medico conserva la sua libertà di seguire questa opinione probabile, e perciò non si può « obbligarlo » a parlare.*

scientia privata eum esse reum, quia iudicare debent secundum formas legitimas. Iudex adhibere debet omnem diligentiam ut liberet eum quem novit esse innocentem etsi reus videatur. Sed post factum condemnationis, dici nequit quod peccaverit nec est inquietandus.

*Reus in carceribus* potest semper appellationem facere de sententia etsi haec iusta fuerit secundum formas iuridicas, dummodo habeat alias probationes, vel sententiae iustitia dubia sit. Obligari nequit ad denuntiandos complices nisi sint infamia notati vel graviter suspecti et iudex interroget, vel nisi agatur de delictis exceptis ut haeresi vel de magno innocentis bono. Si delictum innocenti quoque falso apposuerit, obligari debet ad retractactionem si adsit spes quod credatur.

Generatim ad confessionem reus admitti non expedit nisi post latam sententiam, ne ob spem liberationis mentiatur.

# INDEX


PAG.

PRAELOQUIUM . . . . . V

CAPUT I.

*De Confessarii officio in genere.*

ART. I. — Confessarii officii natura et extensio . . 1

1. Dei gratia et amicitia. — 2. « Estote perfecti ». — 3. Quid S. Scriptura. — 4. Quid SS. Patres et Doctores. — 5. Ratio theologica. — 6. Historia. — 7. Conclusio.

ART. II. — De Confessarii officii difficultate . . 16

1. Ministerii huius sublimitas. — 2. Multiplex officium. — 3. Ars artium. — 4. Quid Ss. Patres. — 5. Quid experientia.

ART. III. — De utilitate sacri huius ministerii pro Confessario . . . . . 24

1. « Merces magna nimis ». — 2. « Omnium divinorum divinissimum ». — 3. Respice finem. — 4. Respice exemplar. — 5. Conclusio.

CAPUT II.

*De Confessarii dotibus et virtutibus.*

ART. I. — De dotibus et virtutibus in genere . . 33

1. Quid ab Ecclesia requiratur. — 2. Quid Catech. Romanus. — 3. Quid Ss. Patres.

ART. II. — De dotibus et virtutibus in specie . . . 37

Sectio I. — *Bonitas seu sanctitas* . . . . . 37

PAG.

§ I. — De bonitate in genere . . . . . 37

1. Requiritur ab ipsa dignitate sacerdotali. — 2. Requiritur ab ipso Poenitentiae Sacramento. — 3. « Sic nos existimet homo ». — 4. Quid celebres Confessarii. — 5. Sanctitas praecedat. - *a*) Dispositiones augeantur. - *b*) Religiosus et sacerdos. - *c*) Status perfectionis. - *d*) Semper timeat. — 6. Praeparatio proxima.

§ II. — De Confessarii humilitate . . . . . 48

1. Virtutes Confessarii. — 2. Dependentia a Deo. — 3. « In Domino glorietur ». — 4. « Quae sunt Dei Deo ». — 5. Sciat bonum de seipso. — 6. Sciat malum de seipso.

§ III. — Constans directio mentis in Deum . 56

1. « Quae Dei sunt ». — 2. « Vigilate ». — 3. « Praebe cor tuum ». — 4. Nulla acceptio personarum. — 5. Instrumentum docile Dei. — 6. Sicut Angeli Dei.

§ IV. — Paternitas vera . . . . . 66

1. Amicus sponsi. - *a*) Deo se committere. - b) Quid cavendum. - *c*) Esto fidelis. — 2. Quid de arte quadam Salesii. - *a*) Circumstantiae. - *b*) Privilegium. - *c*) Conclusio. — 3. Rarum quod est pretiosum. - *a*) In summitate. - *b*) Monita. — 4. Charitas sit ordinata. — 5. Laboret ut pater.

§ V. — Zelus verax . . . . . 78

1. Sacrificium Deo acceptum. - *a*) Modus. - *b*) Hortationes. - *c*) Veri servi. — 2. In spiritu lenitatis. — 3. Peccatores ne diffidant. — 4. Martyrium secretum. — 5. In dolore paries. - *a*) Casta generatio. - *b*) Ad meliora. - *c*) Bonus pastor. — 6. Hortetur ut mater. - *a*) Dulcis et fortis. - *b*) Paterna poena. - *c*) Erga infidelitates. - *d*) Vincula cordis.

§ VI. — Spiritus orationis . . . . . 88

1. « Orationi instantes ». — 2. « Ut vitam habeant ». — 3. Causa sterilitatis. - *a*) Potior oratio. - *b*) Adiuvat ut possis. - *c*) Oratio continua. — 4. Maior est oratio. — 5. Recte oret Confessarius. - *a*) Corde libero. - *b*) Pro quibus specialiter. - *c*) S. Scriptura.

Sectio II. — *De Confessarii scientia* . . . . . 97

1. Necessitas. - *a*) Ob difficultates. - *b*) Ut zelus verus sit. — 2. Quanta sit oporteat. - *a*) Limites. - *b*) Adaugenda. - *c*) Scientia practica. — 3. Quid minimum. — 4. Moralis practica. — 5. Erroribus obviandum.

Sectio III. — *De Confessarii prudentia* . . . . 105

§ I. — De Confessarii prudentia in genere . . 105

1. Sal terrae. — 2. Falsa prudentia. — 3. Prudentiae specimen. — 4. Lux in tenebris. — 5. Prudentia omnibus omnia.

PAG.

§ II. — De Confessarii prudentia in particulari: De sigillo sacr. . . . . 114

1. Caute procedat. — 2. Quid vitandum prudenter. — 3. Casus quidam: *a*) Peccat. - *b*) Non peccat. — 4. Regulae quaedam. — 5. Casus particulares. — 6. Manifestatio complicis.

§ III. — Opiniones et regulae morales . . . . 123

1. Virtus in medio stat. — 2. Opinionum praxis. — 3. Principia et canones morales. — 4. Probabilismi usus. — 5. Probabilismi casus frequentiores.

§ IV. — De peccati occasionibus . . . . . 140

1. Opus omnino arduum: *a*) Fama conservetur. - *b*) Gravis error. - *c*) Occasio necessaria. — 2. Monita S. Caroli. — 3. Choreae. — 4. Scholae neutrae.

§ V. — Prudentia in materia famae vel honoris 147

1. Principium generale. — 2. Casus. — 3. Quid liceat. — 4. Quid excusandum. — 5. Quid damnandum. — 6. Famae restitutio. — 7. Causae excusantes. — 8. Quid de contumelia: *a*) Prudenter agere. - *b*) Quid expediat.

§ VI. — Restitutio ob damnum in genere . . . 156

1. Principia et casus: 1) Rationes restitutionis. - 2) Restitutio ex delicto. - 3) Possessor bonae fidei. - 4) Possessor dubiae fidei. - 5) Possessor malae fidei. - 6) De damno in corpus humanum. - 7) Ob stuprum. - 8) Ob adulterium. - 9) Od damnum spirituale. - 10) Ob cooperationem. — 2. Quibus restituendum. — 3. De circumstantiis restitutionis. — 4. De causis excusantibus.

§ VII. — Restitutio in materia contractus, usurae, testamenti, etc. . . . . 170

1. Prudentia et scientia. — 2. Obligatio ex lege civili. — 1) Quoad exercitium patriae potestatis. - 2) Circa obligationes coniugum. - 3) Circa dies festos. - 4) Circa obiectum dominii. - 5) Circa dominium uxorum. - 6) Circa dominium auctorum. - 7) Circa occupationem et inventionem. - 8) Quoad praescriptionem. - 9) Circa usum, usumfructum et servitudines. - 10) Circa restitutionem creditoribus. - 11) Circa contractus. — 3. De lucro ex mutuo percepto. — 4. Contractus speciales. — 5. Restitutio ob damnum in bona Ecclesiae.

§ VIII. — De prudentia circa confessiones generales . . . . . 199

1. Regula generalis. — 2. Summa utilitas. — 3. Summe necessaria. — 4. Quae sint difficultates. — 5. Normae practicae. — 6. Monita salutaria.

## Caput III.

### *Actus Confessarii.*

Pag.

Art. I. — Benigne et caute excipere . . . . . 208

1. « Charitas benigna est ». — 2. « Aemulor enim vos ». — 3. Motus divinus. — 4. Austeritas moderata. — 5. Non austeritas sed gravitas. — 6. Casus specialis. — 7. « Charitas patiens est ». — 8. Conscientiae libertas. — 9. Libertas et prudentia. — 10. Inconstantiae non faveat. — *a*) Causae mutationis. - *b*) Constantia. - *c*) Libertas praeferenda. — 11. Casus particularis. — 12. Falsi poenitentes.

Art. II. — Patienter et discrete auscultare . . . 231

1. Devotus foemineus sexus. - *a*) Patientia cum merito. - *b*) Erga loquaces. — 2. Regula necessaria. — 3. « Custodi cor tuum ». - *a*) Nihil superfluum. - *b*) Cave ab igne. - *c*) Subtile periculum.

Art. III. — Prudenter interrogare . . . . . 237

1. Obligatio interrogandi. — 2. Modus interrogandi. — 3. Regulae practicae. — 4. Quis interrogandus sit. — 5. Quid interrogandum. — 6. Detractio vitanda. — 7. Interrogatio de re turpi.

Art. IV. — Causas medice perscrutari . . . . 251

1. Malitia et fragilitas. — 2. Habitus et debilitas. — 3. Iudicium invaliditatis. — 4. Iudicare ex allatis.

Art. V. — Misericordi animo disponere . . . . 257

1. Officium Confessarii. — 2. « Derelinquat viam suam ». — 3. Dispositionis signa. — 4. De medio attritionis. — 5. Misericordia tenenda et iustitia.

Art. VI. — Discrete instruere ac monere . . . 266

1. Obligatio docendi. — 2. Obligatio monendi. — 3. Monitionis tempus. — 4. Circa modum sese accusandi. — 5. Consuetudo in venialibus. — 6. Quando gravitas ob venialia. — 7. Venialitates periculosiores. — 8. Delectationes culpabiles. — 9. Excusatio periculosa. — 10. Diligere inimicos. — 11. Famam alienam tueri. — 12. Frequens imprudentia. — 13. Quaedam circa Baptismum. — 14. Sanctificatio diei festi. — 15. Ieiunium et abstinentia. — 16. Vota privata. — 17. Superstitiones et hypnotismus. — 18. Ornatus et castitas mulierum. — 19. Circa blasphemias et secreta. — 20. Libri ac spectacula.

Art. VII. — Satisfactiones iudicialiter iniungere 292

1. Notio prae oculis habenda. — 2. « Spiritus et prudentia ». — 3. Monita salutaria. — 4. « Quidquid boni feceris ». — 5. Quae sint praecipuae. — 6. Duae regulae prudentiales. — 7. Altera regula. — 8. Criterium supernaturale. — 9. Satisfactiones ordinariae.

PAG.

ART. VIII. — Debite absolvere . . . . . 305

1. Regula generalis. — 2. Regula pro dolore. - *a*) Natura. - *b*) Utilitas. - *c*) Attritio. — 3. Normae practicae. — 4. Circa casuum reservationem. — 5. Circa censuras. — 6. Censurae in particulari. — 7. Absolutio sub conditione. — 8. Limites ordinariae potestatis. — 9. Demonstrationes.

ART. IX. — Absolutionem sapienter differre . . 324

1. Principia generalia. — 2. Prudenter procedat. — 3. Remedium ultimum. — 4. Criterium supernaturale. — 5. Non in ruinam. — 6. Quid experientia sanctorum doceat. — 7. Quaedam obstacula ad absolutionem. - *a*) Periculum et occasio. - *b*) Impedimenta matrimonialia. - *c*) Circa materiam sollicitationis.

CAPUT IV.

*De spiritualis vitae moderatione.*

ART. I. — Normae generales . . . . . 340

1. Adiuvare, non substituere. — 2. Non lacessat neque molliat. — 3. Libertas tuenda. — 4. Vias cordis probe noscat. — 5. Methodus sit prudens. — 6. Actionem Dei scrutetur et sequatur. — 7. Characterem poenitentis respiciat. — 8. Omnia omnibus. — 9. Moderatio sit progressiva. — 10. Facile erratur. — 11. Pictas affectiva. — 12. Obiectum. — 13. Pietas sit amabilis. — 14. Fortis cum fortibus.

ART. II. — Normae speciales . . . . . 358

1. Amor finis est et medium. — 2. Devotio vera. — 3. Methodus positiva. — 4. Charitatem colere. — 5. Virtutes simul excolantur. — 6. Actus ponderandi non numerandi. — 7. Indifferentia activa. — 8. Facultates animi excolantur. — 9. Amor coniugum. — 10. Dilectio erga parentes et amicos. — 11. Mens sana in corpore sano. — 12. Circa corporis solatium. — 13. Generalis conspectus perfectionis: *a*) Quando attingitur. - *b*) Effectus. - *c*) Quaedam adiuncta.

ART. III. — Normae particulares . . . . . 379

1. Fiduciae necessitas. — 2. Scopuli fatales. — 3. Iudicium submittendum. — 4. Docilitas requiratur. — 5. Obstacula supposita. — 6. Perfectio desiderabilis. — 7. De via humilitatis. — 8. Quaedam sententiae de humilitate. — 9. Perfectio secundum statum vitae. — 10. Pietas mulierum. — 11. Moderatio per epistolas. — 12. Apostolatus.

ART. IV. — Discretio spiritus et regulae . . . . 402

§ I. — Regulae ad discernendos spiritus . . . 402

§ II. — Finis proximus spiritualis vitae . . . 404

PAG.

ART. V. — Alimenta pietatis . . . . . 406

§ I. — Oratio mentalis . . . . . 406

1. Necessitas. — 2. Methodus sequenda. — 3. Consideretur veritas. — 4. Ametur veritas. — 5. Veritas sequenda. — 6. Methodus facilior. — 7. Oratio vocalis. — 8. Hortetur instanter Confessarius.

§ II. — De Confessione hebdomadali . . . . 414

1. Conscientiae discussio. — 2. Frequens confessio.

§ III. — Sacra Communio . . . . . 417

1. Communio frequens. — 2. Effectus. — 3. Praeparatio et gratiarum actio. — 4. Communio spiritualis et piae practicae.

§ IV. — Discretio circa mortificationes . . . . 420

1. Monita salutaria. — 2. Error vitandus. — 3. Norma.

ART. VI. — Infirmitates spirituales et probationes 423

§ I. — Ariditas spiritus . . . . . 423

1. Necessitas. — 2. Ad perfectiora.

§ II. — Scrupuli . . . . . 424

1. Quomodo dignoscendi et tractandi. — 2. Obedientia exquirenda. — 3. Quid expediat. — 4. Benigne et fortiter. — 5. Tentatio et habitus. — 6. Normae particulares.

§ III. — Tentationes . . . . . 429

1. Necessitas et utilitas. — 2. Remedia. — 3. Obsessiones.

§ IV. — Tepiditas . . . . . 434

ART. VII. — Status mystici . . . . . 435

1. Contemplatio. — 2. Oratio recollectionis. — 3. Recollectio sit activa. — 4. Purgatio spiritualis. — 5. Ariditas substantialis. — 6. Confessarii opera. — 7. Species contemplationis. — 8. Recollectio supernaturalis. — 9. Quies. — 10. Clara caligo. — 11. Status unionis. — 12. Species unionis. — 13. Unio consummata. — 14. Visiones. — 15. Signa ad distinguendum. — 16. Locutiones. — 17. Revelationes. — 18. Quomodo sese gerendum. — 19. Normae particulares.

## CAPUT V.

*Vitae status et officia particularia.*

ART. I. — Pueri . . . . . 458

1. Interrogatio. — 2. Circa absolutionem. — 3. Sacra Communio.

PAG.

ART. II. — Iuvenes . . . . . 461

1. Electio status. — 2. Signa vocationis ecclesiasticae. — 3. Recens declaratio. — 4. Quid vitandum. — 5. Indigni arcendi. — 6. Vocatio religiosa.

ART. III. — Sponsalia et matrimonia . . . . . 466

1. Frequens difficultas. — 2. Matrimonii consilium. — 3. Castitas semper servanda. — 4. Sponsalia. — 5. Impedimenta. — 6. Divortium. — 7. Dispensationes matrimoniales. — 8. Convalidatio et sanatio.

ART. IV. — Coniuges . . . . . 480

1. Quid citra peccatum grave. — 2. Onanismus viri. — 3. In quo inquietandi non sunt.

ART. V. — Genitores . . . . . 483

1. Obligationes. — 2. Quaedam animadvertenda.

ART. VI. — Clerici . . . . . 485

ART. VII. — Personae religiosae . . . . . 486

1. Obligatio Confessarii. — 2. Obligationes religiosi.

ART. VIII. — Aegroti . . . . . 490

1. Monita ad sacerdotes. — 2. Quid expediat. — 3. Dilatio confessionis. — 4. Casus particulares.

ART. IX. — Officia quaedam particularia ecclesiastica . . . . . 495

ART. X. — Officia quaedam laica. . . . . 501

1. Medici et chirurgi. — 2. Personae curiales.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3341 250.1 U11
Uccello.
AUTHOR
De Sacramentis
TITLE